J. Caneuea

# IN PROVERBIA SALOMONIS

(1)

Commentarij Trium Rabbinorum.

SALOMONIS ISACIDIS.
ABRAHAM ABEN EZRÆ.
LEVI BEN GHERSOM.



*Quos*

ANTONIVS GIGGEIVS
E COLLEGII AMBROSIANI DOCTORIBVS
interpretatus est, castigauit, illustrauit.

*His accesserunt versiones Chaldaæ paraphrasis, ac Syræ lectionis ex vetustissimo codice Bibliothecæ Ambrosianæ, vt ab editione vulgata differunt.*

AD SERENISSIMAM CHRISTIANAM
à Lotharingia Medicæam Magnam Etruriæ Ducem.

MEDIOLANI,
Ex Collegij Ambrosiani Typographia. M. DC. XXI

# SERENISSIMÆ CHRISTIANÆ A LOTHARINGIA MEDICEÆ

## MAGNÆ ETRVRIÆ DVCI.

*ANTONIVS GIGGEIVS*

*E Collegij Ambrosiani Doctoribus Felicitatem.*

COmmentarij trium Rabbinorum in Prouerbia Salomonis à me donati latinitate, & illustrati, vt Serenissimo nomine tuo inscripti prodirent in lucē, Illustrissimus Cardinalis Borromæus, à cuius nutu tota mea viuendi, & studendi ratio pendet, potissimum effecit. Cum enim subdubitarem, ne leuia nimis offerrentur Celsitud. Tuæ, meæ erga eam obseruantiæ argumenta, is hæsitantem confirmauit au-

ctoritate sua, animumque meum ad hanc inscriptionem traduxit. Nimirum Sapientissimus Antistes, non tam mei rationem habere voluit, quam quid dignitas, decorumque libri exigeret, ante oculos propositum habuit. Est siquidem auctor Prouerbiorum Salomon, vir sapientissimus, ac regia dignitate sublimis: sunt illa plena politicis præceptis, & domesticæ disciplinæ institutis referta, necnon ad publicam, priuatamque rem moderandam accomodatissima. Cui ergo in Prouerbia Salomonis Commentarij opportunius dicari debuerunt, quã tibi, quæ in dignitate plane regia singularẽ prodis prudentiam, atque in tantę molis gubernatione omnibus præsto es negotijs, tuumque consilium cum magna admiratione etiam ij, qui sapientes in curia sunt, libentissime sequuntur. Illa etiam accedit huius inscriptionis causa, sub finem huius libri absolutissimæ mulieris exemplar proponi, ad quod quidem vel Celsitudo tua, vel nulla alia mulier propius accedit. Non patitur singularis tua modestia, vt sigillatim recenseam animi ornamenta, quibus omnes in tui

admi-

Imprimatur.

Fr. Aloysius Bariola Augustinianus Consultor Sancti Officij pro Reuerendissimo Inquisitore.

Io. Paulus de Clericis Archipresbyter, & Canonicus Sancti Nazarij pro Illustrissimo D.D. Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.

*Tibi Antonio Giggeio Collegij Ambrosiani Doctori commentarios trium Rabbinorum à te nunc primum latinitate donatos, ac omnium Doctorum Collegij Ambrosiani suffragijs, consensuque receptos imprimendi facultatem concedimus.*

*Antonius Olgiatus Collegij Ambrosiani*
*Praeses suo, & Collegarum nomine.*

admirationem trahis: satis nunc mihi sit eam obtulisse imaginem, in qua teipsam ad viuũ valeas contemplari. Quæ cum ita sint, has lucubrationes iure merito tibi debitas hilari fronte admittas, meq. arcana hebraicæ linguæ diuulgantem ea humanitate excipias, qua olim sub disciplina doctissimi, ac nobilissimi Thurcæ Etruscarum nauium captiui in Arabum, & Persarum litteris laborantem isthic dignata es complecti. Vale.

Mediolani v. Kal. Decembris M.DC.XIX.

# BENEVOLO LECTORI.

*TRIA te monitum volo. Quædam in hisce auctoribus, Leui Ghersomite præsertim, a me prætermissa, quæ nihil ad rem facere viderentur: Deinde vero in sacrarum litterarum auctoritatibus afferendis, secutum me aliquando Rabbinorum interpretationem, ac diuisionem: Ad extremũ condonandum aliquid ineptas Rabbinorum nugas quandoque euulganti, nec studiose confutanti, cum has aliorum partes esse censuerim.*

# LIBRI PROVERBIORVM SALOMONIS.

## Caput Primum.

### Verſ. I. II. III. IV.

1 Parabolæ Salomonis, filij Dauid, regis Iſrael.
2 Ad ſciendam ſapientiam, et ᵃ diſciplinam:
3 Ad intelligenda verba ᵇ prudentiæ: & ſuſcipiendam
eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium,
& ᶜ æquitatem:
4 Vt detur ᵈ paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia,
& ᵉ intellectus.

### VARIÆ LECTIONES.

*a Syrus. correptionem. Chaldæus eruditionem. b Syr. intelligentiæ, ad ſuſcipiendam eruditionem, & timorem. c Syr. rectitudinem. Chald. directionem. d Syr. & Chald. inſipientibus. e Syr. conſilium.*

### SALOMON ISACIDES.

VNIVERSA Auctoris verba ſimilitudines, & comparationes quædam ſunt, legem enim per mulierem ingenuam, idololatriæ verò ſpeciem per ſcortum propoſuit; pleraque pariter eiuſdem verba tropis ſcatent, & figuris.

Iſacidē appello, quem alij Iarchi, vel Iarhi, ſequor autem omniū fere Hebræorum ſententiam.

2 *Ad ſciendam* Parabolæ iſtæ ideo pronunciatæ fuerunt, vt intelligerent mortales laborandum eſſe in ſacra lege, quæ eſt ſapientia, eruditio, iuſtitia, & æquitas.

3 *Iuſtitiam* צדק tſedek idem ac צדקה tſedakah, ideſt eleemoſina cum quis facultates ſuas in indigentes erogat.

Iuſtitiam, & eleemoſinā eadem vox Hebrea ſignificat.

*Iudicium* vt ad veritatis normam iudicet.

*Æquitatem* משרים mesciarim; quo inter se dissidentes ex bono, & æquo componat, itaut ea via lenis, & recta ineatur, quæ hinc, & inde par, æquaue sit.

4 *Vt detur paruulis* Parabolas hasce pronunciauit Ecclesiastes, vt per eas improuidi, & simplices calliditate imbuerentur.

Adolescens vocatur נער nahar quasi מנוער menuhar, idest rerum cognitione spoliatus.

*Adolescenti scientia* adolescenti etiam, hoc est, ei qui rerum omniũ cognitione careat, quiq; nihil adhuc didicerit, scientia præstabitur.

*intellectus* מזמה mezimmah idest cogitatio consilij.

## ABRAHAM ABEN EZRA.

1 *Parabolæ* Pars ista parænetica est, in qua supremæ sapientiæ dignitas declaratur, cum per eam quæ existunt absque vlla alia re procreata sint: monemur item amplectendam illam esse, & recedendum à muliere detestabili: arguimur etiam, vt à nobismet radicitus euellamus vanam quandam credendi facilitatem, atque cupiditates quæ terrenum ortum habẽt in nobis interimamus, vt animus vsquequaque perfectus vitam obtineat.

*Filij Dauid* vt auctoris excellentia demonstretur, cum sapientis, rerumque cognitione apprimè informati filius esset.

*Regis* vterque enim propter suam sapientiam Israeliticum regnũ est adeptus: vel etiam quod Salomon gentis inclytæ fama prudentiæ rex cõstitutus esset. Vox autem מלך melech est substantiuũ, vt seruus, vestis.

Hie. v. 3.

2 *Ad sciendam* לדעת ladahath. Tau huius vocis paragogicum est, vt etiam in לקחת lakachath ad suscipiendã; eademq; ratio est de Lamed. Is autem sensus est: adhibita luce parabolarum assequetur mortalis *sapientiam*, quæ est origo summæ rerum omnium, timoris nempe domini, iuxta illud, initium sapientiæ est timor Domini.

Hie. v. 7.

Imperiti apud Hebreos terræ populi, gensque vocãtur.

*Disciplinam* vt diuinis præceptis obtemperemus; vel certe vt alijs placet, מוסר musar disciplina nihil aliud erit, quam doctrina, qua imperita plebs eruditur.

3 *Verba prudentiæ* vt discrimina inter res statuantur, ne obscura pro claris, luxque pro tenebris supponatur.

Eruditio dicitur לקיחה lekicha, quod ab alijs desumatur.

*Eruditionem doctrinæ*, Quod ab erudientis ore percipitur doctrina est, & eruditio. Vox vero השכל haschel est nomen agentis, & caret littera Vau.

*Iustitiam* quæ comprehendit tum cultum diuinum, tum vniuersam actionem ritè conformatam.

*Iudicium* vt vnicuique ius ritè dicatur.

*Æquitatem* in iudicando enim quod rectum æquumque est, pronunciabit. Quidam autem affirmant, eruditionem doctrinæ eam esse, qua iuste quis gerere sciat,

Vt

4 *Vt detur paruulis* ללתת latheth, est eiusdem formæ ac ללת laleth, dicendumque fuisset ללהנת latheneth, & ללכת lalecheth. Ea porrò horum vis erit. Constabit plane, per huiusmodi prouerbiales sententias simplicibus præstari solertiam, qua à seipsis stolidam quandam facilitatem remoueant, ob quā sibi facile imponi patiebantur: quando vero sapientię, & prudentiæ compotes fieri nequibunt, vitæ suæ rationes in hoc sæculo agnoscent, & quomodo rectè vitam instituāt suam, vulgatum enim est, sapientia callidi est intelligere vias suas. Hic c.14. n.8

*Adolescenti scientia* Per ista prouerbialia scita, etiam pueris scientia suppeditabitur. in voce autem פתאים petaim aleph sustinet vices iod vocis פתי pethi, vt in rephaim רפאים.

## LEVI BEN GHERSOM.

### Verborum expositio.

1 *Parabola* משלי misle. Parabola est res quædam per similitudinē pronunciata, quandoque vt exhibeatur forma rei, de qua sermonem habere volumus; quandoque vt excitemur ad intelligendum quod in animo resideat, vt remotum à nostro conspectu, vel cupitum, vel denique alteri simile sit. Id autem contingit quod res longe remota alteri comparetur ob similitudinem quam cum altera habeat, per quam explicetur, & patefiat. Eadem quoque est ratio eorum, quæ animo designamus, tum cæterorū, quæ cū alijs similitudinē habent. Parabola quid sit.

2 *Ad sciendam sapientiam* Hæc est rei cognitio per proprias, intrinsecasque causas.

*Et disciplinam* מוסר musar. Vox hæc pertinet tum ad mores, tum ad sciendi institutionem. Morum autem disciplina est, reiecta praua viuendi consuetudine, honestis moribus assuescere: Sciendi vero disciplina est, cum eam quis amplectitur rationem, qua res iuxta suū ordinem, gradumque intelligatur, methodusque seruatur aptè, vt ad eandem cognoscendam ritè deducamur; tum etiam ne in ijs operam collocemus, quæ percipi non soleant; e contra vero, ne illud indagare prætermittamus, quod a mortali possit inuestigari. Disciplinæ vox tum ad mores, tum ad scientiam pertinet.

3 *Verba prudentiæ* אמרי בינה imre vinah. Binah est rerum cognitio, quæ acquiritur per causas non proprias, & intrinsecas, velut cum dicimus solem calefacere, lunam vero refrigerare, cum hæc tum calore, tum frigore careant. Hæc eadem cognitio præterea תבונה teuunah appellatur. Quid binah signif.

*Eruditionem doctrinæ* Hæc est institutio, quæ ad rerum contemplationem, studiumque pertinet.

*Iustitiam, iudicium, & æquitatem* tria hæc de re quappiam vnica, vel quæ prope vnica sit, vsurpantur, caduntque generatim in aptam rei confirmationem, rectitudinemque, siue ad mores, siue ad scientiam referatur.

4 *Astutia* ea est exercitatio, seu ingenij acrimonia in rebus politicis.

*Scientia* hæ sunt primæ quædam notiones, vel quæ prope ad eas accedant, per quas veritas proditur, & elucescit.

*Intellectus* מזמה mezimmah. Hæc est cogitatio, principium quoddam intelligendi, per quam ad scientiam instituimur: quod quidem contingit, cum quis veritati rerum indagandæ studet varias animo sat cogitationes, veraque admittit, & à veritate aliena repudiat.

## SERIES RERVM EXPLANATA.

1 *Parabola.* Hæ sunt parabolæ; quas Salomon filius Dauidis, regis Israel pronunciauit, ex quibus fructus is percipitur, vt comparetur scientia demonstratiua, in qua existentis rei causa declaratur plana, & euidenti probatione, ac argumẽtis. Eędem etiam summopere cõferunt, ad morum conformationem, quoad communem cum cæteris societatem, & res ciuiles, vt improbitate abiecta, honestos, laudabilesq; mores sectemur. Institutioni autem scientiæ mentionem præmisit, nam licet tempore hanc scientiæ præmitti consentaneum sit, ab institutione tamen præcipue spectatur rerum cognitio.

*Ad intelligenda verba prudentiæ* Ea sunt scita, & pronunciata quædam apud omnes euulgata, atque recepta, per quæ prouehimur ad rerum diuinarum scientiam obtinendam, tum etiam intelligimus, quomodo se quemque gerere oporteat, cum hæc scita haud ad intrinsecam rei naturam, substantiamq; pertingant; atque equidem ex ijs non exiguum commodum, fructusque dimanat.

*eruditionem doctrinæ* Erudiemur per hasce prouerbiales sententias in studijs, & contemplatione rite obeunda, vt nimirum accõmodatam rationem, compendiariamque viam ineamus, nec ijs vacemus, in quibus operam collocari non sit opportunum. Atque inde fructus is constat, vt recto tramiti tum morum, tum sciendi assuescamus, iustitiæ nempe, iudicij, æquitatis, ex quibus etiam singulare commodum haurimus.

*Vt detur paruulis astutia* Concedetur etiam acris cogitatio parsque solertis acrimoniæ, per quam improuidam deuitent simplicitatem: qui vero in tenera adhuc ætate constitutus est, primordia contemplationis adipiscetur, cogitationem scilicet primorum intelligibilium, vel eorum, quæ proxime accedant. Et certe scientiæ mentionem præposuit, cum ea præstantior sit cogitatione.

Vers.

Verſ. V. VI.

5 Audiens ſapiens, a ſapientior erit: & intelligens, b gubernacula poſsidebit.

6 Animaduertet parabolam, & c interpretationem, verba ſapientum, & ænigmata eorum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Super addet ſapientiam. Chal. addet ſcientiam.*
*b Syr. Regimen, vel gubernationem.*
*c Syr. Simile, allegoria. Chal. explicationem.*

## SALOMON ISACIDES.

5 *Audiens ſapiens* ישמע ijſmah audiat. Qui ſapientia eſt excultus, hiſce parabolis audiendis vacet, vt maiori adhuc ſapientia cumuletur.

*Sapientior erit* יוסף לקח ioſeph leKach .i. doctrinam augebit ſuam, is ergo erit ſapiens, qui hiſce prouerbijs aures præbebit:

*intelligens* נבון nauon, is eſt, qui ampliori rerũ cognitione præditus ſit, quam doctus, & ſcientia ornatus, qui nimirum rebus inter ſe collatis, aliud ex alio percipere commode noſcit. Intelligens idem eſt ac prudens.

6 *Animaduertet parabolam* prudens autem hic auribus accomodandis illud præterea aſſequetur, vt intelligat parabolam, hoc eſt, adipiſcetur facultatem, vt in ſacris litteris duas rationes animaduertat, tum ſimilitudinem, tum quod ſimilitudini ſubeſt ob orationis venuſtatem, ea enim penetrabit, quæ interpretationi ſimilia ſunt, neque etiam a figurata dicendi ratione animum auocabit, quod neceſſarium eſt ad ſacra volumina intelligenda, vt exempli gratia, cũ inquit, vt eruaris a muliere aliena & ab extranea, pertinent hæc ad flagitioſum idolorum cultum, atque tum ſimilitudinem, tum myſticam ſignificationem continent; illam quidem ſub mulieris comparatione; hanc autem vt intelligas cauẽdũ tibi eſſe ab alienigena, exteraq. meretrice. Hic.c.2.v.16.

*Verba ſapientum* ſunt illorum curioſæ obſeruationes, qui in ſacris monumentis minutiſſimas quaſque ſcribendi rationes perpendunt, vt cum vox aliqua tum plena, omnibuſque characteribus conſtans tum mutila, aliquaue littera carens deſcribitur, quæ quidem ænigmati ſimilia videntur. Exactiſſimi ſunt Hebræi in perpendẽda ſcriptione quarumdam vocum.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

5 *Audiens* Quod si sapiens solerter attendat, doctrina cumulabitur.

*& intelligens gubernacula possidebit* prudens adminicula parabit quibus parabolæ, interpretationis, ænigmatumque cognitionē adipiscatur.

6 *Parabolam* parabola autem est id, ex cuius agnitione aliud dimanat *ænigmata* ænigma est res quędam inuoluta, quæ intelligi nequeat nisi explicetur, iuxta illud, numquid non omnes isti super eum parabolum sument &c. Doctrina vero לקח leKach denominatur, quasi delicię, & voluptas, quod ob scientiam mortales delectatione perfundantur, iuxta illud, quid te delectat cor tuum *gubernacula* תחבלות tachbuloth. consilium significat, & cogitationem, vt testatur illud cogitationes iustorum iudicia. Sēsus ergo horum erit. Consilium solersque acumen acquiret, propterea quod parabolas, interpretationem, aliaque sapientum verba intelligat.

Abac. 2. v. 6.

Vox doctrinæ idem ac delectatio.

Iob. c. 15. v. 12.

Hic. c. 12. v. 5.

## LEVI GHERSOMITES

### Quoad verba.

5 *Sapientior erit* יוסף לקח ioseph leKach. i. cumulabitur scientia, vel certe scientię habitum obtinebit.

6 *Gubernacula* תחבלות tachbuloth ea sunt quæ cogitationis acumine percipiuntur.

*Ænigmata* חידות chidoth. Sermo quidam abstrusus, qui similitudinis opera quidem pronunciatur, sed secretiores aliquos, & prorsus inter se diuersos sensus inuoluit.

### Quoad rerum seriem.

Neque vero putes hosce tantum, quorum facta est mentio, qui quidem nullam virtutis absolutionem sint adepti, ex his parabolis vtilitatem capere; nam etiam peritos, prudenteśque inde fructum reportare constat, cum enim rerum peritia excultus has parabolas auscultarit, magnam doctrinæ suæ accessionem faciet: prudens etiā aures attentas præbens acumine expolietur, quo pronunciata, scitaque apud omnes inueterata comperta habeat, quibus iuuabitur, ad enodandas quæstiones vniuersas, & tricas, quæ in philosophicis contemplationibus immiscentur, cum per huiusmodi prouerbiales sententias mortalis eruditus, instructusque euadat.

*Ani-*

6 *Animaduertet parabolam, & interpretationem* intelliget præterea quæ a sapientibus, ac prophætis dicuntur, vt per ea vsitatas assequatur rationes, quibus res similitudine adumbrari, atque efformari solent: instruetur etiam, vt sapientum scita penetrare possit, licet illa satis abstrusa, reconditaque sint; intelliget denique eorum arcana, & inuoluta mysteria, postquam agnitione præditus fuerit eorum, quæ hisce parabolis adumbrari solent.

## Vers. VII. VIII. IX.

7 Timor Domini principium sapientiæ. Sapientiã, atque [a] doctrinam [b] stulti despiciunt.
8 Audi, fili mi, [c] disciplinam patris tui, & ne [d] dimittas legem matris tuæ:
9 Vt [e] addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

## VARIÆ LECTIONES.

*a* *Syr. correptionem. Chald. disciplinam.*
*b* *Syr. iniqui.*
*c* *Syr. legem. Chald. eruditionem.*
*d* *Syr. ne obliuiscaris. Chald. ne erres.*
*e* *Syr. decori enim sunt. Chald. quoniam decor gratia.*

## SALOMON ISACIDES.

Hucusque explicauit Salomon huius libri conficiendi opportunitatem, modo autem librum exorditur.

7 *Timor Domini principium sapientiæ.* Hæc est præcipua pars primordiorum sciendi, quæ quidem prius tibi addiscenda: Dei autẽ timorem à quo es effectus, sapientiæ, eiusque studio anteuerte, a quo illud animo tuo instillabitur, vt sapientiæ, ac scientiæ sedulò vaces; stulti enim, qui haud Deum verentur sapientiam, & disciplinam adspernantur.

8 *Disciplinam patris tui* quod nimirum Deus præscripsit Moysi tum ore tenus, tum litterarum monumentis consignatum.

*Matris tuæ* Ecclesiæ, iuxta illud, quid mater tua leæna! Ezech. 19. v. 2
Hæc præterea sunt commenta Scribarum, qui in sacrorum volumi-num

Proculdubio à Masoretis multa innouata, vt præcipua nostræ fidei mysteria abolerentur.

num scriptione multa innouantes, & addentes sæpi quãdam sacrã legem muniuerunt.

9 *Vt addatur gratia* ליוית חן Liuiath chen. quoniam hæc erunt capiti tuo copulatio gratiæ, quod perinde est, ac si dicamus, legem, & institutionem capiti tuo coniunctionem, accessionemque gratiæ comparaturas, futurasq; tanquam torquis aurei ornamenta sũmo collo tuo.

*collo tuo* לגרגרתך gargherothecha. gutturi tuo, seu humeris tuis. Quoniam autem guttur varijs annulis constat, idcirco pluralis vox adhibetur.

## A. ABEN EZRA.

7 *Timor Domini* Ostendit auctor, sapientiæ, & rectæ institutionis exordium esse, vt Deum vereamur, licet enim sapientiæ timorem, & disciplinam stulti despiciant, haud tamen fas est ista repudiari. Quare mox subdit, *audi fili mi &c.*

8 *Legem Matris tuæ* mulier enim sapientia egregia filijs suis rectum iter monstrat, vt Bersabea, quæ filium suum Lemuelem erudiebat. *& ne* אל al. hæc dictio deprecantis est. & persuadentis, de-
Hic. 30.v.31. sumpta ex Iob, cuiusdem rationis sunt illa, ne surgat.

9 *Vt addatur gratia* ליוית חן Liuiath Chen. Desideratur Caph particula quę comparationibus demonstrandis, adhibetur. ליוית Liuiath
Gen.29.v.34. autem vim eandem habet, quam illa ילוה אישי, .i. copulabitur mihi maritus meus. Quare hæc ita explicabis. ita lex, & disciplina apta erunt capitis tui ornamenta, ac si aliquid gratiam concilians copulatum eidem esset. *collo tuo* לגרגרתך gargherotheca. quæ guttur proxime ambiunt appellantur gargheroth, quemadmodum etiã quæ
Gen.45.v.14. proxima sunt collo dicuntur על צוארי hal tsiuare, iuxta illud cum cecidisset in collum Beniamin. quę paritercapiti proxima sunt, illudq; circumdant dicuntur מראשתיו Merasotau.

## LEVI GHERSOMITES.

7 *Timor Domini* Hæc est institutio quoad mores, hinc .n. exordiendũ est in institutione ad scientiam assequendam, neque enim consentaneum est, vt quis rebus intelligendis vacet, si improbitate sit irretitus: stulti autem qui institutionem contemnunt & respuũt, sapientiam etiam, & disciplinam flocci faciunt, nihilq; ab ea commoueantur, cum enim disciplinam auersentur, à seipsis etiam longe sapientiam arcent; constat enim á stulto disciplinam, ab hac stultum repudiari.

8 *Audi fili mi* Prima ergo institutio est, vt parentum castigatio ad-

admittatur, ab his enim adhuc in tenera ętate constituti, erudimur. Deinde verò instruimur, vt sacræ legis verbis conformemur, ideo n. ab eodem atrox pœna in rebellē, & contumacē constituitur, cū quis parentū suorū vocibus nō obtēperarit. Quod cauens hoc loco sapiens, inquit, audi fili mi disciplinā patris tui, nec eā consuetudinē negligas, & prætermittas, cui à matre tua sis assuetus; ea .n. institutio, qua primo à parentibus tuis imbutus fueris, est veluti quoddam ornamentum, quo à te morum fœditatem, & improbitatem longè arceas. Vel etiam disciplina patris, lexq; materna diuinam legem insinuabunt. Deo autem patris nomen impenditur iuxta illud, num quid non ipse est pater tuus, qui possedit te: mater autem est intellectus agens, cuius opera vaticinium in nos deriuatur: hic autem mulieri comparatur, siquidem cum Deo conferatur, à quo vim omnem accipit, cum Deo vniuersarum rerum absolutio accepta referenda sit, iuxta illud. in diademate, quo coronauit illum mater sua; quamobrem à Rabbinis appellatur מטטרון mitatron, quod Romana lingua matrem significat. Deut.c.32.n.6. Cantic.c.3.n.11.

9 *Vt addatur gratia capiti tuo* Has ergo institutiones laudibus euehens subdit, eas esse tanquam additamenta quædam capitis, hoc est, pulcherrimum ornamentum, quod cum humano capiti coniunctum fuerit miram apud spectatores gratiam conciliabit: addit pręterea esse tanquam torquem, qui summo collo adhibeatur, quo etiam humeros exornari solenne sit, iuxta illud, vno torque colli tui. Eo autem capitis, & gutturis mentio spectat, vt intelligamus huiusmodi institutionem nobis in primis conferre, ad id quod præclarissimum sit in capite, in quo facultates præclarissimæ continentur, quæ maxime conducant, & instruant ad ea percipienda, quę intelligi oporteat, tum etiam vsui esse, vt quę pulchra sint in gutture cōsequamur; quod quidē nihil aliud est, quam id quo sermonē habere possumus, cum inde prodeāt sermones, quibus sapientiam tum addiscimus, tū alios docemus. Cant.4.n.9. Quare capitis, & gutturis fiat mētio

## Vers. X. XI. XII. XIII. XIV.

10 Fili mi, si te [a] lactauerint peccatores, ne [b] acquiescas eis.

11 Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini, [c] abscondamus tēdiculas contra insontem frustra:

12 Deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & [d] integrum quasi descendentem in [e] lacum.

13 Omnem[f] preciosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs.

14 Sortem mitte[g] nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. adulando deceperint. Chal. seduxerint. vel blanditi fuerint.*

*b Syr. Obedias.*

*c Chal. abscondamur contra innocentem frustra. Syr. abscondamus iusto contritionem, & perniciem.*

*d Syr. Chald. immaculatum.*

*e Syr. foueam.*

*f Syr. & Chald. omnes diuitias, & gloriam.*

*g Syr. inter nos.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *Peccatores* חטאים chattaim, idē ac חוטאים choteim .i. peccātes. *ne acquiescas* ne illis assentiaris, quęq; illis placent, amplectaris.

11 *Insidiemur sanguini* .i. ad sanguinem effundendum. *abscondamus tendiculas* נצפנה nitspennah, quod insidiari significat. Sacer ergo textus inquit, frustra, nullaue de causa eos insonti insidias struere.

12 *Deglutiamus* Deglutiamus innoxios cum adhuc vitam degunt, quemad modum sepulchrum corpus totum, integrumq; deglutit. *integrum* תמימים temimim. Non significat vox hęc iustos, sed robustos, & bona valetudine vtentes: Deglutiamus igitur illos dum adhuc sunt integris viribus, quemadmodum quispiam incolumis in lacum, foueamque descendit: q. d. interimamus illos, cum adhuc sunt integris opibus, vt eorum facultates hæreditario iure obtineamus.

Hoc loco est vox שאול seol de qua vide eruditissimũ Collegam Antonium Ruscam, in tract. de subterraneis receptaculis.

14 *Sortem mitte nobiscum* si voles nobiscum spolia partieris: si etiā magis placebit sociali, communiq; marsupio nobiscum vteris. *marsupium sit vnum* .i. vna simul.

## A. ABEN EZRA.

11 *Insidiemur sanguini* ad sanguinem profundendum.

*Fru-*

*Frustra* חנם chinnam.gratis,absque causa,quę dictio deducta est a חנן chanan,quod liberaliter elargiri significat,iuxta illud חנן אלהים chanan,elohim,.i. liberaliter concesit Deus. Mem verò in voce chinā est paragogicum,vt in ריקם riKam.

12 *Et integrum* absorbebimus integros,tanquam qui in sepulchrū descendunt. Aliter etiam hęc poteris exponere, secundum omnes partes in inferiora descendent, verum Seol idem significat,ac infra vel in infimas partes. vox autē Seol modo masculeo genere effertur, vt ערום שאול harun seol, modo fęminea, vt שאול רגזה seol raghezah.

13 *Preciosam substantiam* .i. auri,argentiq; copias.

*spolijs* vestium nempe spolijs.

## LEVI GHERSOMITES.

Quoniam autem humani cordis machinatio à primis vnguiculis praua est,vt ideo propensus sit mortalis ad criminosum iter ingrediendum, in quod à flagitiosis pellicitur, ideo monet sapiens, & inquit,fili mi &c.

10 *Si te lactauerint* si te sermonum lenocinijs pellexerint,vt ijs socius adiungaris,illorumque viuendi consuetudinem amplectaris,ne assentiaris, ac auscultes.

11 *Insidiemur sanguini* Insidias collocemus,vt aliquē interimamus, eiusque facultates nobis acquiramus.

*abscondamus* in latebris abdamus,ac occultemus,quod virum quan tumuis insontem è medio tollat, licet in nos, vel alios noxam aliquā nulla ratione contraxerit.

12 *Deglutiamus* absorbeamus igitur illos adhuc viuentes, quemadmodum cadauer cum humatur a sepulchro deglutiri solet. voremus etiam illos licet optima valetudine vtentes, perinde ac si in sepulchrum truderentur, conuenimus enim ad hosce interficiendos, vt eorum spolia diripiamus,cum vniuersa suppellectili preciosa prediti sint;ita autem domos nostras replebimus eorum spolijs, quę simul partiemur.

14 *Sortem mitte nobiscum* Tu etiam partem nobis ęqualē sortieris.

*marsupium vnum* Omnibus nobis vna communis erit crumena,ita ut altero nihil alter magis habeat. Parricidij autem mentionem facit Salomon, vt is magis deterreatur,ne horum consilijs obsequatur,cum id sit tamquam meta,ad quam à scelerata viuendi consuetudine deducuntur;nam cum ebrietati,ciborumq; voluptati sępissimè vacent,nec facultates suppetant,quibus hęc comparentur, furentur necesse est,iugulabuntq; opulentum dominum si forte obuius fuerit:idem etiam euenit,cum vo[illegible] vcebras,cętera que scelera coalescentur,ad quę facillime [illegible]ducuntur.

## Verſ. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

15 Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.

16 Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant [a] ſanguinem.

17 [b] Fruſtra autem iacitur rete ante oculos [c] pennatorum:

18 Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & [d] moliuntur fraudes contra animas ſuas.

19 Sic ſemitæ omnis [e] auari, animas poſſidentium rapiunt.

## VAR. LECT.

*a Syr. ſanguinem innocentis.*

*b Syr. ad oppreſſionem.*

*c Syr. ante aues. Chal. volucrem pennatam.*

*d Chald. abſcondent contra animas ſuas. Syr. abſcondunt ſe ipſos.*

*e Syr. Chal. ſic ſunt viæ operantium iniquitatem, & animas dominorum ſuorum capiunt.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *ad malum currunt* decurrunt illi, vt ſui exitij ſint artifices, adeoque in rerum ignoratione verſantur, vt id non animaduertant.

17 *fruſtra autem iacitur* Cum volucres triticum, vel minuta legumina in retia proiecta adſpiciunt, nihil illos protenſa retia morantur, cùm enim non aduertant, in quid illa ſint expanſa in eadem ſe ſe demittunt, atq; inde alimenta petunt.

18 *ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur* aucipes autem horum ſanguini, volucrum nimirum, inſidiantur.

19 *ſic ſemitæ omnis auari* Cum quis aliorum facultates ſurripit, pulchræ quidem, iucundæque furi illæ videntur, verum fruſtra: nam illud tandem continget, vt ab ijs rapiatur animus domini illarum, hoc eſt illius, qui nuper eorum, quæ alteri ſuſtulerat, dominus euaſerat.

## A. ABEN EZRA.

17 *frustra autem iacitur* Cum aues retia non animaduertant, nihil illa formidant, itaut in ijs pedes defigant, escam solum, non tendiculas contemplantes: ita impij quod abripiant intuentur, cum inquiunt, omnem substantiam preciosam reperiemus, verum retia, quibus inambulant, nô peruidêt, iuxta illud, immisit in rete pedes suos. Iob, 18. v. 8.

19 *animas possidentium rapiunt* Quę rapina sublata sunt, raptorem rapiunt.

## LEVI GHERSOMITES.

15 *ne ambules cum eis* Ne vel vna vice tâtum cum illis iter habeas, ne illorum scelerata exempla in animum demittas.

*prohibe pedem tuum* ab vniuersis abstine, ad quę te pellexerint.

16 *ad malum currunt* Licet quis in rei exordio haud sibi persuadeat, hos ad parricidium iter instituere, attamen hi pręcipites aguntur ad sanguinem fundendum, cum ita criminosę insistant consuetudini, à qua ad cędem patrandam adigantur, vt paulo ante commemoraui, à qua etiam haud se cohibeant, licet nullius crimine, vel offensa petiti fuerint.

17 *frustra autem iacitur rete* iacitur autem rete absque vlla causa vt volucres irretiantur, nam licet nullam in aucupes noxam contraxerint, attamen Frustra idem ac nulla de causa.

*contra sanguinem suum insidiantur* ij auium sanguini insidiantur, tendiculasq; latentes construunt ad eorum animas .i. ad volucres capiendas.

19 *Sic semita* Ita quicunque alterius opes per scelus aufert, animam domini accipiet, .i. eum qui huiusmodi diuitijs potiebatur neci dabit, ne perniciosum hoc scelus pateflat, seu furem deprehenderit, seu violenter obstiterit, vt furem cohiberet, ne quę optabat, exportaret. Arbitror autem id, retibus expandendis per synecdochen comparatum esse, nam retibus explicandis pręcipuè id expetitur, vt volucres capiantur; deinde vero vt volucres inde alicuius generis escam petant: idemque de fure dicendum, is enim in primis opulenti necem postmodum autem diuitiarum emolumentum in votis habet. Hęc igitur omnia à Salomone pronunciata sunt, vt intelligamus horum machinationes vniuersas ad parricidium perpetrandû spectare, perinde ac si cędê in primis ij optarent, nefarij.n. huiusmodi viri prima animi molitione quemcunque repererint prohibentem ne pręstent, quę optabant, iugulaturos se decernunt.

*Libet hoc loco prætermittere commoda quæ auctor hic ex superioribus percipi declarat cum ea peculiari libro contineantur, quem latine, Deo fauente, quandoque edere meditamur.*

Vers.

## Vers. XX. XXI.

20 Sapientia [a] foris prædicat, [b] in plateis dat vocem suam:
21 In capite [c] turbarum clamitat. in [d] foribus portarũ vrbis profert verba sua, dicens.

## VARIÆ LECTIONES.

*a* *Syr. in plateis laudatur. Chal. vicatim cantat.*

*b* *Chal. de plateis. Syr. in plateis exaltat vocem suam.*

*c* *Syr. in vicorum principijs concionatur. Chal. in capite arcium præconizat.*

*d* *Syr. in aditu portarum arcium. Chald. in introitu portarum per vrbes.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *sapientia* חכמות chocmoth sapiẽtię. Sapiẽtię igitur sacrę legis foris prędicant, vt hortentur vos ad illam amplectendam. Quid autem insinuat vox foris, nisi scholas?

plateæ nomẽ non dissimilẽ habet significationem a רחב quod dilatare significat.

*in plateis* ברחבות barechouoth, in locis nimirum, vbi eam explicant, & amplificant, vt interpretatur Tanchumah.

21 *in capite turbarum* In ijs locis sapientia clamitat, vnde exaudiatur, & prędicetur, quęque mox subdentur, effatur, vsquequo paruuli &c.

*in foribus portarum* vbi Senatus residere solebat.

## A. ABEN EZRA.

20 *sapientia* Ea est horum sententia: quemadmodum ego te institui, ita sapientia improuidos ad solertiam sollicitat, quę quidem est figurata dicendi ratio.

*foris* vbi populorum frequentia, & tumultus.

3.reg.c.22.v.36.

*prędicat* תרנה taronnah, .i. clamat, vocatq; hęc .n. vox vocandi, & clamãdi vim habet, iuxta illud, הרנה harinnah & pręco insonuit.

in

*in plateis* vnde multi prætereunt, vbi etiam multi consident.

21 *in foribus* propter eos qui egrediuntur, quiue accedunt.

*profert verba sua* בעיר אמריה תאמר bahir amareha tomer. Desideratur vox institutionis, seu eruditionis. Atque is constabit sensus. sapientia in vrbe, etiam quando portæ conclusæ erunt, institutionis verba profatur.

## LEVI GHERSOMITES

### Quoad verborum explicationem.

20 *prædicat* תרנה taronnah .i. vocem suam extollit.

21 *in capite turbarum* בראש המיות beros homi ioth, .i. elata, sublimique voce clamat.

### Quoad rerum seriem.

Vniuersa igitur genera scientiæ omnium quæ existunt, vocem extollũt suam, vt a mortalibus exaudiantur verba in plateis ciuitatis.

*In textu hebræo nomini plurali verbũ singulare adiungitur.*

*dat vocem suam* vnaquæq; scientia.

*in capite turbarum* sapientia elata voce sermones ferens, mortales aduocat.

21 *in foribus* in singulis foribus ædium, quæ in vrbe sitæ sint, verba repetit sua: hæc autem eo spectant, vt diuina sapientia in rebus pateffiat admirabili quadam euidentia, cum animaduertetur incredibilis sapientiæ ratio, qua in rebus condendis est vsus. Hæc ergo plane diuina sapientia mortales sublimi voce vocat, quando in illorum animos incurret, ob naturæ impetum, & propensionem, qua singuli in hanc feruntur, vt in Canticis Canticorum a me declaratum fuit, ad illa verba, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Inquit autem, sapientiam foris prędicare, eidem multitudinis vocem tribuẽs, quod multo plura sint, quibus tanquam extrinsecis ad varia sapientię genera excitemur, quam quæ in plateis vrbis, foribusq; portarum cõspiciuntur. ideoque subdit, dat vocem suam.

### Vers. XXII. XXIII.

22 Vsquequo [a] paruuli diligitis infantiam, & [b] stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & [c] imprudentes odibunt scientiam?

23 [d] Conuertimini ad correptionem meam; en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.

VA-

## VARIÆ LECTIONES.

*a* *Syr. & Chald. inſipientes diligitis inſipientiam.*
*b* *Syr. & Chald. deriſores deriſionem appetunt ſibi.*
*c* *Chald. ſtulti.*
*d* *Syr. ſi conuertamini ad correptionem meam.*

## SALOMON ISACIDES.

22 *paruuli* פתאים petaím, qui ſeducuntur ab impoſtoribus, & hæreticis.

quid infantia *diligitis infantiam* vos ſeduci animo placido fertis, vox autem פתי pethi illud proprie ſignificat, cum quis ſibi facile imponi patitur, habetque eandem normã, quam קרי Keri, & huiuſmodi.

## A. ABEN EZRA.

22 *vſquequo diligitis infantiam* Quouſque hominum generi perſuadebitis, vt ſtolidam quandam credulitatem ament, amplectanturque.

23 *conuertimini* Vſquequo tandem conuertemini ad meas reprehenſiones audiendas!

*proferam* אביעה abihah, quod eſt eiuſdem ſignificationis, ac il-
Ecc. c. 18. v. 4. lud, torrens נובע nouehah, redundans, ſeu profluens: q. d. redundare faciam, ſeu affluenter effundam.

## LEVI GHERSOM.
### Quoad verba.

22 *paruuli* qui facile ſententia mouentur, nulloque negotio traducuntur ad quodcunque venerit in mentem, nihil prorſus cogitantes, conſentaneum ne illud ſit, an ſecus.

*ſtulti* לצים letſim, qui alios ſannis, deriſioniſq; ſermone excipiunt.

*imprudentes* כסילים cheſilim, qui ita ſe dementiæ aſſueuerunt, vt habitum ſtultitiæ hauſiſſe videantur, cũ opinionibus à veritate alienis ſint imbuti, eo quod non multum meditationis, ſtudijque in rem impenderint, vel etiam metam rerum quæ credendæ erant tranſilierint; vel denique inſipientia laborent, verſenturq; in ea rerum ignoratione, quæ prorſus à poſſeſſione ſapientiæ longiſſime arcet.

23 *proferam vobis* אביעה abihah, deducitur à נביעה neuiha. & scaturire, affluenterque emanare significat. Illa ergo huius vocis mēs erit, quid optem, velimue vobis exponam, perinde ac si ex ore meo, vel corde scaturiret id, cuius sermone meo vos conscios faciā. Vel etiam, en vobis impendam influxus mei scaturiginem.

## Quoad seriem rerum.

Per prosopopæiam ergo inquit, sapientiam hæc effari. Vsquequo vos simplices, & incauti stolidam vestram credulitatem amabitis, vosmet diuidentes ad huius sæculi res inanes, nihil prorsus inuestigantes diuinam sapientiam in ijs, quæ nobis luce pomeridiana clarius patent! vsquequo tandem subsannatores rerum omnium ludibrium amplectemini, atq; in hisce caducis operam vestram collocabitis, e quibus tantum abest, vt fructus aliquis hauriatur, vt etiā grauissima damna in rebus politicis inferant: vsquequo dementes scientiam adeo insectabuntur, nullum prorsus studium in indaganda veritate impendentes?

23 *conuertimini* à vestra viuendi consuetudine vos reuocate, measq; castigationes audite; præstabo namque, vt spiritus meus in res affluenter deriuetur, vt vobis perennes influxus inde dimanēt, ad eum modum, quo à fonte aquæ scaturiunt; quæ namque sub sensum cadunt, perspicue testantur sapientiam, qua à præpotenti Deo sunt procreata; hæc autem sapientia id à se iugiter emittit, quo solers inuestigatio mirum in modum iuuetur. Eadem ergo ratione ipsa sermones meos vobiscum communicabo.

## Vers. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

24 Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meā & non fuit qui adspiceret.

25 Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.

26 Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.

27 Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia.

## VARIÆ LECTIONES.

a Syr. Chald. *non credidiſtis.*

b *Chal. eleuaui manum meam, & non audiſtis. Syr. vocem extuli.*

c *Chald. mutaſtis conſilium meum.*

d *Syr. exultabo cum venerit ſuper vos vaſtitas, & perditio repentina.*

e *Fractio veſtra velut turbo.*

## SALOMON ISACIDES.

24 *extendi manum meam* vt innuerem illis, accedendum eſſe ad me, velut cũ quis exporrecta manu alteri innuit, vt prope aduentet.

25 *deſpexiſtis* תפרעו tiphrehu, irritum feciſtis, ſeu aboleuiſtis.

*omne conſilium meum* quod cæperam, de vobis in hoc ſæculo ad dignitates prouehendis.

27 *repentina calamitas* כשאוה chesoah .i. ſicut nubes, quæ repentino motu cietur.

## A. ABEN EZRA.

26 *in interitu veſtro* באידכם beedechem. Non abſre affirmabis hãc vocem non diſſimilem eſſe illi, איד יעלה ed iahaleh, vapor aſcendebat de terra, coinciduntque cum illis, dies caliginis, & tenebrarum. Gen. c. 2. v. 6.

*Mens huius interpretis eſt hic indicari diem tenebricoſum atque calamitoſum.*

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verba.

25 *deſpexiſtis* aboleuiſtis, cum meis conſilijs aures præbere nolueritis.

26 *repentina calamitas* כשאוה chesoah .i. ingenti ſtrepitu, ac fragore.

### Quoad rerum ſeriem.

24 *vocaui, & renuiſtis* Vos autem me deſeruiſtis, tum vt friuolis

rebus

rebus vacaretis, tum vt desidia, somnoque sepulti iaceretis, ne in obtinenda sapientia aliquid laboris impenderetis.

25 *despexistis* Omnia consilia mea irrita, cassaque reddidistis, nec meam reprehensionem pondus, vimq; apud vos habere passi estis, vt ad sapientiæ solertem inuestigationem sollicitaremini. Quamobrem id vobis rependetur, vt illa vobis auxilia denegentur, quæ vobis calamitatis, ærumnarumque tempore suppeditabantur, vt mei, sapientiæ nimirum, compotes fieretis, ob sapientiam enim mortalis peculiari diuinæ prouidentiæ munere gaudet, vt dixi lib. 4. Bellorum Dei. Hæc autem mala sunt, tum vehemens timor, tū grauius aliquid, quam verebatur, contingens.

27 *cum venerit*, Cum calamitate, ærumnisque prægrauabimini, harum in vosmet fabri eritis.

## Vers. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

28 Tunc inuocabunt me, & non [a] exaudiam: [b] mane consurgent, & non inuenient me:

29 Eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non [c] susceperint,

30 [d] Nec acquieuerint consilio meo, & [e] detraxerint vniuersæ correptioni meæ.

31 Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

32 Auersio paruulorum interficiet eos, & [h] prosperitas stultorum perdet eos.

33 Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & [i] abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. non respondebo.*

b *Chal. clamabunt Syr. accedent ad me.*

c *Syr Chald. elegerit.*

*d Chald. noluerunt.*
*e Syr. spreuerunt.*
*f Syr. comederunt.*
*g Syr. ideo conuersio insipientium.*
*h Syr. error.*
*i Syr. securus erit à multitudine iniquitatum. Chal. securus erit à timore mali.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *mane consurgent* ישחרנני iesacharuneni, .i. quærent me.

31 *comedent igitur fructus* Fructibus ergo illi scelerum suorum vescentur, adhuc vitam degentes, quando in calamitatibus versabuntur: verum in gehenna ijsdem extremum reseruatur supplicium.

32 *auersio paruulorum* משובת mesuuath .i. quod in illorum animo versatur.

*prosperitas stultorum perdet eos* Cum ij felici euentu iniquis res succedere animaduertant, eorumdem impietatem amplectuntur, neq; vnquam ad rectum tramitem reuocantur.

33 *requiescet* in hoc sæculo:

*abundantia perfruetur* in futuro.

*timore malorum sublato* iudicio inferni subductus, prospero animo, tranquillitateque gaudebit.

*abundantia perfruetur* שאנן saanan, rem futuram vox hæc demonstrat, cum ideo vocali patach insigniatur.

## A. ABEN EZRA.

Esai. 30. v. 15. 32 *Auersio* משובת mesuuath. deducitur ex illis, in quiete, & requie, coinciditque cum ijs quæ subduntur, prosperitas stultorum perdet illos. Quare hæc ita expones. Quiete sua perduntur, interimunturque improuidi; cum enim quiete alta perfruuntur, sceleribus se se obstringunt, & quando ab ærumnis mortalium securi sunt, prosperitate sua obruuntur, exterminanturue. Aliter etiam hæc lubet explanare, שלוה saluath, vim eandem habere, quam illa,

Ier. c. 12. v. 1. bene est omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt, quæ coinci-

Ecclesiast. 8. dunt cum illis, peccator facit malum centies, & per patientiam su-

v. 12. itē. v. 11 stentatur &c. ideoque absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Quæ quidem expositio in primis mihi placet.

33 *Qui autem me audierit* Hæc vniuersa sunt sapientiæ verba, iuxta illud, quod paulo ante dictum est, sapientia foris prædicat.

# LEVI GHERSOMITES.
## Quoad verba.

32 *auersio*. Fatuus hic illam instituit viuendi rationem, eamq; terit semitam, quam male suada mens præoptarit, nihil prorsus immoratus in rei contemplatione, cui studiose, seduloq; vacandum fuisset. Hæc ergo consuetudo a sapiente appellatur משובה mesuuath quasi recessus, eo quod haud diutius propositi sit tenax, modo in hoc modo in oppositum se conuertens, prout a mentis æstu abripitur.

## Quoad rerum seriem.

Per hypothiposim etiam sapientiam hosce viros alloquitur. Tūc inuocabunt me, vt opem feram, sed responsum nullum dabo: matutino tempore ad me euigilabunt, neque verò mei compotes esse poterunt, ideo enim illos fructuum meorū vbertate spoliabo, quod rerum cognitionem odio sint insecuti, neque diuinum timorem sint amplexati, quo iter sternitur, instituiturque ad scientiam comparandam. Neque vero consilijs meis acquieuerunt, vt æstuarent desiderio inuestigandæ sapientiæ, in singulis animantibus, quoad ea quæ in ipsis quodammodo latentia produntur, ac patefiunt, vt ideo à me reprehendi se non sint passi. Comedent igitur fructus viæ suæ hoc est, id denique reportabunt, vt morum suorum fructibus vescantur, saturenturq; iniqua viuendi consuetudine, cum eorum consilia eo tantum spectarint, vt hac toti imbuerentur.

32 *Auersio paruulorum* Hæc igitur erunt in causa, vt libera eligendi facultate sponte se se abdicent, scelerum desiderio æstuantes: prosperitate etiam, ac quiete, quam stulti præoptarant, ne in sapientiæ studio laborarent, ad exitium protrudentur, cum eorum conatus omnes à sapientia, prudentiæq; norma sint alieni.

33 *Qui autem me audierit.* Quod si quis mihi aures præbuerit, vt diuinæ sapientiæ contemplandę vacet, quę in rebus abstrusa est, is interritus quiescet, nam ob sapientiam, qua excultus est diuinę prouidentię peculiari quadam ratione cordi erit.

# CAPVT SECVNDVM

## Verſ. I. II. III. IV. V.

1 Fili mi, si susceperis sermones meos, & mādata mea absconderis * penes te,

2 Vt[b] audiat sapientiam auris tua:[c] inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

3 Si enim[d] sapientiam inuocaueris, &[e] inclinaueris cor tuum prudentiæ:

4 Si quęsieris eam quasi[f] pecuniam, & sicut thesauros [g] effoderis illam:

5 Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam[h] Dei inuenies.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. in corde tuo.*
*b Chald. & inclinaueris aurem tuam.*
*c Syr. & conuerteris.*
*d Chald. atque matrem intelligentiam vocaueris.*
*e Syr. & ad intelligentiam vocem tuam extuleris Chald. ad prudentiam.*
*f Syr. thesaurum. Chald. argentum.*
*g Syr. inuestigaris*
*h Chald. à facie Domini, vel à Domino.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *fili mi* filius meus eris, si sermonibus meis auscultaueris.

2 *vt audiat sapientia auris tua* vt in sacra lege laborem, studiũue impendas.

## A. ABEN EZRA.

Complectũtur hęc octo versiculorũ explanationem.

1 *Fili mi* Si verba mea audieris, fili, tunc intelliges iustitiam, & ea vniuersa quæ in libri exordio commemorata sunt, quaue ratione ad hunc gradum eueharis.

## LEVI GHERSOMITES.

1 *Fili mi* Hoc etiam loco sapientia per hypotyposim inquit, fi-

ti mi, si sermones meos admiseris, quos paulò ante habui, seruesque
penes te mandata mea, auribus sapientiæ accomodandis, vt eandem tibi à peritis compares. ab ijs ita institueris, vt illius indagandæ studio exardescas, cum a sapientia ad res proprijs causis intelligendas promouearis, vt supra memoratum est: postquam autem scientiæ compos fueris, prudentiæ assequendæ animum adiunges.

3 *Si enim sapientiam inuocaueris* Neque vero putes prohiberi te ne his, hoc est scientia, ac prudentia cumuleris, cum harum proprijs causis careas, quibus perceptis eædem obtinerentur, votorum enim proculdubio compos eris, si prudentiam inflammato studio adipisci optaueris; itaut exclames, vocemque extollas ad illam accersendam, velut cum quis amicum, cuius desiderio angatur, aduocare solet.

4 *Si quæsieris* Si etiam illam ita sedulò perquisieris, vt argentum inquiritur, eandemque ita indagaris, vt abstrusi, reconditique thesauri inuestigantur, atque effodiuntur, cum hinc, & inde terra cuniculis penetretur, vt ij tandem emergant, non dispari ratione proculdubio prudentia imbueris; nam simul colliges euulgata, perspicuaque pronunciata, quæ pertinent ad explicandam rem, quam inuestiges, falsaque à veris distingues, eamque ita erues, velut argẽtum, thesaurosque abditissimos. Illud vero seruari solet, vt locus aliquis effodiatur, quo pateat, an argentũ ibidem reperiatur; quod si ad argentum habendum parum id prodesse constet, tam sæpe idem factitatur, vt tandem emergat sedes, in qua argenti copia lateat. Idem ergo præstandum à prudentiæ studiosis, quando illius intrinsecæ causæ non suppetunt, neque fidendum ijs, quæ à negotij exordio proficiscuntur in medium, ex quibus veritas elucescat, vniuersa enim accurate inuestiganda, prorsusque sunt introspicienda, vt memoraui. Hæc igitur si præstiteris, tunc intelliges timorem Domini &c.

5 *Tunc intelliges* Dei cognitionem adipisceris, timore enim duce ad res diuinas agnoscendas promoueberis, cumque ad sublimem aliquem euectus fueris gradum agnitionis Dei existentis, tunc timore perculeris ob eiusdem singularem sublimitatem, ac dignitatem, quæ nulli alteri sit communis; atque equidem diuina ope iuuaberis in hac contemplatione, quando illi teipsum spontè, alacriterque adiunxeris, vt memoraui.

## Vers. VI, VII, VIII, IX.

6 Quia Dominus dat sapientiam: & ex ore eius [d]
prudentia, & scientia.

7 [e] Custodiet rectorum salutem, & [f] proteget gradientes simpliciter,

7 Ser-

8 [d] Seruans ſemitas iuſtitiæ, & vias [e] ſanctorum cuſtodiens.

9 Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, [f] & omnem ſemitam bonam.

## VAR. LECT.

*a Chal. Syr. ſcientia, & intelligentia.*

*b Chald. abſcondet rectis incolumitatem. Syr. ſeruat rectis ſpem.*

*c Syr. adiuuabit ambulantes abſque macula.*

*d Chal. ad cuſtodiendas.*

*e Chal. iuſtorum. Syr. piorum ſuorum cuſtodiet.*

*f Chal. omnium ſemitarum bonarum.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *Quia Dominus* Hinc ergo intelliges excellentiam, dignitatēq; ſacræ legis, cum ab ore diuino prolata ſit: quamobrem, in illa ſtudioſe verſeris, neceſſe eſt.

7 *Cuſtodiet rectorum ſalutem* תושיה tuſciiah. vox hæc legem ſignificat. Apud ſeipſum legem reſeruarat Deus per viginti ſex hominum ætates, quam tandem ijs, qui per deſerta, vaſtaſque ſolitudines oberrabant, præbuit.

Ne mireris Hebræū ita mordicus omnia ad ſuam legem trahere.

*& proteget* מגן maghen ideſt clypeus, q. d. clypei loco tibi erit.

8 *Seruans ſemitas* eius enim auſpicijs iudicij norma ſeruatur, quę eſt ſanctorum ſemita, qui ſeruabuntur, ne offendant, labāturue.

9 *tunc intelliges* Inſiſtit ijs, quæ ante dicta ſunt, ſi prudentiam inuocaueris &c.

## A ABEN EZRA.

7 *cuſtodiet rectorum ſalutem* תושיה tuſciiah. Vox hæc ob Tau paragogicum deducitur à יש ies, eſſentiāq; ſeu exiſtentiam ſignificat. Sapientia ergo eſſentiæ appellationem ſortitur, quod ſit, atque ad omnem ęternitatem duret. Hæc porro à Deo iuſtis reſeruatur, vt eius ope ſeruent iuſtitiæ tramitem, hoc eſt, præcepta diuina.

8 *Vias ſanctorum cuſtodiens* Eorum quos charos habet ſemitas

cuſtodit

custodit Deus, quemadmodum ab ijsdem iustitiæ via sedulo initur, & seruatur.

9 *tunc intelliges* Hæc vox cum duobus copulanda; intelliges nimirum, tum iustitiam, tum vniuersos rectos calles.

## LEVI GHERSOMITES.
## Quoad verborum explanationem.

8 *salutem* תושיה tusciiah. Insinuat vox hęc legem intelligibilē, quæ rebus inest, quæ quidem magis vera est in ijs quæ haud existunt quam in ijs, quæ materię formæq; concretione constant, nam aliquid esse colligitur ex materia, & forma, vt suis locis exponetur. Idem etiam alio loco appellatur יש ies, cum inquit, vt hæreditare faciam יש ies ijs, qui diligunt me. prou.8.v.21.

## Quoad rerum seriem.

6 *Quia Dominus* Deus enim mortalibus sapientiam peculiari quadam liberalitate, influxuq; concedit, cum is huius sit fons, & origo, vt in libris de anima recẽsetur, atq; exacte a me in libro Bellorum Dei expositum fuit. Ab ore ergo diuino perennes quidam influxus, ac rerum intelligentia in hominum genus ratione commemorata deriuatur.

7 *custodiet rectorum salutem* En ipse recondit תושיה tusciiah .i. legem intelligibilem existentium, eandemq; iustis reseruat concedendam, congruum enim est, vt ij soli ad hunc contemplationis gradum promoueantur, cum probis moribus sint, veritatisque, ac recte sentiendi institutionem, normamque impense efflagitent. Idem etiam Dominus clypeus erit quidam ijs, qui perfectam, & omnibus suis numeris constantem contemplationis rationem in hisce reconditis, diuinisq; rebus amplexi sint, quo ab erroribus tuti seruentur, lapsus enim vel leuissimus in grauissimis rebus mortalem lõgissime ab absolutione sui arcet. Hoc ergo beneficium peculiari prouidentiæ, qua singula curat, acceptum erit referendum.

Nimius est hic in rebus philosophicis. Quare sõnia arbitrare quæ non pertinent ad diuinam sapiẽtiam nisi forte sentiat, beneficium hoc peculiare esse diuinæ beneficentiæ, vt rerum cognitione exornemur.

8 *seruans semitas iustitiæ* Idem Deus hunc instituet ad illum tramitem ineundum, quo ad iuste agendum, & ad veritatem deducatur, quo quidem in negotio tanquam clypei munimentum à Deo exhibebitur.

*& vias sanctorum custodiens* Custodiet Deus tramitem illorum, quos beneuolentia compectitur, seruabitque, ne in hisce contemplationibus, studijsque erroribus implicentur, labi .n. facile contingit, seu cum quæ rei accidunt extrinseca, substantiæ loco, vel eius quod simile sit, accipiuntur, seu cum ob id quod in mentem venit, uel ob similitudinem, ac deinique quodlibet aliud erroribus inuoluimur.

9 *tunc intelliges* Cum igitur ita te gesseris, ac res diuinas meditatione intenta adeptus fueris, vt diximus, inde instrueris, vt in ciuili philosophia progressus facias, cuius ope in ijs quæ pertinẽt ad iustitiã, æquitatem, ac iudicium apprime instructus euades. ac prætereа honesta morum conformatione imbueris Cuius origo ea est; cum nimirum diuinæ charitatis, pietatis, iustitiæq; rationes tibi cõstiterint in ijs, quæ à diuina prouidentia in orbem superiorem, medium, ac infimum deriuantur, inde futurum, vt diuino tramiti obeundo prono affectu assuescas, Deo opem ferente, vt via, ordoque ineatur, quo ad absolutionem aliquam in hac philosophia proueha-mur.

## Vers. X. XI. XII. XIII. XIV. XV.

10 Si [a] intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuę [b] placuerit:

11 Consilium [c] custodiet te, & [d] prudentia seruabit te,

12 Vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur:

13 Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas:

14 Qui lætantur [e] cum male fecerint, & exultant [f] in rebus pessimis.

15 Quorum vię peruersę sunt, & [g] infames gressus eorum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. si introduxeris.*

*b Chal. iucunda, delectabilis fuerit.*

*c Syr. cogitatio bona.*

*d Syr. prudentia iustorum liberabit te.*

*e Syr. male agendo.*

*f Syr. in peruersione mali.*

*g Syr. Chal. peruersæ semitæ eorum.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *consilium* hoc est lex diuina.

12 *qui peruersa loquitur* ij quibus necdum diuina lux affulserat veritatis, vel hęretici Israelitas ad impium idolorum cultum adigentes, sacramq; legem ad prauos sensus detorquentes,

15 *infames gressus* נלוזים nelozim. נלז naloz vbique in sacris litteris obliquum, seu peruersum significat, semperque coniungitur cum voce עקש HiKes, atqui עקוש Hikus curuum, tortuosumq; significat, vt testantur illa, ponam praua, atq; obliqua in recta. Illorum Esai.42.v.6. ergo sunt vię peruersę, qui obliquũ, tortuosumq; iter ingrediuntur.

## A. ABEN EZRA.

10 *si intrauerit* ita ad te sapientia diuertet, quemadmodum quis ad proprias ędes se reuocat.

*si* כי chi, idest quando.

*placuerit* ינעם ynham masculea voce, ad normã illorũ, דעת לנבון נקל dahat lenauon naKal, vbi nomen fęmineum cum masculea voce coniungitur.

11 *prudentia seruabit te* vt à muliere aliena, atq; à praua scelesti via subducaris.

12 *qui peruersa loquitur* sermonis prauitas, seu peruersitas est, quando is apta conformatione caret.

13 *relinquunt iter rectum* qui nefariam vitam, vitiorum obliquo calle incedentes, ducunt.

14 *in rebus pessimis* בתהפכות רע bethaphucot rah .i. in rebus peruersis, (adde viri) scelerati.

15 *infames* .i. obliqui, sinuosiq; gressus per varios anfractus.

## LEVI GHERSOM.

### Quoad verborum explanationem.

14 *in rebus pessimis* בתהפכות רע bethahpucoth rah', in peruersis rebus (supple viri) nefarij.

15 *infames* נלוזים nelozim idem ac עקשים hiKesim .i. flexuosi, varijque sunt eorum gressus.

### Rerum series.

10 *si intrauerit* quando sapientia in animum tuum immigrarit, ex quo illi addiscendę multum studij impenderis, vt paulo ante di-

dictum est, ei nimirum auribus attentissimis prębendis, tum scientia iucunda tibi, summopere delectabilis erit.

11 *Consilium custodiet te* sapientia quæ excogitaris, quæq; animo versabis ita moderabitur, ne ab ijs captus in ijs quæ vel ad sapientiam, vel res diuinas, vel ciuiles pertinent, imprudenter labaris.

*prudentia seruabit te* ne in ea erres, vel cogitationibus deceptus, vt diximus, vel ob aliquid aliud, vt mox subdetur. Illud pręterea insinuant ista.

*prudentia seruabit te* a prudentia quam adeptus fuerit sis, post sapientiam, te seruatum iri, ne in rebus hisce grauissimis erroribus impliceris, vel quoad diuinam prouidentiam, vel quoad huiusmodi, in quibus nullo negotio fallamur, ex quo fit, vt mortalis à sui absolutione maxime arceatur.

12 *Vt eruaris à via mala* prudentię vero id incumbet, vt te seruet à minus idoneo ordine ineundo in disciplinis philosophicis ad discendis; in deuia na mq; nos abduci contingit vel ob similitudinem, vel ab excogitandi, atq; imaginandi facultate. Eiusdem etiam erunt partes, vt te subducat à peruersa loquente, qui nempe diuinū nomen obtendens, mentitur; atq; etiam ab iis qui relinquunt iter rectum, tenebricosam viam ineuntes quoad opiniones, ac animi sensa; quod quidem euenit, cum pronunciatis quibusdam insistant, quibus adigantur ad inficianda quę sub sensum cadunt; quemadmodum accideret ei, qui res inficiaretur existere, ob aliquod axioma, quod animo imbuisset, is grauissime erraret, nullumq; esse rerū auctorem, sed quę efficiuntur, fortuito, casuue fieri affirmare cogeretur. Illi igitur tenebris obsito calle incedunt, qui res maxime claras, veritatem nimirum, & rectitudinem e medio tollunt.

14 *lætantur cum malefecerint* Mortales igitur, qui sceleribus se se contaminandis, belluinisq; cupiditatibus consectandis gaudio per funduntur, nefariorum sceleribus vehementissime delectantur, plaudun tq; cum de diuinis rebus, philosophicas quasdam causas in medium proferunt. Atq; si quis exempli gratia Deum non esse statueret, pęnam etiam, præmiaque tolleret, scelestisq; iter sterneret, vt totos sese in crimina effunderent, nullis e pęnę obnoxios esse iudicantes, atque adeò criminibus scelesti, ac mendacijs eius à quo in errorem pertra hantur, mirum in modum gaudent.

15 *quorum viæ peruersæ sunt* tibi etiam opem feret, ne eorum itineri flexuoso te committas, qui opiniones à veritate alienas amplectuntur, ac tuentur.

## Vers. XVI. XVII. XVIII. XIX.

16 Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ

mollit

mollit sermones suos,
17 Et relinquit [c] ducem pubertatis suæ,
18 Et [d] pacti Dei sui oblita est; [e] inclinata est enim ad
mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius.
19 Omnes qui ingrediuntur ad eam non [f] reuertentur, nec [g] apprehendent semitas vitæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. liberabit te sapientia. b Syr. peruersos habet sermones. c Chald. ducatum adolescentiæ suæ. Syr. nutricium. d Syr. testamenti, seu promissionis. e Chal. Quoniam in fouea mortis est domus eius, & ad gigantes itinera semitarum ipsius. Syr. oblita est liminis domus suæ, & itinerum semitarum ipsius. f Chal. non reuertentur in pace. g Syr. nec recordantur.*

## SALOMONIS ACIDES.

16 *a muliere aliena* ab ijs cœtibus, in quibus dęmonibus libatur, tum etiã ab hęresis contagione; quibus quidem pręcepti vis inest. Neque vero inquias, sapientem nonnisi de muliere semet impudice prostituente sermonem habuisse, quid enim ad diuinæ legis laudem accederet, cum dicitur, vt eruaris á muliere aliena, nulla cuiuspiam alterius criminis facta mentione? Nimirum indicant hęc superstitiosum cultum, atque hæresim, quibus vniuersorum pręceptorum iugum effringitur, atque conuellitur.

18 *inclinata est* referuntur hęc ad superiora, vt eruaris à muliere; cum ergo ad illius domum accedes, se tibi fæde subijciet, verborumq; lenocinio blandam se tibi, facilemq; pręstabit, tanquam decliuis, ac pręceps aliquis locus, quo ad necem trudaris; sed enim diuina lex seruabit te, ne ita decidas, quod quidem tibi perniciosissimum esset.

*ad inferos semitę eius* אל רפאים el raphaim .i. ad debilitatos, & imbecilles, ad eos nimirum qui à recto tramite aberrantes, firmoq; fulcro destituti sunt, qui tandem in gehennam misere decident. Inferni vox quomodo debilitatos significet.

19 *non reuertentur* Se .n. ab illa diuellere, atq; ad seipsos redire, graue, ac difficile arbitrantur.

## A. ABEN EZRA.

16 *Vt eruaris* Hæc ita ſunt explicanda. Quemadmodum prudentia te à nefario viro ſeruat incolumem, ita à ſcelerata muliere te ſubducet.

*aliena, & extranea* Cum recte viuendi, agendiq; rationem illa non didicerit, externæ, alienæue ſtirpis videtur.

18 *& pacti Dei ſui, oblita eſt* mulier enim cum viro diuino fœdere ſe obſtringit, ne vir in vxorem ſuam ſit iniquus, verum hęc, cum extranea ſit fœdus violauit. Alia etiam explanatio adhiberi merito poterit. Sacroſanctum ſuum nomen inter virum, vxoremque Deus interpoſuit: Illud ſi demas nihil aliud relinquetur, quam ignis & incendium.

איש אישה isc iſciah viri, mulierisq; nomina conſtãt יה quòd eſt ex diuinis nominibus; illud ergo ſi remoueatur, legetur אש es .i. ignis.

*inclinata eſt* mulier ſeipſam inclinauit ad mortem, ad ædes nimirum ſuas: verbum autem שחה ſacha, non eſt actiuum, vt multi arbitrantur, ſed neutrum, hoc eſt in nullum alium tranſiens.

*ad inferos* אל רפאים el raphaim, Mortuos vox hæc ſignificat, quaſi נרפים nirphim, ideſt, debilitatos, quod eorum vires à mulieribus eneruatæ ſint, iuxta illud, homo nudabitur, & debilitabitur.

19 *non reuertentur* qui cum huiuſmodi muliere miſcentur, ab impio tramite non reuocabuntur, nec eam ſemitam ingredi poterũt, qua animi vitam, conſequantur.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verba.

17 *ducem pubertatis ſuæ* illum qui in adoleſcentia ducem illi ſe prębuit, metaphoricos, illum nimirum cui ab adoleſcentia nupta eſt, nefarium enim eſt, vt mulier maritum ſuum cui à primis annis iuncta fuit relinquat.

18 *inclinata eſt* שחה ſacha hoc eſt, ſeipſam abiecit, ac proſtituit.

### Quoad rerum ſeriem.

16 *Vt eruaris* Eadem prudentia præterea tibi præſto erit, vt aduenam mulierem effugias, quæ quidẽ eſt appetendi facultas, nam illa homini quodammodo extranea, atque aliena eſt, cum ea pra ditus non ſit, vt homo eſt. Illa porro ſermone blanditur, vt mortales pelliciantur ad defectionem, Deumque deſerendum, ob voluptatẽ, ac delectationem, quam vis imaginatrix turpi illi actioni ineſſe demonſtrat. Hęc ergo mulier aliena, & transfuga ab eo, qui à prima vſque ętate eius dominus ſit nihil aliud eſt, quam facultas ratiocinatrix, quę in homine conſtituta eſt, vt cęteras vires ſeruorum vicem ſu-

sustinentes, imperium exerceret. Diuini verò fœderis obliuiscitur, cum illo non delectetur, vt immortalem sibi vitam demereri studeat, cum natura sua, graduq; depressior sit, & abiectior, vt ad hunc dignitatis, excellentiaque gradum pertingere possit.

18 *inclinata est enim* eius domus, atq; habitatio ad mortem, exitiumq; pertrahit, omnesq; eius semitæ ad mortuos deducunt.

19 *omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur* Nullum emolumentum ex ea relinquitur ijs, qui cum illa congressi fuerint, quique illius lenocinijs se deliniri patiuntur, viuendi consuetudinem non mutabunt, nec criminibus modum statuent, cum huius viribus, imperioq; subacti, iugiter seducantur, vt in sceleribus totos se voluptent, neque vitę tramitem ingrediantur; quisquis .n. à cupiditatibus se abripi gaudet arcetur ab ijs intelligendis acri studio, quibus ad vitã obtinẽdã dirigitur. Quãobrẽ cupiditates immoderatæ, sunt origo errãdi quoad prudentiã, mortalesq; pelliciunt ad eas opiniones tuendas, quibus resipiscentiæ fores præcludantur, nam vt exemplis agamus; qui cupiditatibus morem gerit, illud prudens, ac volens ex animi sui sentẽtia statuit, a Deo res nõ cognosci, neq; humilia hæc, & humana curari; nullum item præmium, vel pœnam esse constitutam; id .n. sibi persuadet, ne deterreatur, quin cupiditatibus suis obsequatur. Sapientia igitur, & prudentia, vt memorauimus ab hac muliere de qua sermonem habuimus nos tutos reddet.

## Vers. XX. XXI. XXII.

20 Vt [a] ambules in via bona: & [c] calles iustorum custodias.

21 Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & [b] simplices permanebunt in ea.

22 Impij vero de terra perdentur; & qui inique agũt, [c] auferentur ex ea.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. ambula ergo in via bonorum. b Syr. absq; macula. c Syr. relinquentur. d Syr. radicitus euellentur.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *vt ambules* Insistit superioribus, vt eruaris à via mala, quo scilicet

licet in bonorum semitam traducaris.

21 *habitabunt in ea* terræ hæreditatem adipiscentur futuro sæculo.

*simplices permanebunt in ea* quando impij in gehennam detrudentur.

## Castigatio.

Cæco errorem condonemus. An enim iustos cælorum beatissimis sedibus relictis, empireiq; cælestibus delicijs, ad terræ abiectas sordes colendas, remigraturos arbitreris?

## LEVI GHERSOMITES.

21 *calles iustorum custodias* insontium vias inibis, qui studiose cauent, ne alienam mulierem sectentur, ex quo is tibi fructus constabit, vt corporis incolumitatem diuturno tempore, dum vitam trahis, conserues; qui enim integritate præstant, terram diuturno tempore colent, hoc est, vitã ad longinquum spatium producent, nec .n. ab impijs ex ea migrare cogentur, quique morum probitate excultierunt, in ea diutius perseuerabunt.

22 *impij vero* impij autem tollentur è medio, rebellesq; ac contumaces radicitus euellentur, hæc vero ita contingunt, quod peculiari prouidentia Deus iustorum curæ incumbat, vt seruentur ab impietate, & calamitibus, sceleratos autem deserat, ac negligat.

## Castigatio.

Errat grauissime, qui à digna prouidentia sceleratos negligi, deseriue affirmat; an non enim Deus est, qui solem oriri facit super iustos, & iniustos?

# CAPVT TERTIVM.

## Verſ. I. II. III. IV.

1 Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.

2 Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem [a] apponent tibi.

3 Misericordia, & veritas te non deserant, [b] circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui:

4 Et

4 Et ᶜ inuenies gratiam, & disciplinam bonam corã Deo, & hominibus.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. longitudo enim dierum, & annorum vitæ addetur tibi, & pax, & benignitas, & veritas non relinquent te.* *b Syr. sed liga eas in collo tuo.* *c Syr. & inuenies misericordiam, & benignitatem, & intellectum.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *longitudinem enim dierum, & pacem apponent tibi* lex nimirum, & præcepta mea.

## A. ABEN EZRA.

2 *apponent tibi* lex nempe, & præcepta diuturnum vitæ spacium tranquillumque tibi concedent.

3 *circumda eas* Referuntur hæc ad diuinam legem, ac præcepta, misericordia enim, & veritas à Deo emittetur, à quibus ſerueris, itaut numquam à te diuellantur, quamobrem liga eas &c. hoc eſt, ne vnquam hæc obliuioni tradas. Aliam etiam patiuntur hæc expoſitionem. Tu effice, ne à pietate diuina, ac veritate deſeraris, ideoq; cirumliga eas gutturi tuo.

4 *& inuenies* ומצא vmtsà idem ac תמצא timtſa .i. reperies.

## LEVI GHERSOM.
### Quoad verba.

3 *miſericordia, & veritas* Verba hęc nihil aliud inſinuant, quam veritatis, pietatisque parentem, ac dominum, hoc eſt Deum.

### Quoad rerum ſeriem.

1 *fili mi* Sic effatur ſapientia; ne obliuiſcaris legis meæ, nempe illius, quę Moſi tradita fuit; hanc autem ſuam appellat, quod à diuina ſapientia excogitata ac conſtituta fuerit.

*& præcepta mea cor tuum cuſtodiat* vt nimirum ea addiſcas, neque à ſuo

Rabbinorũ more hæc ita interpretatur, quæ nos extincta ſynagoga ad Chriſti præcepta referemus.

á suo sensu detorqueri patiaris, imbuarisq; sapientia, quæ in rebus latet.

2 *Longitudinem dierum* Hæc tibi vitæ diuturnitatem, innumerosq; annos pręstabunt, itaut eam transilias metam, quam tibi syderum ordo, visq; constituerat; atque ita maiori tranquillitate, bonisq; cumulaberis, quam tibi ab astris constitutum esset, ob vim illis á præpotenti Deo inditam á prima eorumdem molitione: diuina namque prouidentia peculiariter eos fouet, qui diuinę legis sapientiam studiose sectantur: eadem etiam de causa calamitates, quibus ex syderum vi obnoxius quis fuisset effugiet, maioribusq; bonis gaudebit, quam quæ astrorum ordo concessisset.

3 *misericordia, & veritas* Misericordiæ, veritatisque dominus nunquam te deseret, cuius oculi assidue in te defixi erunt, vt tui curam gerant. Quamobrem tibi auctor sum, iubeoq; vt gutturi tuo circumliges pręcepta, itaut de eis assiduos sermones feras, eorūq; vim, ac mentem penetres, atque adeo in animo tuo iugiter efformentur.

4 *& inuenies gratiam* Quod si actiones tuas ad diuinæ legis normam accommodes, id reportabis, vt tum Deo, tum mortalium generi charus, acceptusque sis, cum enim illa optimam morum absolutionem contineat, eius etiam opera fit, vt a viris gratia ineatur. Quod si etiam præ viribus sapientię rationibus insistas, quę huiusmodi pręceptis inuoluuntur, optimam rationem inibis, cum Deo, virisque, in ijs vniuersis, quę in votis habueris.

## Castigatio.

Nimium tribuit hic syderum viribus, cuius ordo diuinæ prouidentię legibus sit adstrictus. Quare caute lege, duplicisq; generis hæc bona, diuinæ prouidentiæ accepta referas.

## Vers. V. VI.

5 [a] Habē fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris [b] prudentiæ tuæ.

6 In omnibus vijs tuis [c] cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

## VAR. LECT.

*a Syr. Chal. spera. b Syr. sapientiæ animi tui. c Syr. Chald. cognosce.*

SA-

## SALOMON ISACIDES.

5 *Habe fiduciam* fide Deo, nummosque liberaliter impende ad perquirendum præceptorem, à quo erudiaris.

## A ABEN EZRA.

5 *Habe fiduciam in Domino* אל el, idem ac על hal, super: hoc est Deo totus innitere. quod quidem ita intelligendum est: si pruden tia imbutus fueris, ne illi fidas, tibique persuadeas, futurum, vt ab illa ferueris, sed spem, fiduciamq; tuam in Deo collocato.
6 *in omnibus vijs tuis* in vniuersis tuis rebus, ac negotijs, tum etiã in sapientia tua Deum agnoscito.

## LEVI GHERSOMITES.

5 *Habe fiduciam* In rebus tuis solus tibi Deus ob oculos versetur, neque prudentiæ tuæ nitaris, in mentemq; cadat, sapientia tua duce, quæ optaueris te præstiturum, ac superbe iactes, ad prudentię trutinam iam me exegi, sapienterq; me gessi, itaut dubio procul quę volebam, sim inuenturus; tunc .n. diuina ope, quę in pręsenti negotio adfuisset, spoliaberis, propterea quod in tua prudentia rationes tuas defixeris; summo namque numini in primis placet, vt mortales, qui peculiari prouidentię cordi sunt, intelligant, eiusdẽ prouidentię bona omnia accepta esse habenda: at enim, qui prudentię suę nititur, diuino beneficio se non indigere arbitratur.
6 *in omnibus vijs tuis* Illud cura in vniuersis tuis actionibus, vt prępotentem Deum agnoscas. Quod quidem exemplis declarabo. Si quando re quappiam vescaris in illa Deum pręsentem contemplare, eius quippe, sapientia singularis tibi obuersabitur, tum in huius cibi effectione, tum etiam cum eam animanti vim indiderit, vt quo alitur in suam naturam transferat, ac vertat. Quodsi etiã proli suscipiendę vacabis, vim incredibilem percipies, quę à Deo seminí concessa sit a quo admirabili quadam ratione sibi simile gignatur. Ita ergo Deo semper adhęrebis, vel etiam cum corporis actionibus vacabis, ex quo fiet, vt idem tuas viuendi rationes, anxia pęne cura de te sollicitus, moderetur.

## Verſ. VII. VIII.

7 Ne sis sapiens apud temet ipsum: time Deum, & recede à malo:

8 Sanitas quippe erit [a] vmbilico tuo,& [b] irrigatio ossium tuorum.

## VAR. LECT.

*a Syr.carni tuæ. b Syr.pinguedo.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *ne si sapiens* vt verba illorum à quibus reprehensus fueris negligas.

8 *sanitas quippe erit* sapientia nimirum.

*vmbilico* שרך sarecha, idem ac שררך sarerecha, qui est vmbilicus vteri pars eminentior.

Iob.21.v.24. *irrigatio* שקוי siKKui, idem ac medulla, iuxta illud, & medulla ossium eius irrigabitur.

## A. ABEN EZRA.

7 *ne sis sapiens* Ne ita tibi sapias, vt iactabundus inquias, sapientia mea duce rectum iter capiam.

*recede à malo* à male agendo recede, tunc .n. Deus vniuersis tuis ægritudinibus medelam faciet.

8 *vmbilico tuo* Vmbilici fit mentio, cum sit neruorum præcipua sedes, atq; origo, ac per eundem sanguis ad fœtum deriuetur dum maternis visceribus continetur. Vmbilicus porro שר sar appellatur quod robur, vimq; significat, idem ac שריר וקים sarir veKaiem .i. robustus, ac stabilis.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verba.

*vmbilico* Synonimum huius est טבור tibur.

### Quoad seriem rerum.

7 *ne sis sapiens* Ne tibimet sapiens ipse videare, itaut ideo inertiæ te dedas, negligasq; præterea sapientiæ obtinendæ studiũ, id .n. multiplicis absolutionis, qua facile præditus fuisses, te reddet expertem. Verum illud tibi iugiter persuade, non multum in sapientia te profecisse, in signiq; illius parte te adhuc carere, nam hac de causa in illius inuestigatione totus semper defixus eris, teque illius abso-

solutione instrues, ac cumulabis.

*time Deum* ne illius præcepta temnas, ac labefactes.

*recede à malo* tum quoad morum institutionem, tum quoad contemplationem, si namque Deum verearis, caucbis, ne in adipiscenda sapientia error bus inuoluaris: Etenim si apud te illud præcipuũ, constantissimumq; sit, Deum reperiri, vt à sacra lege doceris, eundemq; singula, ac peculiaria mortalium negotia curare; illorumq; actiones percensere, vt eadem lex declarat, tunc grauissimorum errorum varias rationes, quoad sapientiam diuinam à te remouebis.

8 *sanitas quippe erit vmbilico tuo* à lege ipsa morbis tuis medicina parabitur, tum quoad mores, tum quoad animi sensa, quo tempore perfectum iter arripueris, alimentaq; contemplationis admittere cæperis; qua quidem in re comparari quis poterit infanti, dum matris visceribus coercetur, alimenta per vmbilici meatus, arripienti.

*& irrigatio ossium* שקוי sKkui .i. medulla. Cum etiam sapientia absolutus fueris, eadem ossium tuorum medulla erit, vt nempe pingui medulla refarciantur. Hæc autem eo spectant, ne tibi in mentem veniat postquã aliquos in sapientia progressus habueris, haud prætetea sacra te lege indigere, cum .n. huius præcipuus sit fructus, vt omnibus suis numeris vir absoluatur, quoad illorum inuestigationem, quæ contemplationi subsunt, procul dubio semper necesse erit, vt in eius meditatione exercearis, eiusdemq; præceptis obtemperes, cum ab illa in dies ad coronidem, cumulumq; virtutum promouearis, illaq; prætermittenda, virtutum absolutione spoliari contingat, quemadmodum ossa vt alantur insita medulla indigent, licet .n. cõsolidata, integraq; illa sint, si medulla careant, haud alimenta attrahent, atq; ideo labefactabuntur. & soluentur. Illa etiam afferri potest ratio, cur à Salomone dictum sit, ne sis sapiens in oculis tuis, Deum time, & recede à malo: Ne videlicet, illud tibi persuaderes, iam sapientia sum cumulatus, vt nihil præterea sacra lege opus sit, qua ad illam instituar; constantissimum .n. est, illa te semper indigere, Deumq; timendum, vt illius iussa obeantur, ita enim semper recte senties, prauasque opiniones ab animo tuo reijcies.

## Vers. IX. X.

9 Honora Dominum de tua [a] substantia, & de primitijs omnium [b] frugum tuarum [c] da ei:
10 Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua [d] redundabunt.

V A-

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. possessione. Chal. de mammona tua.* *b Syr. Chal. fructuum.* *c desideratur in hebr. & Syr. & Chald.* *d Syr. vinum scaturient.*

## SALOMON ISACIDES.

9 *de tua substantia* ex vniuersis, quæ tibi à Deo concessa sunt: quin etiam illum voce suaui, ac delectabili, honore prosequere. *de primitijs* hæ sunt oblationes, & decimæ.

## A. ABEN EZRA.

10 *redundabunt* יפרצו yphrotsu: tanta erit vini copia, vt torcularia ipsa disrumpantur.

## LEVI GHERSOM.

9 *Honora Deum* ita Deo honorem impende, vt à diuina lege preceptum est, consentanea nempe dona tribuens liberaliter sacerdotibus, ac leuitis ex omnibus primitijs prouentuum tuorum, siue fruges, siue fructus ij sint, miram enim inde vtilitatē hauries, vt instituaris, vt intelligas bona vniuersa Deo auctori, ac fonti accepta esse referenda.

10 *& implebuntur* Hæc igitur si prestiteris, præmij loco à Deo reportabis, vt fructibus tuis benedictio diuina impendatur, frumentoq; horrea tua repleantur, insuper vero in torcularibus tanta erit vini copia, quanta descripta est in paralipomenis, vt indicant illa, ex quo cæperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo & c. Illud præterea hæc indicant, quod ex prioribus intentum consequitur, pertinetque ad sententiæ huius absolutionem; esse nimirum id rationem quandam, ac semitam, cuius ope sapientiæ insistamus, quæ rebus à prima sua conditione insita sit: quod patet. si .n. Deum esse rerum auctorem, ac agere inficiemur, vt Epicurus, eiusq; sectatores affirmarunt, sapientiam etiā e rebus tollemus, neque vlla ratio relinquetur, cur inuestigemus, ex. gr. quare oculus hac ratione sit efformatus & quare humorum quibusdam generibus constet & sic de singulis, neque .n. operæpretium est, vt alicuius rei naturam inuestigemus, quā casu effectam esse, statuamus: sed .n. si affirmemus Deum agere nobis iter sternetur

2. paral. c. 31. v. 10.

ad sapientiam indagandam, quæ in rebus effectis lateat, pro cuius ratione, quam adepti erimus, Deo etiam coniungemur apud quem rerum omnium ideę reseruentur, qui etiam ex ijsdem omnia efficiat. Cum igitur singularem quandam contemplationem harum Caute lege, pfectiorum causarum obieris, si per eas Deo honorem impendere volueris, insigniores q; causas ideo excogitare studueris, quibus Deo honorem tribuere possis, id efficietur, vt horrea mentis tuæ veræ sapientiæ possessione repleantur, ita .n. institueris ad adipiscenda diuinę sapientiæ mysteria, &c.

*pauca quædam philosophica prætermissa.*

## Vers. XI. XII.

11 Disciplinam Domini, fili mi, ne ᵃ abijcias: nec deficias cum ab eo corriperis:
12 Quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. execreris. b Syr. Chal. ne tædio afficiaris. c Syr. sicut pater qui filium suum erudit.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *disciplinam* מוסר musar .i. castigationem. Si Deus ærumnis, quibus corrigaris, angi te velit, eas in primis gratas habeto.

*nec deficias* אל תקץ al taKots, quod eandem vim habet, quam illud קצתי katsethi .i. angustijs affecta sum in vita mea. Gen. 27. v. 46.

12 *quasi pater* quemadmodum parens, qui filio suo benefacere studet, quem vehementer amet, postquam illum flabello verberarit mox eundem blanditijs delinit, ita iucundiora tibi bona videbuntur, postquam vapularis.

## A. ABEN EZRA.

11 *Disciplinam* Iungenda sunt hæc cum consequentibus, beatus homo, qui inuenit sapientiam, per eam enim quis crimina cauet, atq; ideo castigationem, calamitatesq; effugiet.

## LEVI GHERSOMITES.

11 *Disciplinam Domini* quando calamitate à Deo inflicta, qua corpus tangatur, vexaberis, ne correptionem abijcias, ægreque feras ita,

ita. n. fructu careres, cuius gratia sis castigatus. Ne inquam diuinam castigationem respuas, quem enim diligit Dominus, corripit.

12 *Quem enim diligit Dominus, corripit* Cum Deus amore aliquem complectitur, cum illo parentis mores vult induere, qui filium beneficij loco reprehendit, ac castigat. Id ergo si præstes inde id tibi emolumentum constabit, vt actiones tuas, animiq; sensa exacte trutines, ac scruteris, itaut inde perspectum habeas, correptum te fuisse, ne piaculis te obstringeres, vt testantur illa, reuelabit quoque aurem eorum propter correptionem: & loquetur, vt reuertantur ab iniquitate.

Iob. 36. v. 10.

## Verſ. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII.

13 Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui [a] affluit prudentia:

14 Melior eſt [b] acquiſitio eius negotiatione argenti, & [c] auri primi, & puriſſimi fructus eius.

15 Precioſior eſt [d] cunctis opibus: & [e] omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.

16 Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria.

17 Viæ eius, viæ [f] pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ.

18 Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam: & qui [g] tenuerit eam beatus.

## VAR. LECT.

*a Syr. inuenit prudentiam. b Syr. Chal. negotiatio. c Chal. auro conflato. Syr. auro purgato, vel auro probatiſſimo precioſores fructus eius. d Syr. lapidibus precioſis. e Syr. nihil eſt quod comparetur ei. f Syr. Chal. ſuauitatis. g Chal. qui occupantur in ea.*

## SALOMON ISACIDES.

13 *& qui affluit* יפיק iaphiK i. educit, qui nempe alios ſapientia imbuit illā ore ſuo in mediū adducit, tāquā ſi cōcluſa, latenſq eſſet.

14 *melior*

14 *melior est acquisitio* in permutationibus vniuersis cum negotia,mercimoniaq; mortales exercent,accipit alter, quod ab altero præstetur,quo idem careat; verum cum quis socio inquit , quod studio assecutus es recita,& ipse mea pariter referam, vterque suis rebus non caret

*auri primi* חרוץ charuts,auri genus est.

15 *omnia quæ desiderantur* כל חפציך col chaphatsecha,hoc est,quæcumque in votis habueris.

*non valent comparari* לא ישוו lo ijsuu .i. non erunt paria : haud siue æqualitatem,siue precium pecuniæ attendas,paria erunt.

16 *in dextera eius* Hæc illis obtingent,qui dextre in ea versantur laboribusq;rite funguntur,vt illam suis tantum illecebris quærant, hi enim vitæ diuturnitatem,multoq; magis diuitias , ac dignitates obtinebunt:Qui vero sinistro calle gradiuntur,cum labores obeant haud tamen ad eiusdem nomen,ac dignitatem,ab eadem nihilominus diuitias,gloriamq; reportabunt.

18 *Qui apprehenderint eam* מחזיקים machaziKim,hoc est , qui eā obtinuerint,non dissimili ratione ab illis , extendit manum suam , & tenuit eam. Exod.4.v.4

*Qui tenuerit eam* תמכיה tomecheha .i. qui ad illam prope accesserint,is .n. semper est vsus vocis huiusmodi quæ in hoc libro vsurpatur,vt apprehendere,ac obtinere,atq; prope accedere significet.

## A. ABEN EZRA.

13 *Qui affluit prudentia* יפיק iaphiK. Qui postquam prudentia imbutus fuerit,eam in vulgus prodit.

15 *quæ desiderantur* .i. quodcunque expetieris.

*non valent comparari* לא ישוו lo ysuu. Quod eiusdem est normæ,ac illud haud regi vtilis est , nec vlla in existimatione habendus populus hic,cum dissipatus,profligatus,abiectusq; sit. Ecc.3.v.[illegible]

16 *diuitiæ & gloria* Indicant hæc à sapientia ad duos hosce gradus mortalem promoueri.

17 *pulchræ* נעם noham .i. delectabiles, à quibus is voluptate perfundatur,quæque iucundæ accidant.

18 *lignum vitæ* tanquam lignum vitale,cuius fructibus qui vescitur ad multos annos vitam producet.

*Qui tenuerit eam beatus* beatus ille qui hanc non deseruerit,vulgatum enim est illud,à sapientia viro, qui est paruus quidam mundus vitam afferri.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verborum explanationem.

14 *acquisitio* סחרה sachraha , negotiatio eius melior est argenti

mercatura; mercator enim per varias terras discurrit, vt merces quas cupit inueniat, ideoq; inquit, satius esse varias terrarum plagas obire, hinc atq; inde se transferre ad prudentiam capescendam, quã ad argentum exquirendum.

## Quoad rerum seriem.

13 *Beatus* Quam fœlix est q. diuinã sapientiam in rebus rimatur, prout virili imbecillitati licet? beatus etiam qui prudentiam ex cordis arcanis exerit, rationibus paulo ante memoratis.

14 *melior est acquisitio* סחרה sach raha; negotiatio eius. Cura, & diligentia ad sapientiam inuestigandam longe præstat solertię, qua argentum conquirimus, quod ad corporis vitam sustentandam conducat: eiusdem etiam fructus auro sunt prętantiores.

15 *preciosior est cunctis opibus* מפנינים mippenijm .i. vnionibus. Eadem vero cunctis gemmis est preciosior, & vt paucis perstringam, quæcumque ab hominum genere appeti solent, haud cum illa sunt conferenda.

*quæ desiderantur* חפציך chaphatsecha. Insinuat vox hęc res alias, quæ à mortalibus anxie optantur, quæ omnia si cum illa compararentur nullius pæne sunt momenti. Referri etiam hæc possunt ad sacram legem, quod quidem verisimilius est: quare ea erit mens. Beatum illum in primis esse, qui sapientiam à lege insinuatam adipiscetur, ter etiam beatum illum, qui prudentiam ab eadem commonstratam in medium afferet, à sacra namque lege vniuersa quasi quibusdam nutibus adumbrantur, vt in pentatheuco exposuimus.

16 *longitudo dierum in dextera eius* In legis dextera est dierum lõgitudo, hoc est vita nullo vnquam fine circumscripta, quæ illi accepta est habenda, vt ideo eiusdem dexteræ adscribatur. Id autem euenit, cum per eam prudentiæ, ac sapientię compotes euadamus, deinde vero posteriori quasi cura & fine, diuitias, & gloriam eiusdẽ opera consequamur; à diuina namque prouidentia, quę peculiari quadam ratione in mortalem versatur ob legem ipsam, corporis & bona, fortunęque cõceduntur, vt in sacris voluminibus aperte cõstat.

17 *viæ eius, viæ pulchræ* diuinæ legis semitæ, & instituta hominibus summopere iucundę, suauesq; accidunt, neque .n. onus aliquod imponitur, quod graue, molestumq; fit, sed quæcumque præcipiuntur, monenturq; natura sua grata, optandaq; sunt, non vt gentium, barbarorumq; decreta, quibus grauissima iubentur, cum etiam proprios liberos idolis exurere cogerentur.

*& omnes semitæ illius pacificæ,* quod legis diuinæ instituta animo, corporiq; pacem, ac tranquillitatem afferant, cum per ea, vt explicatum est ad animi, corporisq; incolumitatem instituamur.

18 *lignum vitę* lex ergo est arbor vitalis ijs à quibus apprehendetur,

detur,qui ſcilicet ſedulam nauabunt operam, vt illam integre ſeruent,iuſſaque exequantur,varia ſcrutentur eiuſdem ſenſa, exploratas denique habeant rationes ſapientiæ,quibus ad eandem promoueantur.

*Qui tenuerit eam beatus* beatus erit qui legem ſacroſanctam tuebitur, vt in illius cauſis indagandis ſtudioſe verſetur,hunc enim fructum reportabit,vt illius menti aſſequendæ aſſueſcat, nihilq; quod ad eandem pertineat,leuis momenti arbitretur,nec in ijs ita perfunctorie excurrat,quemadmodum in rerum euentis percenſendis ſolemus,veluti; cum alteri hiſtoriam narramus:at enim,diligenti cura is omnes eiuſdem rationes verſabit,vt eius fiat compos,mentemque pænitus perſpectam habeat;quod eodem recidit, ac ſi diceres, anxia cura ab illo ſingula,quæ ad eandem ſpectant perpendi oportere,quare nimirum hæc dicendi formula ſit vſurpata,quare hęc verborum ſeries alteri ſit adiungenda;cum enim hæc ille pręſtiterit,eā obtinebit,atq; ex eadem ſibi prudentiam expiſcabitur.

## Verſ.XIX.XX.

19 Dominus ſapientia [a] fundauit terram, [b] ſtabiliuit
cælos prudentia.
20 [c] Sapientia illius eruperunt abyſſi, & [d] nubes rore
concreſcunt.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. poſuit fundamenta. b Chal. præparauit. Syr. ordinauit vel ſtabiliuit. c Syr. ſcientia eius diſrupti ſunt abyſſi. d Syr. nubes rorem diſtillauerunt.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *concreſcunt* ירעפו yrhaphu,idem ac יטיפו iatiphu .i. ſtillabunt

### Caſtigatio.

Nimius eſt in legis commendatione de more Rabbinorum, hæc vniuerſa ad legem referens,itaut per eam vniuerſa condita ſint,eadem ſit ſapientia,& deniq; diuinæ prudētiæ partes ſuſtineat,quod vt aperte repugnat theologorum ſcitis,ita prorſus eſt fabuloſum.

## A. ABEN EZRA.

19 *Dominus ſapientia* diuinæ ſapientię laudes, dignitatemque,

 perſe-

persequitur, per quam orbis superior sit procreatus.

20 *eruperunt abyssi* vt inde feris, volucribusq; potus preberetur.

## LEVI GHERSOM.

19 *Dominus sapientia* Cum laudibus sapientiam, prudentiam, scientiamq; sit prosecutus, in presentia declarat quid ex vnaquaque consequatur, quaue de causa hæc sint laudibus efferenda, ac inquit, Dominus sapientia fundauit terram &c.

*fundauit terram* Huiusmodi autem fundamentum haud aliud est quam quod indidit naturæ rerum naturalium, quas in rerum vniuersitate effici voluit. Sapientie igitur auspicijs benigno influxu naturam rerum, quo die condite sunt, quæque ad easdem spectant suis limitibus, ac facultatibus instruxit: quod autem solerti contemplatione quoad easdem percipitur à mortali, sapientiæ appellationem habet, cum in illis id animaduertatur per proprias, intrinsecasq; causas, vt si inquias, calorem calefacere, hominem ab homine generari.

*stabiliuit cælos prudentia* spectat id ad illa, que cæli moli tribuuntur, cum à nobis remota sit, quoad syderum magnitudinem, que motu cientur; quoad varias orbium inclinationes, atq; adspectus, qui cum astris circumferuntur, quoad motuum varietatem, modo in lõgitudinem, modo in latitudinem, ex quibus variæ rerum successiones existunt, iuxta astri motum, quod nobis spectandum se prebet, ex quibus varij etiam sunt euentus in sublunari hac mole, vt declarauimus lib 5. de bel is Dei. Hęc autem vniuersa prudentiæ, ac intelligentię appellationem sortiuntur, cum quæ ex ijs contingunt, illis dissimilia sint, quę ex intrinsecis, proprijsque causis efficiuntur, calefaciunt enim, cum caloris vi careant, frigorisq; expertia frigore afficiunt, idemque dicendum de vniuersis quę ab ijsdem ortum ducunt.

20 *sapientia illius eruperunt abyssi* Ideo autē Deus erumpere abyssum, atq; ab ęthere rorem defluere statuit, quod hęc maxime conducant ad huiusce sublunaris partis constitutionem, si enim abessent, germina, atq; animantia conseruari nequirent &c.

## Castigatio.

Tres voces, quibus vtitur sapiens, sapientiæ quoad terram, prudentiæ seu intelligentiæ quoad cęlum, scientię quoad abyssi eruptionem Rabbinus hic refert ad hominis agnitionem, cuius origo rebus ipsis insit intelligendis: ad rerum ergo cognitionem vult nos promoueri in terra quidem ex proprijs, in cæli machina ex extrinsecis, in cęteris vero ex quadam causarum inspectione: sed enim ineptum pene se philosophum præsefert in diuinorum voluminum

me-

meditatione, tresque illæ voces ad ipsum rerum auctorem Deum pertinent, qui harum sit fons vberrimus.

## Vers. XXI. XXII.

21 Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Custodi [a] legem, atque consilium:

22 Et erit vita animæ tuæ, & gratia [b] faucibus tuis.

## VAR. LECT.

*a Chal. custodi scientiam, & consilium. Syr. ad custodiendum doctrinam meam, & consilium meum. b Chal. collo tuo. Syr. collo tuo charitas, seu pietas.*

## SALOM. ISAC.

21 *ne effluant* יזלו ialuzu, ne vnquam ab oculis tuis transuersa esse velis, itaut à conspectu tuo abesse patiaris.

22 *erit vita animæ tuæ* diuina namque lex est arbor vitalis. *& gratia faucibus* quod inter laudes eius recensetur, vt paulo ante, & erunt torques collo tuo.

## A. ABEN EZRA.

21 *ne effluant* יזלו ialuzu iuxta grammaticæ canones dicendum fuissent תלוזנה talozena voce verbi fæminea, cum sermo habeatur, de lege, & cogitatione: idemq; esto iudicium de illis ויחמו הצאן viachamu hatson greges incaluerunt. Gen. 30. v. 38.

## LEVI GHERSOM.

21 *ne effluant* ne abscedant à tuo conspectu, sapientia nimirum, & cogitatio, sed has semper solerter custodi. Conserua animo legem idealem, atq; intelligibilem, quæ inde tibi prouenit; cogitationem etiam, qua ad hãc obtinendam proueharis, serua, vt veritati subinde quoad illius rationes insistas.

22 *& erit vita animæ tuæ* Sapientia, & cogitatio animo tuo vitam afferent, cum hæc nihil aliud sint, quam quæ vir intelligit, atq; intelligendi habitus, qui postquam corporis ergastulis animus fuerit solutus, haud aboletur, sed cum ipsa mente conseruatur: per easdem præterea gratiam ab hominum genere inibis.

## Verſ. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.

23 Tunc ambulabis [a] fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget.

24 Si dormieris non timebis; quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus.

25 [b] Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.

26 Dominus enim erit in [c] latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne [d] capiaris.

## VAR. LECT.

*a Chald. in ſpe in vijs tuis. Syr. cum ſpe. b Chal. non timebis à pauore, & repentino caſu, & à calamitate impiorum cum venerit. Syr. & non pauebis à timore repentino, & ab impetu peccatorum. c Chald. in adiutoriū tuum. Syr. tecum. d Syr. ne venatione capiatur.*

## SALOMON ISACIDES.

23 *impinget* תגוף tiggoph offendendi, impingendiq; vim vox hæc habet, vt illa, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, item antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. Ier, 13. v. 16.

24 *quieſces* cum ſomno vacaueris, tranquillitate frueris, nihil .n. à repentino terrore pauendum erit.

25 *& irruentes* משאת miſſoath, haud calamitatem formidabis, quam flagitioſi ſubibunt.

26 *in latere tuo* בכסלך bechiſlecha, erit tibi præſidij loco, quo ſecurus degas. Aliam etiam lubet afferre explicationem בכסלך bechiſlecha, hoc eſt, in quibus deſipere videberis, præſto tibi Dominus aderit. Quod quidē ex Thalmud Ieroſolymitano à me petitum eſt.

## A. ABEN EZRA.

23 *non impinges* תגוף tiggoph .i. non impingere facies, eſt enim verbum actiuum, cuius actio ad aliud progrediatur], is vero ſenſus erit. Quando legem addiſces, non erit cur ad petram pedem offendere facias.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verba.

26 *in latere tuo* בכסלך bechislecha .i. in ijs quæ speraueris, adspirabit tibi Deus.

### Quoad seriem rerum.

23 *tunc ambulabis* Ob hæc igitur, sapientiam nempe, & prudentiam singulari prouidentia diuina foueberis, itaut quando viç te commiseris, haud offendas.

24 *si dormieris* Cum etiam iter habueris haud obuias feras, vel latrones formidabis, quin quieti te tradens, iucundo sopore frueris.

25 *Ne paueas* Ne formidine obruaris, veritus futurum, vt grauissimis calamitatibus, quibus ad exitium detrudaris, repente occuperis nihil etiam ex irruptione impiorum, cum forte se se effuderint, tibi verendum erit.

26 *in latere tuo* Aderit tibi Deus, tuebiturq; in ijs, quibus eidem fretus fueris, quæq; ab eodem speraueris, ac cauebit ne hisce calamitatibus impliceris.

### Vers. XXVII. XXVIII.

27 Noli ^a prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac:

28 Ne ^b dicas amico tuo: Vade, & reuertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. ne desinas facere bonum, dum valet manus tua ad faciendum. Syr. ne te cohibeas à benefaciendo, dum id manus tua præstare potest. b Syr. quando habes, ne dicas.*

## SALOMON ISACIDES.

27 *noli prohibere* si amicum indigentibus beneficio prosequendis intentum videris, ne illum prohibeto.

*si vales, & ipse benefac* בהיות לאל ידיך לעשות bhihioth leel iadecha lahasoth .i. cum fuerit facultas manui tuæ ad faciendum, .i. quando in tua potestate erit, vt illum remoreris. Aliam etiam ad hibe explicationem.

Ne-

*Noli prohibere* Ne ab inope eleemosinam cohibeas, cum facultas tibi suppetet illius exhibendę; quo liberalitate in pauperes vti possis; nam forte tempus erit, cum id præstare manus tuę non valebunt.

amic' & pauper idē sūt.

27 *ne ditas amico* hoc est, pauperi.

*cum statim dare possis* יש אתך ies ittach, est apud te, quod præbere possis. Rabbini vero illa, vade, & reuertere, de mercenarij mercede non retardanda interpretantur.

## A. ABEN EZRA.

Mens auctoris est, ne pauperi, qui beneficiū iure suo exigat, illud deneges: vel ne beneficū cohibeas, qn benefaciat.

27 *qui potest* בעליו baha'au .i. dominus eius, nempe beneficij, qui est tum pauper, tum beneficus.

28 *vade, & reuertere* est enim id non leue contemptus alterius argumentum.

## LEVI GHERSOM.

duplex indigentiæ genus tum externorum bonorū, tum eorum quibus mens imbuitur.

27 *noli prohibere* Mox hortationem sapiens aggreditur, inquiēs noli prohibere beneficiū מבעליו mibahalau .i. a domino suo, ab eo nimirum qui illo sit dignus, si in tua situm sit facultate, vt id præstare possis. Hæc autem adhortatio tum ad res ciuiles, tum ad contēplationem pertinet; nam quoad illa quę mentis vi comprehenduntur hortatur, ne discere cupienti opportuna, doctrinam denegemus; si .n. quis ob dubitationem aliquam hæreat, moxque te conueniāt, vt hoc beneficium à te reportet, ne illi respondeas, vade, & reuertere, cras dabo tibi, sed statim quæstioni satisfacito, cum possis, isq; beneficio prorsus non sit indignus.

## Vers XXIX. XXX.

29 Ne[a] moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

30 Ne[b] contendas aduersus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.

## VAR. LECT.

a *Chal. ne cogites contra proximum tuum, cum ipse habitet tecum in pace. Syr. qui sedet tecum in quiete.* b *Syr. ne litiges cum homine absq; causa.*

## SALOMON ISACIDES.

29 *ne moliaris* תחרוש tacharos .i. ne cogites: neque vero hæc est pro-

propria acceptio hujus vocis, proprie .n. significat, cum quis terrã tempore seminis iaciendi præparat, .i. arat. Non dissimili ergo ratione qui perniciem alteri meditatur, secum ipse locum artium suarum reuoluit, qua nempe ratione se gerat, quidue præstet.

30 *ne contendas aduersus hominem* vt eum insimules, calumnijsq; appetas.

*cum ipse* חנם im, si ipse nihil mali tibi reddidit, si diuinum præceptum diuina lege cautum, de diligendo proximo tuo, sicut te ipsum, non violauit, eum enim qui sceleratus sit odisse licet.

## Castigatio.

Caue credas somnianti, ac errorem detestare, quem Christus Iudæis obiectabat, qui sibi fas esse persuadebant, hostem odio sectari; odisse namq; vitia licet, non hominem.

## LEVI GHERSOMITES.

29 *ne moliaris* Ne cogites, vel sedulo cures calamitatem sodali tuo inferre, cum absq; vlla fraudis suspicione is tecum fidenter diuersetur, id enim turpissimum est.

30 *frustra* חנם chinnam .i. sine causa, cum nulla te iniuria damnoue affecerit, nam abiecti hominis est alteri infensum esse, cũ eoq; contendere, præsertim si nulla causa subsit.

## Vers. XXXI. XXXII.

31 Ne æmuleris hominem [a] iniustum, nec [b] imiteris vias eius.

32 Quia [c] abominatio Domini est omnis illusor, & cum [d] simplicibus sermocinatio eius.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. raptorem. Syr. iniquum. b nec placeant tibi omnes viæ eius. Chal. nec velis. c Syr. quia pollutus est iniquus coram Deo. Chal. quia amandatur à Deo iniquitas. d Syr. Chal. cum rectis colloquium.*

## SALOMON ISACIDES.

31 *ne æmuleris hominem iniustum,* vt eius exemplo male agendo assuescas, licet ei prospero successu cuncta euenire animaduertas, nã

32 *illusor* נלוז naloz .i. qui per deuia transuersus agitur, Deo prorsus est inuisus.

*& cum* את eth idem ac עם him .i. cum.

## A. ABEN EZRA.

32 *cum simplicibus sermocinatio eius* סודו sodò. eius arcanum: probis Dominus arcana sua, consiliaq; patefacit, qua nimirum calamitate impium vexari statuerit.

## LEVI GHERSOM.

### Quoad verba.

*illusor* נלוז naloz .i. qui ab opportuno itinere deuiat.

### Quoad rerum seriem.

31 *ne æmuleris* Ne desiderio inflammeris illa præstandi, quæ impius, vt alios inique diuexes; neq; etiam aliquos huius mores amplectaris, inde .n. te comparabis, vt ijsdem te criminibus obstringas, quibus ille, nam ex. gr. violentus quispiam & iniquus munus egregium regi, vel principi deferet, vt ab ijsdem honoribus cumuletur: si quis alius idem præstare velit, nec par sit facultas, vt alios per fraudem circumueniat, ac violenter opprimat, necesse erit. idem etiam continget quoad cæteros huius mores, cum sceleratus sit, & violentus.

32 *quia abominatio* Abominatur ergo Deus נלוז naloz .i. flexuosum iter ingredientem, qui nimirum haud rectus, probusq; est, & contra vero cum iustis peculiari necessitudine coniungitur.

## Vers. XXXIII. XXXIV. XXXV.

33 ᵃ Egestas à Domino in domo impij: habitacula autem iustorum benedicentur.

34 Ipse ᵇ deludet illusores, & ᶜ mansuetis dabit gratiam.

35 Gloriam sapientes ᵈ possidebunt: ᵉ stultorum exaltatio ignominia.

## VAR. LECT.

*a Syr. maledictio Dei. b Chal. illusores propellet, Syr. deturbabit, & perdet. c Chal. humilibus. Syr. in sapientes misericors erit. d. Syr. hæreditabunt. e Chal. stulti suscipient tribulationem. Syr. dolorem.*

# SALOMON ISACIDES.

34 *ipse deludet illusores* mortalis qui horum vestigia sectatur, ipse etiam tandem delusor efficietur. interpretat hæc de viris, non de Deo.

*mansuetis dabit gratiam* Quod si cum modestis, humilibusq; consuetudinem habeat, id deniq; adipiscetur, vt eius actiones vniuersis vitæ vsuram habentibus charę sint, & iucundę.

35 *stultorum exaltatio* כסילים מרים chesilim merim stulti exaltant ignominiam: stultus ignominiam velut pro parte sua sibi aufert, & segregat.

## A. ABEN EZRA.

33 *egestas* מארת meerat, vox hęc deducitur ab ארור arur .i. maledictus, sed tamen egestatem, rerumq; inopiam significat.

34 *ipse illusores* versiculus hic pendet à superiori, לצים letsim vero derisores proprie significat.

*deludet* יליץ ialits, vox desūpta ex illis, ꝙ per interpretem loquetur, alloquendiq; vim habet: quare is erit sensus, præpotens Deus iustorum habitacula benedictione prosequetur, quando derisorem alloquetur, hortabiturq;, vt à deludendi vitio abstineat. Gen.42.v.23

*mansuetis* ijs autem qui alios reprehendunt, concedet Deus gratiam, hoc est, apud vniuersum hominum genus eis Deus gratiam conciliabit.

*mansuetis* ענוים hanauim .i. ijs, qui propterea quod sannis excepti, derisiq; sint, abiecti videantur. Aliud etiam interpretationis genus in medium adducam, Si delusores Dominus alloquatur, debitam pęnam ab ijs rependet, humilibus autem gratiam concedet, non dissimili dicendi forma ab illis, gratia, & misericordia cum illis.

35 *gloriam sapientes possidebunt* Hos Deus hæreditate gloriæ, splēdorisq; diuitiarum donabit; stulti autem ignominiam in se ipsos eleuabunt, quia sibi artifices erunt, vt à cæteris ludibrio habeantur.

*exaltatio* כסילים מרים קלון chesilim merim Kalon, stulti eleuant, extolluntq; ludibrium; hic de vnoquoq; stulto sermo habetur, non dissimili dicendi ratione ab illis iusti .i. iustus, vt leo confidit, vbi nomini pluralis numeri adiungitur verbum singulare. Aliter etiam hęc expones, stultus extollit, & honore prosequitur (supple virum) ignominiosum, eadem dicendi norma, qua illa באזדון ba zadon, venit superbia, vbi desideratur vox viri.

## LEVI GHERSOMIT.

### Quoad verba.

35 *stultorum exaltatio ignominia* כסילים מרים קלון chesilim merim

 Ka-

kalon .i. ignominia, & probrum stultos suscipit, & euehit. vel etiã sermo erit de singulis stultis q. d. vnusquisq; stultus pr§ sua vecordia exaltat, extollitq; ignominiam.

## Quoad rerum seriem.

33 *egestas* מארת meerath .i. execratio diuina reperietur in domo iniqui, idem vero Deus iustorum habitationes benedictione prosequetur, inquit autẽ in domo impij, voce singulari, quod haud necesse sit vniuersos diuinam vltionem experiri, cum sępissime reperiatur flagitiosus bonis affluens; benedictione vero diuina iustorum omnium habitationes cumulabuntur, eorum nimirum qui illa sint digni, quorum nimirum peculiarem Deus curam gerat.

34 *deludet illusores* Id efficiet Deus, vt qui cæteros ludibrio habent, ac sannis excipiunt, à cæteris derideantur, cum in exitium ruent: humilibus autem, qui cæteros honore prosequuntur, & colunt, seq; ipsos demittunt, gratiam, beneuolentiamq; apud mortales conciliabit.

35 *gloriam sapientes possidebunt* illos .n. honore viri afficient, singulis stultis ignominiam sibi præseferentibus. Vel etiam hæc dicentur hyperbolicos: tanta erit ignominia, qua ob suam vecordiã notati sunt, vt ab ea amandẽtur, abiganturq; ab ea sede, in qua omnibus noti, clariq; erant.

# CAPVT QVARTVM.

## Vers. I. II. III. IV. V. VI.

1 Audite filij disciplinam patris, &[a] attendite vt sciatis prudentiam.

2 [b]Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.

3 Nam & ego filius sui patris mei, [c]tenellus, & vnigenitus coram matre mea:

4 Et docebat me, atq; [d] dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & viues.

5 Posside sapientiam, possidc prudentiam: ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei.

6 Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & f con seruabit te.

## VARIÆ LECTIONES.

*a auscultate scientiam, & intelligentiam. b Chal. Syr. quoniam doctrinam bonam. c Syr. Chald. delicatus. d Chal. dixit mihi Deus. e Syr. resideant verba mea in corde tuo. Custodi praecepta mea, & vitam, & legem meam sicut pupillam oculi. f Syr. vt liberet te. Chal. vt protegat te.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *Audite filij disciplinam patris* hoc est disciplinam, institutionẽue Dei, vobis enim concessus fuit prophæta, qui iubente Deo vaticinaretur, qui quidem diuinum quoddam os videtur.

2 *nam & ego* Quod si inquias Salomonem odio insecutum esse mortalium genus, rapinis, fædisque voluptatibus proponendis ob oculos, quæ ab animo appeti soleant, ita respondendum erit, ideo dictum esse, ego filius fui patris mei &c. Cum me amore singulari complecteretur parens, erudiretque, idcirco etiam me reprehendit, & monuit, inquiens, suscipiat verba mea cor tuum. Quemadmodum ergo hisce in rebus ille me castigauit, ita ipse eadem, quæ caueatis, propono. Alia etiam erit explicandi ratio.

*nam & ego* verba esse prophetæ, ita in oculis diuinis fui, vt spiritum suum in me conquiescere concesserit; Salomonẽ autem à Deo filij appellatione vocatum reperimus, vt testantur illa, ego ero illi in patrem &c. 2.reg.7.v.41.

*coram matre mea* genti, nationiq; meę charus, acceptusque fui tanquam tenellus, & vnicus, vt ideo à parente sim institutus.

## A. ABEN EZRA.

1 *Audite filij* Cum Salomon filium suum instituisset, modo ad alienos instruendos conuertitur, vt nimirum parentum institutionem excipiant: sint licet illi delicati, ac in tenera ætate, nullus tamẽ in ea erit existimatione, qua ipse.

6 *ne dimittas eam* sapientiam nimirum, quoniam ab illa ab aduersis vindicaberis.

## LEVI GHERSOM.

1 *Audite filij disciplinam patris* Excipite Dei institutionem, qui vester

vester optimus est parens, hec autem nihil aliud est, quam lex Israelitis præscripta. Illam ergo attente auscultate, vt prudentiæ compotes fiatis, lex enim ad prudentiam instituit, vt dictum est, cum in suis plerisq; verbis prudentię cognitionem insinuet, & declaret, vt in libris Moysis declaraui.

2 *donum bonum* לקח טוב leKach tou .i. possessionem optimam vobis concessi, ne scilicet vobis præscriptam meam legem abijciatis, ac repudietis. Hæc ergo Dei verba sunt, quæ humano more pronunciauit, velut si Deus loquendi vsum haberet. Mox Salomon sermonem serit, inquiens.

3 *nam & ego* En ipse parentis mei fui soboles. In quibus Israeliticus populus innuitur, quem Deus filij loco habuit, cum adhuc in prima ætate constitutus adolesceret, quo tempore hæc illi sunt pronunciata: tunc etiam vnicus eram coram matre mea, cum nulla alia gens præter me diuinam legem admisisset, quod quidem in prima meę adolescentię ętate contigit, cum primum ex Aegypto excessi; nam breuissimo temporis spatio me in gentem suam transtulit, atq; eadem de causa, iuxta id, quod ab hac parabola innuitur, inquit vates, recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuę, quando secuta es me in deserto. Ierem. 2. v. 2.

*vnigenitus coram matre mea* spectant hæc tum ad similitudinis absolutionem, tum ad id quod similitudine adumbratur, ad intellectũ nimirum agentem, cuius ope in Israelitas lex emanarit, cuius etiã auspicijs vaticinandi munus concessum fuit.

4 *& docebat me* tunc Deus ipse me docebat, inquiens, suscipiat verba mea cor tuum, & solerti meditatione mente inuestiganda eorum, quæ lege cauentur, ita enim constabit tibi quantum perfectionis admirabilisq; sapientiæ in diuinę legis verbis contineatur.

*custodi præcepta mea* corde tuo meę legis præcepta repone, atque ita veram vitam, nunquam morti obnoxiam, obtinebis.

5 *posside sapientiam* per ea igitur, tibi tum sapientiam, tum prudentiam comparabis.

*ne obliuiscaris* ne verbum aliquod meum è memoria tibi elabi patiaris.

*neque declines* neque aliquando ab illis ne latum quidem vnguem deflectas, si namque ita te gesseris, solerti vigilantia, & contemplatione diuinę legis mens vt plurimum tibi patebit.

6 *ne dimittas eam*, legem nimirum. Quod si in hoc cautus fueris, illa ab vniuersis calamitatibus te conseruabit, ob ea, quæ à diuina prouidentia illius beneficio consequeris.

*dilige eam* diuinam legem amato, quæ te conseruabit, nam ob illius charitatem congruentes singulorum verborum eiusdem causas inquires, atq; ita vt plurimum eius mentem introspicies.

## Verſ. VII. VIII. IX.

7 a Principium ſapientię poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam:

8 b Arripe illam, & exaltabit te: c glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.

9 Dabit capiti tuo d augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. initio ſapientiæ. b Chal. dilige illam, vt exaltet te. c Syr. amplexare eam, vt te honore excolat. d Chald. pulchritudinem gratiæ: corona ſplendoris erit ſuper te. Syr. ponet in capite tuo pulchritudinem charitatis, & in corona laudis ſaturabit te.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *principium ſapientiæ* ſapientiæ tuę exordium erit, vt ab *alijs ad* diſcas, atq; à magiſtri ore audias quæ animo reponas. *& in omni poſſeſſione tua* poſt hæc prudentiam acquires, teq; ipſo rem ex alia inferre, ac comparare noſces.

8 *arripe illam* סַלְסְלֶהָ ſalſelcha, perſcrutare eam, diuturnoq; ſtudio in illa immorare, vt minutiſſima quęq; penſites, quemadmodum cũ quis vindemię reliquias inueſtigans, hinc, indeq; diſcurrit ad racemos prætermiſſos adſportandos. Apud Thalmudiſtas autem סלסל ſalſel crines diſcernere, atq; examinare ſignificat.

9 *dabit capiti tuo augmenta gratiarum* לוית חן liuiath chen, hoc eſt gratiæ ſocietatem, augmentumq; adiunget capiti tuo, quemadmodum paulo ante dictum eſt, vt addatur gratia capiti tuo. h.c.1.v.9.

## A. ABEN EZRA.

7 *principium ſapientiæ* partem aliquam diuitiarum impende, vt ſapientia cumuleris: quod ſi ita illius compos fieri nequibis, vniuerſas tuas facultates illius cauſa profunde.

8 *arripe illam* סַלְסְלֶהָ ſalſelcha, exalta, atq; extolle illam, quę vox non diſſimilis eſt ab illo סֹלּוּ ſolu .i. exaltate eum, qui aſcendit ſuper cœ. os. h.pl.68.v.5.

glo-

*glorificaberis ab ea* ad excelsum dignitatis gradum ab illa eueheris. *cum eam fueris amplexatus* vt iugi studio illam tibi arripere coneris.

Gen. 14. v. 20. *protreget te* vox hęc desumpta ab illo loco, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.

## LEVI GHERSOMITES.

7 *principium sapientiæ* In principio sapientiæ, quam tibi ex diuina lege acquisiueris sapientia non carebis; hæc .n. ab illa tenui labore emerget: sed enim in prudentia comparanda eius ope indigebis in vniuersis, quæ ab illa obtinere optaueris, quæ quidem omnia te instruent, vt sapientia fruaris. Hæc autē ideo dicuntur, quod sapientię possessio ex proprijs rebus obtineatur, quæ quidem fiat propria sapientiæ principia; in prudentia vero haud ita se res habet, vt commemorauimus.

*arripe illā* סלסלה salseleha .i. preme iter, iugiterq; legis semitæ insiste, ab illa .n. honores tibi concedentur, quando ab eadem non diuelleris, capitiq; tuo corona imponetur, cuius ope tibi gratia, ac beneuolentia adiungatur, splendensq; gloriæ sertum tribuetur. Hæc autem ideo dicuntur, quod cum quis legis studio, cognitioniq; vacat, dignitatis inde fructum, gloriamq; reportet, licet id per eam non appetatur, quod .n. per illam optandum primo est, vita est nullo termino circumscripta, atq; iam antea huiusmodi exordia memorata sunt, cum inquit custodi pręcepta mea, & viues, quod quidem perinde est, ac si diuino sermone hęc pronunciata fuissent.

hic. v. 4.

### Vers. X. XI. XII.

10 Audi fili mi, & suscipe [a] verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ.

11 Viam sapientię [b] monstrabo tibi, ducam te per [c] semitas ęquitatis.

12 Quas cum ingressus fueris non [d] arctabuntur gressus tui, & currens non [e] habebis offendiculum.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. suscipe à me.* b *Syr. docebo te.* c *Chal. semitis rectis.* d *Syr. non nutabunt.* e *Syr. non offendes.*

## SALOMON ISACIDES.

12 *non arctabuntur gressus tui* qui .n. gressus suos protendere nequit,

quit, parum abest, quin cadat.

## A. ABEN EZRA.

11 *viam sapientia* בדרך bederech .i. propter viam sapientiæ te instruam, vt ea imbuaris.
12 *quas cum ingressus fueris* quando sapientiæ iter arripueris.

## LEVI GHERSOM.

10 *suscipe verba mea* .i. narrationes historicas, quæ in diuinis eloquijs recensentur.
*vt multiplicentur anni tui* hæ namque summopere conducunt ad absolutam conformationem, cum morum, tum eorum, quæ mente percipiuntur. Vel etiam Salomon hoc loco sermonem habebit, iubebitq; sua verba audiri, & quæ in ijs præcepturus erit.
11 *viam sapientiæ monstrabo tibi* Te institui ad sapientiæ, æquitatisque semitam terendam, cum nimirum te hortatus fuerim, seduloq; monuerim, vt legis instituta amplecteteris, in illiusq; contemplationem, vt æquum erat, incumberes. Quod si præstiteris, diuina ope iuuaberis, vt cogitationes tuas rectæ normæ accommodes; tum etiam, vt votis respondeant, quę mo'itus fueris.
12 *non arctabuntur gressus tui* Cum igitur ad aliquid peragendũ in viam te dederis, non arctabuntur gressus tui, quominus gradiaris, iterq; absoluas. Quod si celeri etiam cursu feraris in via haud impinges in petram, à qua offendaris.

## Vers. XIII. XIV. XV.

13 [a] Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.
14 Ne [b] delecteris in semitis impiorum, nec [c] tibi placeat malorum via.
15 Fuge ab ea, nec [d] transeas per illam: declina, & desere eam.

## VAR. LECT.

*a Syr. persevera constanter in disciplina. b Chal. in via impiorum ne ambules. Syr. in via peccatorum. c Syr. nec æmuleris viam. d Syr. ne transeas per locum, quẽ illi habitarint. Chal. nec transeas cum eis.*

## SALOMON ISACIDES.

13 *tene disciplinam* החזק hachazeK. Constanter retine legem, cui
Gen. 21. v. 18 non dissimilis est illa dicendi formula, tene manu tua eum: item il-
Exod. 4. v. 4. la, & extendit manum suam, & tenuit eam.

14 *nec tibi placeat malorum via* אל תאשר al teaser: nec per profligatorum semitas incedas, nec illorum vestigijs insistas, haud diversa voce ab illis באשורו beasurò, .i. gressum eius apprehendit pes meus
Iob 23. v. 11. nec item ab illis, astutus considerat gressus suos.
hic. c. 14. v. 15 15 *fuge ab ea* פרעהו perahehu .i. aversare, ac floccifacito eam. *declina* שטה seteh .i. abscede.

## A. ABEN EZRA.

13 *ne dimittas eam* נצרה nitsereha, custodi eam, vbi pro chirich substitui oportuisset pathach: affixum vero ה he, refertur ad sapientiam, de qua paulo ante sermo fuit, ijs verbis, in via sapientiæ. Is
h. v. 11. ergo erit sensus: meæ institutionis, qua te instruxi ad sapientiæ viā incundam, tenax esto.

15 *fuge ab ea* פרעהו perahehu: vox hęc similis est alteri. ותפרעו
hic. c. 1. v. 25. vatiphrehu, & consilia mea abolevistis, & neg'existis: quæ synonima est illius למפרע lemiphra h, quæ in vsu est apud Thalmudistas.

Hæc vox apud Thalmudistas rē præpostere agi significat.

## LEVI GHERSOM.

13 *tene disciplinam* legis nempe institutionem, nec vnquam ab illa divellaris.

*custodi illam* legem porro ipsam in animi tui recessibus conserva, cum ea natura sua immortalis vitæ sit origo, propter illa, quæ continet, tum quoad sapientiam, tum quoad prudentiam.

14 *nec tibi placeat* אל תאשר al teaser: ne impiorum viæ inambules:

15 *fuge ab ea* פרעהו perahehu. Si vires tibi sufficiant, eorum viā abole, atq; irritam effice, hoc est, eorum consilijs ita obuiam ito, ne scelus quod moliti sunt, expleant.

*nec transeas per illam* Ne divertas ad illos, vt ijs assentiaris. Quod si eorum consilia labefactare nequibis, declina ab ijs, & transi; cum enim huiusmodi perditi scelere aliquo contaminabuntur, tu haud secus, conscius criminis eris: scelerati enim ita nefarijs patrandis oblectantur, vt cum iter aliquod obiuerint, haud altera vice idem repetant, nisi perniciem cuippiam, extremaq; alteri se illaturos confidant huiusmodi semita repetenda.

## Vers. XVI. XVII. XVIII. XIX.

16 Non enim dormiunt, a nisi malefecerint: b & rapitur

pitur somnus ab eis, c nisi supplantauerint.
17 d Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.
18 Iustorum autem semita, quasi lux splendens, e procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.
19 Via impiorum tenebrosa: nesciunt f vbi corruant.

## VAR. LECT.

*a Syr. donec. b Chal. nec soluitur. Syr. & aufertur ab eis somnus. c Chald. donec ponant scandalum. Syr. donec voluntatem suam expleant. d Chal. cibus eorum cibus est impiorum, & vinum raptorum bibunt. e Syr. procedit lux donec stabiliatur dies. f Syr. Chal. in quo offendant.*

## SALOM. ISAC.

16 *non dormiunt* hoc est somnum capere nequeunt.

18 *quasi lux splendens* כאור נגה cheor nogah, .i. sicut lux auroræ, quę quidem vires suas exerit, luceque orbē perfundit, donec tempus matutinum expleatur.

*vsque ad perfectam diem* עד נכון had nechon .i. vsq; ad meridiem, quę est diei pars clarior.

19 *nesciunt vbi corruant* repentina illos pernicies occupabit, quā haud euitare dignoscent.

## A. ABEN EZRA.

18 *iustorum autem semita* desideratur vox aliqua, consentaneumque est, vt dicamus, & lux semitæ iustorum.

## LEVI GHERSOM.

16 *non enim dormiunt* nec etiam noctu quiete somni frui possunt, nisi scelus aliquod perpetrent, aliquem supplantantes.

17 *comedunt panem impietatis* Cibi illorum, & potus criminibus, & rapina constant; perditus enim oculis quietem permittit; maxima ob hęc voluptate perfusus, quę quidem ita iucunda accidunt, & deliciosa, vt nulla alia re, qua vescatur, indigeat.

18 *iustorum autem semita* Semita igitur hęc iustorum est tanquã auroræ lux, quæ quidem progressus suos facit, lucemq; diffundit vsque ad meridiem, quo tempore lux maximam vim, roburq; obtinet.

19 *via impiorum tenebrosa* כאפלה caaphelah. Impiorum via est tãquam caligo, in qua nulla sit lucis vsura, nec ad destinatum sibi finẽ pertingere possunt: Quamobrem cum iter habent facillime impingunt, luceq; destituti offendicula non animaduertunt. Hęc etiam ideo dicuntur, quod iustorum semita, cum ad aliquid peragendum itineri se committunt, luce perfundatur, vt offendicula, impedimẽtaq; deuitent, & dirigantur ad optatam metam pertingendam, cũ in vniuersis diuina ope iuuentur. Verum iniquorum iter, cum nefarium aliquid patrare constituũt, secus prorsus se habet, Deus enim illorum cogitationes cassas, vanasq; reddit, neque quod meditabantur scelus pręstare possunt, vt ad librum Iob à me fuit expositum.

## Vers. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

20 Fili mi ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.

21 Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui:

22 Vita enim sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carni [a] sanitas.

23 [b] Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

24 Remoue à te [c] os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.

## VAR. LECT.

*a Chald. carni eius. b Chal. præ omni admonitione. Syr. omni cautione. c a labijs tuis cogitationem iniquam transfer.*

## SALOMON ISACIDES.

23 *omni custodia* מכל משמר miccol mismar. Serua cor tuum ab vniversis, quæ tibi sacra lex cauenda præscripsit, tum à leuiori noxarum à grauioribus piaculis.

*quia ex ipso vita procedit* ex illo .n. quod leue præceptum videtur, vi-

vitam,ſingulareque premium,ſi illud obſerues,reportabis. Ita allegorice expoſuit Tanchuma.

24 *remoue à te os prauum* Ne illud preſtes, cuius gratia mortales de te obloquantur,atq; in te ora obtorqueant.

*os prauum* עקשות פה hiKKeſuth peh, os obtorqueri,diduciq; ſignificat,ad mentem illorum תם אני ויעקשני tam ani vaiahKſeni, Iob.9.v.20. ſi innocentem me oſtendero,prauum me comptobabit.

*detrahentia labia* לזות שפתים lezuth ſephat haim,ne ſcilicet homines in te ludibrij cauſa ora diducant.

## A. ABEN EZRA.

23 *omni cuſtodia* מכל משמר miccol miſmar. Hæc ſunt præcepta negatiua, à quib. iure mortalis abſtineat,oportet. Aliter et exponito.

*omni cuſtodia* precipua cura,& præ omni cuſtodia,mentem tuam ſerua,ne ſcelera cogitatione machinetur.

*ex ipſo vita procedit* eſt enim cor,ſeu mens tanquam rex in mortalium corpore.

## LEVI GHERSOMITES.

21 *ne recedant* אל ילזו al iallizu, idem ac יסורו iaſuru .i. ne recedant ab oculis tuis,quin hæc iugiter alta mente recondito.

22 *vita enim ſunt inuenientibus ea* Hæc enim quæ in præſentia à me dicuntur,natura ſua ſunt vitę origo cuicunque ea adeptus fuerit,eorumq;vim,& mentem ſit aſſequutus.

*& vniuerſæ carni ſanitas* מרפא marpe .i. medicina. Sunt hec præterea vniuerſæ carni medicina, vt arceatur morbi improbitatis morum;quod quidem ideo dicitur, quod libro hoc ea contineantur, quibus inſtituamur ad perfectam,abſolutamq; rationem eorum,quę mente apprehendimus,& ad optimam morum conformationem.

23 *omni cuſtodia ſerua cor tuum* intelligentem nimirum facultatem, q. d. tu mentem ſerua,ne vinculis concupiſcentis facultatis implicetur,à quibus prohibebitur,ne ſuis proprijs actionibus vacare poſſit. Eidē cuſtodiā adhibeto,ne cæterarū facultatū laqueis vinciatur, à quibus eo adigetur, vt à propria actione obeunda arceatur.

*procedit* ab ipſo, intellectu nimirum,vitæ pendet origo; niſi .n. à cæteris facultatibus huius actiones perturbentur,eiuſdem auſpicijs vitæ viam inibis,nec .n. vllis laqueis implicaberis,quibus ab illa obtinenda arcearis.

24 *remoue à te os prauum* Ea caue,à quibus in falſas opiniones detrudaris,quibus quodammodo intelligens vis irretitur. Atq; vt exēplis rem agamus;cum opiniones à veritate alienæ in rebus prorſus inter ſe diuerſis cuiuſpiam animo inſederint,eiuſdem etiam mentē vinculis implicant, quoad illas res diuerſas, itaut conſentanea indagine vti nequeat; error .n. in pręcipuis rebus, atque exordio

mentis aciem perstringit, gradusque coarctat, ne veritatem expiscari queat.

### Vers. XXV. XXVI. XXVII.

25 Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ ᵃ præcedant gressus tuos.

26 ᵇ Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur.

27 Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: auerte pedem tuũ à malo: vias enim, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ vero sũt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

*Horum nulla vestigia in textu Hebræo, vel paraphrasi.*

## VAR. LECT.

ᵃ *Syr. dirigantur coram te.* ᵇ *Syr. Chal. transfer pedes tuos à semita mala:*

## SALOM. ISAC.

25 *recta videant* לנכח lenochach, hoc est, veritatem, & rectitudinem oculi tui inspicere studeant.

*palpebræ præcedant gressus tuos* יישרו iaisiru, rectitudinem animaduertant, vt tibi rectum iter sternant, parentue.

26 *dirige* פלס palles .i. pondera diuini præcepti violationem cũ mercede, & præmio perpende: pęnas item scelerum, & præmia compara, tunc .n. instituta tua vniuersa, recta erunt, & apta.

27 *ne declines* ne deflectas à recta norma, & regula.

## A. ABEN EZRA.

25 *præcedant* יישרו iaisiru, hoc est rectam viam præoptent.

26 *dirige* פלס palles. Trutina cogitationis perpendæ, atq; attente perspice, quodnam sit rectum iter: omnes autem vię tuę quando eas perpenderis stabiles, aptæq; erunt.

## LEVI GHERSOM.

25 *recta videant* Oculi tui dispiciant quod rectum, verumque sit, nec

nec aliquã premeris anguſtia.

*prȩcedant* יישרו iaiſiru: dirigent te, vt ad rei ſubſtantiam, naturamque te conuertas, quando contemplationi vacabis.

26 *dirige* פלס palles, rectum iter pedibus tuis adſtrue, vt ſcilicet rectum ordinem, conſentaneamq; rationem ineas, vt ad rem euoluendam pertingas, cuius meditatione, & ſtudio detinebaris. Exinde id reportabis, vt vniuerſæ tuæ rationes, & inſtituta in rerum contemplatione firma, opportunaq; ſint.

27 *ne declines* Ne omnino à veritatis regula in aliquam partem deflectas, teq; cohibe, ne ſcientiam aliquam imbibas erroribus circumfuſam, & vanam, quod quidem contingit ob errores facultatis imaginantis, vel qualibet alia de cauſa.

# CAPVT QVINTVM.

## Verſ. I. II. III. IV. V. VI.

1 Fili mi, attende ad ſapientiam meam, &[a] prudentiȩ
meæ inclina aurem tuam.
2 Vt[b] cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua
conſeruent.
Ne attendas fallaciæ mulieris ) *hoc in hebræo deſideratur.*
3 [c] Fauus enim diſtillans labia meretricis, &[d] nitidius oleo guttur eius.
4 Nouiſſima autem illius [e] amara quaſi abſynthium,
& acuta quaſi gladius [f] biceps.
5 Pedes eius deſcendunt in mortem, &[g] ad inferos
greſſus illius penetrant.
6 Per ſemitam vitæ non ambulant,[h] vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles.

## VAR. LECT.

*a Chal. ad intelligentiam b Chal. vt admonitus ſis in cõſilio. Syr. vt ſis cautus in cogitatione. c Chal. fauũ .n. diſtillant labia extraneæ. Syr. mel. d Syr. molliora*

*oleo*

*oleo verba eius. Cha. & lenius oleo guttur eius.* *e Syr. amariora absynthio.* *f Syr. duplicis aciei.* *g Syr. Ch. ad infernum gressus eius perueniunt.* *h Syr. error sunt semitæ eius, & ignotæ. Chal. instabiles sunt semitæ eius, & ignorat.*

## SALOM. ISAC.

3 *fauus distillans* significant hæc dulcedinem, & suauitatem.
*labia meretricis* .i. eorum qui hęresi laborent.
*guttur eius* .i. palatum.
5 *penetrant* יתמכו ijthmochu, quæ vox accedendi vim habet.
6 *per semitam vitæ non ambulant* פן תפלס pen thephalles, si forte ad trutinam exigas. Allegorico autem commento Rabbini hæc ita interpretati sunt. Haud Deus patere voluit ijs, qui singula præcepta seruant, certa singulorum præmia, ne mortales animaduertentes, cui pręcepto maior merces proposita esset, illud amplecterentur, cæteris neglectis. Quamobrem ea erit horum explicatio. Ne libres legis semitas, quænam amplectenda, quæue deserenda, nam vagi sunt gressus eius; amouit nempe Deus explicationem semitæ legis, nec illius cognitionem concessit. Hoc ergo est Agadæ commentũ. Verum enim vero cum versiculis subsequentibus habeatur, longe fac ab ea viam tuam, haud sermo ad impudicam pertinens absolutus videtur: Quamobrem hanc explanationem hisce accomodabis. Ne libres vitę viam ad normam illius mulieris profligati pudoris, atq; inquias hoc, illudue pręstandum esse, nam huiusce mulieris semitæ ad inferos vergunt,
*inuestigabiles* לא תדע tedah, haud scies, hoc est, haud tibi cauere scies, nisi quando quatieris, & corrues.

## A. ABEN EZRA.

2 *vt custodias cogitationes* solertem namq; cogitationem animo tuo commendabis,
*conseruent* addiscendi studio, atq; labore.
5 *pedes eius descendunt ad mortem* illius pedes, qui eandem fuerit sectatus.
6 *non ambulant* פן תפלס pen thephalles, Hęc ad eum, qui eruditur, aperte spectãt propter thau vocis תפלס thephalles, & תדע tedah, adillum inquam, ad quem dictum fuit, fili mi attende ad sapientiã meam.
*vagi sunt gressus eius* desideratur vox aliqua, ac ita reponendum videtur,

videtur, vagi sunt pedes eius in semitis: vel certe dices, semitas eius, vagas, seu incertas metaphorice appellari, quasi dicas, istius semitæ, labant, & sunt mobiles, efficiuntq; vt meretrix vario, incertoque motu feratur. Verum prior explanatio magis ad rem videtur.

*per semitā vitæ nō ābulant* תפלס pen thephalles, si forte perpēdas viam, in qua vitam tuam collocaueris, eamq; obeundā arbitreris.

*vagi sunt gressus eius* meretricem enim ad inferos repente detrudam, quod non animaduertes, donec illa amandata, depulsaq; sit, vt forte hoc exemplo monitus instituaris, vitæq; callem sollicitus perpendas. Aliter etiam hæc declarabis Vbi vitæ viam ad trutinam pendas, semitæ eius incertæ, variæq; sunt, quod tamen illa non aduertit.

## LEVI GHERSOM.

2 *vt custodias cogitationes* eas nimirū, quibus instituaris, tū ad prudentiam, tum ad scientiam adipiscendam, ā, qua ad sapientiam gradum facias.

*disciplinam labia tua conseruent* vt semper veritatem amplectaris in hisce rebus, quoad causas, & rationes.

3 *fauus enim distillans* Hæc igitur ideo tibi præcepi, quod à meretricis labijs fauus distillet, quæ quidem est vis imaginatrix.

*fauus distillans* נפת תטפנה nophet tittophenah res est, quæ dulcis videtur, sicut mellitus fauus.

*guttur eius* חכה chicchaha .i. palatum, quo res degustantur suauitate perfusum videbitur, molliusq; ac lenius est oleo.

4 *nouissima autem illius amara* Extrema autem illius amara experieris tanquam venenum, & acuta, & scindentia tanquam bicipitem ensem, qui scindit, perniciemq; infert suis partibus vniuersis.

5 *pedes illius* illius pedes in mortem, calamitatemq; ruunt.

*ad inferos gressus eius penetrant* יתמכו ythmocu roborant .i. gressus eius mortem fouent, & firmant, hoc est summopere conferunt, vt mors admirabili prorsus ratione inferatur, velut si mortis manus fulcirent, eisq; ad vitam auferendam robur suppeditarent.

6 *per semitam vitæ non ambulant* Quodsi arbitreris sperandum tibi esse, vt vitę viam ad trutinam exigas, atq; ad illam adminicula subministrentur, nihil omnino est quod speres, vagi sunt enim illius gressus, atque à vitę tramite deuiant, itaut nec illos agnoscere possis. Hęc autem ideo dicuntur, quod licet facultas imaginatione res comprehendens aliquod adiumentum menti afferre videatur, errat tamen grauissime in rebus suggerendis, & quoad arcana sapientiæ, & prudentię; error autem qui propter hanc contingit in grauissimis rerum principijs, id efficiet, vt longe quis à coronide arceatur, ac ansamq; pręebebit, vt repudiata sapientia, cupiditatum oblectamentis deliniatur, quamobrem verba illius mortali in primis arridebūt

vt memoratum est: id autem facile patebit librum hunc vel leuiter versanti, in quo cum illo sermo habetur, qui philosophicis disciplinis sit instructus, & viderit, quę in libris de bellis Dei à nobis afferuntur. Non inepte etiam alienę mulieris specie adumbrabitur facultas appetens, seriesq; rei cum ijs iungetur, quæ paulo ante dicta sunt, vt custodias cogitationes &c. Quapropter hęc erit ad hortatio vt sapientię, & prudentię semper hæreamus, itaut ab alienę labijs nequaquam decipiamur, pelliciamurque ad eas cupiditates, à quibus commemorata damna dimanant. Quę quidem secunda explanatio mihi magis probatur.

## Vers. VII. VIII. IX. X. XI.

7 Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei.

8 Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.

9 Ne des alienis [a] honorem tuum, & annos tuos [b] crudeli.

10 Ne forte [c] impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.

11 Et gemas in [d] nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas.

## VAR. LECT.

*a Chal. virtutem tuam. b Chald. alieno. Syr. ijs qui misericordes non sunt. c Syr. Chal. saturentur extranei viribus tuis, & introducas. d Chal. in nouissimo tuo. Syr. & in senectute te pæniteat.*

## SALOMON ISACIDES.

9 *ne des alienis honorem tuum* ne forte ad Deos alienos conuertaris, vt eis gloriam, laudem, decusq; tuum impendas.

*annos tuos crudeli* principi gehennæ, .i. Dæmoni.

10 *ne forte impleantur extranei* ne idolorum sacrificuli artibus suis, & fraudibus pecunias tibi subducant.

*& labores tui* ea scilicet, ob quæ laboribus, doloribusq; functus es.

*in domo aliena* vbi falsa superstitione idolis cultus impenditur.

11 &

11 *& gemas in nouissimis* ad extremum illud te manet, vt gemas, & rugitu cuncta repleas.

## LEVI GHERSOM.

8 *longe fac ab ea* longe iter institue ab extranea muliere antea commemorata.

*& ne appropinques foribus* hoc est, ne cupiditatibus obsequaris.

9 *ne des alienis honorem tuum* ne forte alijs præbeas gradum tibi concessum, vt ad absolutionem virtutum proueheretis, nullumque fructum inde percipias, sed illo vtaris ad varias artes excogitandas, quibus cupiditatibus morem geras.

*annos tuos crudeli* annos tuos, quibus operæprecium fuisset, vt laborares in virtutis perfectione comparanda, in qua vita sita est, huic crudeli facultati impēdes, à cuius sæuitia ad extrema adigaris.

10 *ne forte impleantur extranei* facultates porro homini, vt homo est alienæ, viribus, laboribusq; tuis saturabuntur.

*& labores tui sint in domo aliena* Cum mens tibi sit concessa, vt in te virtutum cumulo exornando laborem subires, extraneæ tamen huiusmodi facultates mentis laboribus, & viribus saturabuntur; ea enim vim omnem impendet, laboremq; tolerabit, vt ijs subigatur, inseruiatq; ac illas artes meditetur, quibus harum voluntati mos geratur.

11 *& gemas in nouissimis*. Ad extremum autem, artubus tuis absumptis, senectutis videlicet ętate, exclamabis, & miseris querelis cuncta pulsabis.

## Vers. XII. XIII. XIV.

12 [a]Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum.

13 Nec audiui vocem docentium me, & [b]magistris non inclinaui aurem meam?

14 [c]Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ, & synagogæ,

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. quomodo odi disciplinam, & eruditionē execratum est cor meum. Syr. & correctionem abominatur cor meū.*

*b Chal. magistris meis. Syr. audire me facięti. c Chal.*

*penitus habui mala in medio ecclesiæ, & congregationis.* *Syr. parum abfui a malis omnibus.*

## SALOMON ISACIDES.

14 *pené fui in omni malo* כמעט chimhath; passus tantum inter me, ac gehennam interfuit q. d. ob rem haud ita grauem omnibus calamitatibus expositus fui, quod scilicet vocem me docentium non admiserim, si enim illis auscultassem, haud huiusmodi mihi obtigissent.

## A. ABEN EZRA.

14 *synagoga* עדה heda eiusdem formæ ac סנה senah, aliquosq; simul coeuntes, & collectos significat.

*pene fui* כמעט chimhath, parum abest, quin leuis aliqua ærumna sit ferenda.

*Fui* pro ero. Aliter etiam hęc libet exponere, כמעט chimhath, i. paulisper. Si paulisper moratus fuissem, donec peccandi cupiditas euanesceret, haud me ita gessissem. Quamobrem totum me in criminibus volutaui.

## LEVI GHERSOMIT.

12 *cur detestatus sum* Illud ergo vsurpabis, Quare sacrę legis institutionem inuisam habui, eiusdemq; reprehensiones nullam apud me vim habere sum passus.

*nec audiui vocem docentium me* vt hasce cupiditates longe ab animo arcerem.

14 *pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ* Quod nil prorsus veritus sim, erubuerimq; gentium multitudinem, ita vehementer disciplinam detestatus. Alia etiam erit horum mens. Parum abfuit, quin idcirco in omni calamitate, angustiaque versarer, in media multitudine, populorumq; cętibus, cum flagitia mea apud vniuersos euulgarentur, in illorumq; conspectum crimen meum prodiret.

## Vers. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

15 Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta [a] putei tui:

16 [b] Deriuentur fontes tui foras, & in plateis [c] aquas tuas diuide.

17 Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

18 Sit [d] vena tua benedicta, & lætare cum [e] muliere ado-

adolescentiæ tuæ :
19 *f* Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. & fluenta ex fonte tuo. b Cha. redundabunt. Syr. abundent aquæ tuæ in plateis tuis. c Chal. & in plateis riui aquarum. Syr. & in plateis fluant. d Syr. fons tuus. e Chal. cum vxore. f Chal. cerua amoris, & exultatio gratiæ, rationem disce omni tempore, & in dilectionem eius incumbe iugiter. Syr. vias eius disce omni tempore, & amorem eius cogita.*

## SALOMON ISACIDES.

15 *cisterna tua* ex illa cisterna bibe, quę tibi à Deo peculiaris partis tuę loco fuit assignata, quæ nimirum est Moysis lex. Cisternæ autem aquæ sunt simul collectæ, & deciduæ.

*putei tui* aquæ nimirum perennes q. d. principio aquæ simul erũt conflatæ & collectæ, ad extremum autem emanabunt, perenniq; cursu ferentur.

16 *deriuentur fontes tui foras* Fiet tandem, vt discipulos, sectatoresq; habeas, legisq; cognitione multitudinem imbuens inde nomen, gloriamque reportes, quod insinuant illa, &. in plateis aquas tuas diuide.

17 *habeto eas solus* tu solus inde honore afficieris, nec aliquis tecum partem sortietur: cum autem antea dixerit, ne forte impleantur extranei viribus tuis, hoc loco inquit, tu solus eas habeto, & fiet erit vena tua benedicta.

18 *lætare cum muliere adolescentiæ tua* Hæc est lex illa, quam a primis annis didicisti.

*delectare iugiter* תשגה tisgheh. Apud Moysem Concionatorem vocē hanc ita explicatā reperies, ei operā dabis assiduā, itaut ex Arabica lingua petita sit, idem vero probat ex eo, quod ad quærendum שגיה vertatur ad quærendum עסק negotium. Verum non constat vnde hæc mutatio contingat. Verum Rabbini eādē iuxta sonum sensum explicant, hoc est, ob impotentem eius amorem errabis in cęteris tuis negotijs; illa .n. efficit, vt in te quadrent, quæ de Rabbi Eleazaro vsurpata sunt, qui cum inferiori in foro concionaretur,

amictum

amictum suum lineum in superiori reliquit, ad quem cum aliquando quispiam accessisset, serpente implicitum reperit.

## A. ABEN EZRA.

15 *cisterna* בור bor .i. aquarum conuentus.

*putei tui* aquas epotabis, quę e puteo tuo dimanant. Quæ quidem ita intelligenda sunt, vxori suę adhærendum, non autem alienæ.

16 *deriuentur fontes tui foras* aquę putei ita affluenter scaturiant, vt fontes tui foras deriuentur, quod quidem metaphorice de filiorum copia vsurpatur.

17 *habeto eas solus* solus fluenta possidebis, prolem nimirum honestis moribus imbutam.

18 *vena* prolis nempe fons, & origo.

19 *cerua charissima* אילת אהבים aieleth ahauim, cerua amorum, quam scilicet is amore complectatur, quæq; amorem excitet sui.

19 *delectare iugiter* תשגה tisgheh, errore implicitus existimaberis, si iugiter illius amori vaces, multoq; magis alterius. In hunc autem illud quadrat, de vxore; eum nempe qui nimio vxoris amori vacat, assidueq; cum illa fabulator detineatur, quamplurimum errare, cum ab vxoris charitate à diuino cultu, & seruitute auocetur.

## LEVI GHERSOMITES.

15 *bibe aquam de cisterna* Te ergo ab huiusmodi aliena muliere longissime cohibe, neque mentis tuæ vim eidem subijcias: sed bibe de cisterna tua, quæ quidem est eadem mens tua, à qua perennes limphę effluunt, potanti nunquam defecturæ, ea nempe, quæ mentis ope intelliguntur.

*& fluenta putei tui* Hic etiam puteus nihil aliud est, quàm eadem vis intelligendi in homine constituta.

*Hoc loco quædam philosophica commenta, quæ nihil ad rem facere videãtur prætermittere me iure posse sum arbitratus.*

16 *deriuentur fontes tui foras* Cum igitur in contemplatione insignes progressus feceris, deriuentur fontes tui foras, vt ex ijs cæteri beneficium percipiant.

*in plateis aquas tuas diuide* vbi magnus multitudinis consessus, vt eam sapientia tua imbuas, atq; ad perfectionem instituas.

17 *habeto eas solus* Cum autem meis consilijs acquiescens, rem natura sua consentaneam pręstes, vt scilicet alterum beneficio afficias, illud tamen pręterea exinde tibi emolumenti accedet, vt huiuscemodi fontes tibi soli reseruentur, neq; ijs alieni gaudeant, cum secus prorsus contingat ijs, qui externæ mulieris consilijs obtemperant, qui quidem alienis labores suos impendunt. Verum laboris su

fcepti ad fapientiam, virtutumq; metam attingendam tibi tantum fructus conftabit, cum futurum fit, vt horum fructibus iucundiffime vefcaris, vitæ nullis vfquam terminis circumfcriptæ, ac bonis omnibus circumfluentis compos effectus, vt in lib. de bellis Dei fufe explicaui. Neque vero hęc aduerfantur alteri verficulo, deriuentur fontes tui foras, cum enim quifpiam hac ratione labores fubibit, folus idem laborum fuorum fructibus gaudebit; cæteri autem laborũ partem reportabunt ob eam fapientiæ, prudentiæq; partem, quam illi acceptam referant.

18 *fit vena tua benedicta* מקורך mekorecha; fons à quo hauries benedictionibus cumulabitur, aquæ enim ex illo iugiter effluentes nũquam fallent; hęc autem fluenta funt, quæ deriuabis ex puteo tuo, hoc eft ex agente intellectu.

*lætare cum muliere adolefcentiæ tua* Lętare cum è fenfibus id arripueris, quoad fingularum rerum declarationem, quo inueris ad cognitionem primarum propofitionum, quibus proueharis ad hafce quęftiones euoluendas.

19 *cerua chariffima* אילת אהבים aieleth ahauim, cerua amorum, ob vehementem amorem, quo te complectetur, vt quæ optas, explere poffit excurret tanquam cerui curfu feratur. Vel etiam ea vis erit, mentem ita excurrere, tanquam cerui curfum ineat, vt optata excogitet quoad quęftiones enodandas, quarum contemplationi ftudebis: atq; adeo ita fe geret, ac fi decurreret, ob facilitatẽ inueniendi, quę tibi iucunda erunt.

*gratiffimus binnulus* יעלת חן iahalath chen, .i. gratiam inueniens, grata tibi vero eadem, acceptaq; erit propter illa quæ cõtẽplari cupies, quoad eius vbera: quæ quidem haud aliud funt, quam quę à fenfibus proficifcuntur argumenta, formæq; & figuræ fimilitudinis effectrices, quę in rebus explicandis maxime funt neceffarię, vt ex ijs prima rerum veftigia intelligantur, vt in libris de anima, & à me in lib. bellorum Dei eft declaratum.

*in amore eius delectare* תשגה tifgheh, errabis. Ita eius amori indulgebis, vt pro immoderato eius ftudio, quoad reliqua labaris imprudenter, cum futurũ fit, vt ab ea cogitationes tuas diuellere nequeas.

## Verf. XX. XXI. XXII. XXIII.

20 [a] Quare feduceris fili mi ab aliena, & foueris in finu alterius?

21 [b] Refpicit Dominus vias hominis, & omnes greffus eius, confiderat.

22 [d] Iniquitates fuæ capiunt impium, & funibus peccatorum

catorum suorum constringitur.

23 Ipse morietur, *f*quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. ne erres fili mi in extranea; et ne etiam complectaris sinum extraneæ. b Chal. Syr. quoniam in conspectu oculorum Dei. c Syr. manifestæ sunt semitæ. d Syr. in peccatis suis comprehenditur iniquus. Chal. peccata sua comprehendunt impium. e Syr. implicatur, ligatur. f Syr. absq; disciplina.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *greßus eius considerat* מפלס mephalles: examinat, penditq; atq; adamussim perspectum habet, quot quisq; criminibus sit obstrictus, quantumue præmij sit meritus.

*capiunt* ילכדנו ylcheduno, eadem vox est, ac ילכדהו ylcheduhu.

22 *constringitur* יתמך ijttamech .i. suspenditur, suspensus .n. funibus, laqueisq; fulcitur, à quibus pendet.

23 *quia non habuit disciplinam* באין מוסר been musar, cum deesset disciplina, hoc est, quod disciplinam institutionemue non admiserit.

## A. ABEN EZRA.

23 *quia non habuit disciplinā* cū institutionis normā repudiauerit. *decipietur* ישגה ysgheh, errabit; hoc est à recto tramite deuiabit.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verborum explanationem.

21 *omnes greßus considerat* .i. omnia eius instituta perpendit, & examinat ad lancem.

22 *capiunt* ילכדנו ijlchedunò, duplicem affixi formam habet vox hæc, tum hanc, tum illam, quę in voce ותראני:

### Quoad rerum seriem.

20 *Quare seduceris ab aliena* Quare erroribus inuolueris ob alienę mulieris intemperantem charitatem, quæ quidem est anima concupiscens? cur etiam alienæ in sinu conquiesces?

21 *respicit Dominus vias hominis* כי נכח chi nochach. En hominū instituta, & mores diuinis oculis prorsus sunt aperti; cum hos perpendat,

pendat,& ad trutinam exigat, vt singulis rependat paria institutioni præmia, itaut actionibus fructus,& commoda respondeant.

22 *iniquitates suæ capiunt impium* ילכדנו ijlchedunó .i. illaqueabunt. *constringitur* יתמך ijttamech, fulcietur, hoc est retibus, funibusq; peccatorum fulcietur, firmabiturq; laqueus, quo perditus constringetur, quod plane constat de quamplurimis flagitiosis, qui sibi ipsi sunt artifices, vt exitium subeant.

23 *quia non habuit disciplinam*. Iniquus interibit, cum necdum recta institutione conformatus esset.

*decipietur* ישגה ijsgheh errabit. In ijs labetur, in quib. scelesté se gerere machinabatur, itaut ab huiusmodi errore ad extrema adigatur, vt plane patet.

# CAPVT SEXTVM.

## Vers. I. II.

1 Fili mi, si spopõderis pro amico tuo,ᵃ defixisti apud extraneum manum tuam,

2 Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. promisisti soluere extraneo manu tua. Syr. porrexisti manum tuam extraneo.*

## SALOM. ISAC.

1 *spoponderis*. Hæc est sponsio, seu fideiussio, quæ proprie ad nũmorum, diuitiarumq; negotium spectat.

## A. ABEN EZRA.

1 *defixisti apud extraneum manum tuam* stipulatus es, manu ei porrecta externo fæneratori pecunias debitas te persoluturum; laqueus autem, quo deuinctus es, oris tui sunt sermones.

## LEVI GHERSOM.

1 *Fili mi* Sub memoratę alienæ mulieris metaphora, addit prætera, eum qui illi obtemperat, ideo obligatum esse Deo, itaut is ab illo debitum exigat: hoc est, hominis mentem propter concupiscentem facultatem Deo dęuinctã esse, atq; eidẽ calamitati obnoxiam cui illa.

*si spoponderis* si contigerit, vt sodali tuo pro aliena spoponderis, defixisti manum tuam, vt pro illa debitum persoluas.

2 *illaqueatus es verbis oris tui* Captus es sermone tuo, cum.n. nullam vtilitatem sentias ex eo, quo adductus es, vt hoc ære alieno obstringereris, à solis tuis verbis in laqueos, compedesq; coniectus fuisti. Par item est ratio humanę mentis cum concupiscente vi, nec .n. corporis voluptatibus illa afficitur, sed tantum deuincitur, vt pro illa Deo debita persoluat.

## Vers. III. IV. V.

3 Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera:
quia ᵃ incidisti in manum proximi tui. ᵇ Discurre, festina, suscita amicum tuum:
4 Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.
5 ᶜ Eruere quasi damula de manu, & quasi auis ᵈ de manu aucupis.

## VAR. LECT.

*a Syr. quia propter amicum tuum incidisti in manus inimici tui. b Syr. suscita igitur amicum, cuius causa fideiussisti. Chal. suscita velociter amicum tuum. c Syr. vt libereris velut dama à retibus. Chal. vt eruaris quasi damula à pedica. d Chal. Syr. à laqueo.*

## SALOM. ISAC.

3 *festina* התרפס hithrappes, persolue illi: manum exporrige, vt illi nummos debitos soluas.

*suscita amicum*, Quod si pecuniarum negotium nullum tecum habeat, sed solum sermone tuo captus fueris, quod nempe acerba in illum effutieris, in illum multos amicos aduoca, vt ab eodem veniã impetrare possis. Aliud etiam libet adferre commentum. Postquam fili, Deo spopondisti, qui tuus est amicus iuxta id, quod communi sermone vsurpamus, hunc nostrum necessarium, hunc nostrum esse amicum, legesquè recepisti in Synai monte præscriptas in desertis Moab, cum iure iurando sancte te obstrinxisti, diuina præcepta te seruaturum defixisti manum apud extraneum, cum à diuinis institutionibus, tramiteq; recedens, profligatis te adiungis, vt illorũ vestigia premas, irretitusq; es proprio ore, manum porrigens ad so-

cietatem cum externis ineundam.

*Fac ergo quod dico* Cum legis diuinę iugum subieris, in diuinaq; potestate futurum te sis pollicitus, eiusq; diuinitatem profitearis, discurre, festina, coram Deo te sterne, & prorsus abijce, tanquam limen abiectum, quod omnium pedibus teratur, suscita amicum .i. aduoca, & concilia amicorum copiam, qui ad opem tibi ferendam apud eundem preces fundant. Hæc porro expositio ex psalmorum allegoricis commentis est petita.

5 *eruere quasi damula* festina, atq; inde te proripe, tanquam dama viri manus effugiens.

## A. ABEN EZRA.

3 *quia incidisti* כי chi, etiamsi incideris; quibus fere similia sunt illa, כי chi, etiamsi populus durę ceruicis, & כי chi, etiamsi ferreis curribus vtantur. Exod. 33. v. 3. iosue 17. v. 13.

*in manum* in socij tui potestatem, forma dicendi sumpta ex illis, quod deuenerit in manus eius .i. quod in illius potestatem venerit.

*festina* התרפס hithrappes, vox synonima illius, pedibus suis conculcans .i. ergo erit sensus, hunc conueni, teq; ei ita demitte, vt et pedibus te conculcet. dan. 7. v. 7.

*suscita* רהב rehab Verbum hoc neutrum est, significatq; id effice, vt cum sodali tuo coniungaris.

4 *ne dederis somnum* postquã te demiseris, laboresq; subieris, nec somnum admiseris, nisi alieno ære soluto, tunc te subducito, tanquam dama humanas manus euadens.

## LEVI GHERSOM.

### Quoad verborum explanationem.

*festina* התרפס hithrappes .i. erga illum te abijcito.

*suscita amicum* ורהב רעיך auctoritatem illi in te tribue, auctoritateque tibi superiorem esse fatere.

*damula de manu* ab eo a quo vincta detinetur, siue sit laqueus, siue rete, seu deniq; quid huiusmodi.

### Quoad rerum seriem.

3 *Fac ergo quod dico* Quæ cum ita se habeant, quæso fili, hoc præsta, vt euadas, nam in alterius potestatem venisti, in illiusq; seruitutem es redactus ob huiusmodi debitum; nec est quid speres, nisi arrepta via ad Dei pedes te deijcias, eiq; gloriam, & honorem impendas, prudentię, ac sapientiæ operam sedulam nauans; tunc .n. constabit tibi, illum esse summum decus, & amplissimam dignitatem, te vero summam abiectionem, & dedecus, si cum eius gloria, & dignitate compareris. Atq; ideo huic sponsioni te subtrahes, cũ te à cupiditatibus consectandis diuelles, atque apud Deũ prorsus abijcies.

Illius ergo magnitudinem, & excellentiam sapienter agnoscens, ne in hoc desidem te præstes, sed singulari diligentia vtere.

4 *ne dederis somnum oculis tuis* Ne in pręsenti negotio iners sopitusue sis, sed solertię assuesce, neque somnum oculis, palpebrisque quietem permittas, sed strenuus rebus contemplandis assidue vacato; ita namq; Deo adhærebis, malaq; à te amandabuntur.

5 *Eruere quasi damula* Eruere celeri cursu, tanquam dama venatoris manibus sese subducens sollicita fuga, & tanquam auis laqueũ euadens celeri volatu; taut antequam tendiculis irretiatur, inde sese proripiat.

## Vers. VI. VII. VIII.

6 ᵃ Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius & ᵇ disce sapientiam:

7 Quæ cum non habeat ducem, nec ᶜ præceptorem, nec principem;

8 Parat in æstate cibum sibi, & ᵈ congregat in messe quod comedat.

## VAR. LECT.

a *Chal. similis esto.* b *Syr. disce hanc non habere messem.* c *Cha. cum à quo cogatur.* d. *Syr. in horreum colligit.* *Chal. coaceruat.*

## SALOM. ISAC.

6 *disce sapientiam* חכם chacham i. sapientia imbuere.

7 *cum non habeat ducem* cum duce careat, à quo arguatur, atq; ad solertiam excitetur, quiq; ab illa id auferat, quod alteri surripuerit.

8 *parat in æstate* hæc ita licet sint sibi pręparat per ęstatem cibos. *quod comedat* congregat escam sibi vnaquæq; formica, nec altera alteri quid furto subducit.

## A ABEN EZRA.

6 *Vade ad formicam* quę est animalculum terræ minutissimum, atq; eius sapientia imbuere.

7 *cum non habeat ducem* à quo cogatur, vt hoc, vel illud pręstet; attamen pro sua sapientia parat sibi cibum in æstate.

## LEVI GHERSOM.

6 *vade ad formicam o piger* Tu qui intelligibilium deses compos fieri

fieri negligis, cum id præstare facile possis, perge ad formicam exiguum animal, ratione carens; illius mores contemplare, atq; inde sapientiam tibi comparato.

7 *cum non habeat ducem* à quo instituatur, quoad ea, quæ præstanda sunt: caret .n. exactore, & preside, ac principe, qui illius institutionem disciplinamue sollicitus curet.

8 *parat in est. t* Videbis ergo illam per estatem cibum sibi parantem, cum fructus in sua foramina comportat, quos toto anno habeat in promptu.

*& congregat in messe quod comedat* Atque mira prorsus est ratio, qua id præstat, experieris .n. si foramen suum in pariete habeat, distortis vijs in illum ascendere, ne grauis sit ascensus cum grauissimo onere, quod ore suo deportat. Illud etiam addisces, oculos illam exedere seminis, cum inter illa alia natura mascula sint, vt in libro germinantium declaratur, itaut pullulare nequeat in terra recōditum, atq; ita à mucedine conseruetur. Illud etiam intelliges, solenne illis esse, si aquę in formicarum antra penetrent, statim ab illis semina produci, vt arescant, moxq; reponi, ne conseruata putrescant.

## Vers. IX. X. XI.

9 Vsquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo?

10 Paululum dormies paululum dormitabis, paululum ᵃ conseres manus vt dormias:

11 Et veniet tibi quasi ᵇ viator, egestas, & pauperies quasi vir armatus.

Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. } *Hæc in Hebræo desiderantur.*

## VAR. LECT.

*a Syr. pones manum super pectus tuum. b Syr. vir scutatus. Chal. vir rectus, sed forte error est interpretis in Bib. Reg. nam significat scuto armatum.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *conseres manus* qui enim somno vacat manus conserit.

11 *veniet tibi quasi viator egestas* Si ita te geres, egestate obrueris

atque

atque id, quo ad egestatem redigeris te inopinantem repentino aduentu occupabit, tanquam vir, qui celeriter progrediatur.

*quasi vir armatus* qui celerrimus aduenit, vt dominum suum tueatur. Hi autem versiculi ad pigros, somniculososq; metaphorice referuntur, vt in sacra lege sedulo se se exerceant.

## A. A BEN ERA.

9 *vsquequo piger.* Tu vero piger quando consurges; quando á somno euigilabis?

10 *paululum dormies* De mente Rabbinorum ita interpretaberis, dormias alia vice post aliam; parum dormitato; parũ p somno tradito; complica etiam manus, ne labores. (hyeironice p nunciata)

11 *veniet quasi viator egestas* ad te diuertet egestas tanquam peregrinus, cuius aduentus, donec adstet ignoratur.

*quasi vir armatus* tanquam qui clypeo munitus ad alium expugnandum accedit.

## LEVI GHERSOMITES.

9 *vsque quo piger* Tu qui piger iaces, inertieq; deditus tui absolutionem acquirere negligis, vsquequo tandem á somno euigilabis, vt ea geras, quæ virum decent?

10 *paululum dormias* modicum somnum tibi concede; paululum dormitato, itaut recreeris; nec .n. dormire, vel consurgere soles quemadmodum solertes, & negotiosos decet; qui quidem, cum a sóno occupantur, modica quiete vtuntur, quo somni molestia pellatur, atque exiguo interuallo manus complicant, vt quietem concedant sensibus defatigatis ob vigiliæ assiduitatem.

11 *& veniet tibi quasi viator egestas* Quod si ita assueueris, egestate quidem premeris, sed tanq̃ ab iter habente; statim .n. ac vexaberis, recedet, laboreq; defungeris: pauperies vero veniet tanquam vir scutatus, qui scilicet clypeo, cæterisq; bellicis armis instructus ambulet, qui quidem cum in aliquem locum se contulerit, ibidem diutius nõ commoratur, sed statim ad beliũ se confert. Id porro hac ratione fiet; si .n. solers sapientiæ inuigiles, Deus etiam procurat tibi, liberaliterq; impendit, quod opus sit. Illud etiam hæc insinuãt, facillimũ illi videri præ sollicita vigilantia, id solerti labore cõparare, atq; congregare, quod satis, superq; sit: verum prior explicatio magis mihi consentanea videtur.

## Vers. XII. XIII. XIV. XV.

12 Homo, apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso;

Annuit

13 Annuit oculis, terit pede, digito ᵇloquitur.
14 ᶜPrauo corde machinatur malum, & omni tempore ᵈiurgia seminat.
15 ᵉHuic extemplo veniet perditio sua, & subito cõteretur, nec habebit vltro medicinam.

## VAR. LECT.

*a Syr. vir stultus, vir iniquus, oblique graditur. Chal. Homo calumniator, vir iniquus. b Syr. annuit digitis. c Chal. & peruersus est in corde suo, & cogitat malum. d Syr. inter duos conturbat. Chal. iurgia iacit. e Syr. ideo extemplo.*

## SALOM. ISAC.

12 *graditur ore peruerso* graditur labijs distortis .i. in alios ora diducit.

13 *annuit oculis* vt fraude quempiã circumueniat artibus vtitur. *terit pede* מולל mollel i. pedibus calcat pedem. *digito loquitur* tria hæc verba tres membrorum nutus significant, itaut aliud oculo, aliud pedibus, aliud digitis peculiariter conueniat. Illum tamen præcipue demonstrant, qui hęresum errorẽ implicitus alios ad superstitiosum cultum abducit.

14 *iurgia seminat* nimirum inter hominem, hominisq; effectorẽ.

15 *extemplo subito* rem inopinatam, prorsusq; inexpectatam significant, neque .n. is prope imminentem ruinam animaduertit.

## A. ABEN EZRA.

12 *Homo apostata* hominis impij hæ sunt proprietates; nam annuit oculis.

*terit pede* מולל mollel .i. loquitur;

*digito loquitur* מורה moreh .i. malum patrare docet. Dicitur vero pede, oculo, .i. altero pedum, altero oculorum; cui non dispar est forma dicendi, sepultus est in Ciuitatib. Galahad .i. in vna ex Ciuit. Iud. 12. v. 7.

## LEVI GHERSOM.

Cum primo ante hortatus esset, ne cupiditatibus quis se dederet, cum id à perfectione maxime abstrahat, monet postea inertiã prorsus fugandam, quæ etiam à perfectione arceat, causaq; sit, vt quis in summa inopia mortem obeat; ad extremum dehortatur mortales

les à mendacijs, quib. quis noxam haud ſe incurrere arbitratur, cũ tamen ea ſint origo grauiſſimorum malorũ; ad falſas .n. opiniones amplectendas adducunt illum, qui mendacio ſit addictus: Quare inquit, .

12 *Homo apoſtata* En homo impius, qui ſcilicet mendacijs deditus eſt.

*ore peruerſo graditur* ore mendacia profert.

13 *annuit oculis* nutibus mentitur, vel mentitur quoad ea, quæ per oculos contingunt, vt cum quis oculis annuere ſolet.

*terit pede* מולל mollel .i. pedibus etiam loquitur, vt ijs etiam aliquid innuat.

*loquitur digitis* מורה moreh digitis etiam aliquid indicat.

14 *prauo corde machinatur malum* תהפכות בלבו peruerſitates in corde eius. En in illius corde mendacia reſident aſſidue, & ob mendacia, quæ animo verſat, & excogitat, malum ſemper machinat. r, iurgiaq; ſerit inter fratres; diſſidia, litesq; inter homines diſſeminat, cum hinc inde mendacia refert, ob quæ in republica maxima damna contingunt, verum Deus repetet pænas ex hiſce malis, quæ is patrare non veretur.

## Verſ. XVI. XVII. XVIII. XIX.

16 Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum *a* deteſtatur anima eius:

17 Oculos *b* ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem.

18 Cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum,

19 Proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.

## VAR. LECT.

*a Syr. execratur.* *b Syr. oculos ſuperbos.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *& ſeptimum* ſeptimum etiam illis ſex adiungendum eſt.

19 *proferentem mendacia* יפיח iaphiach, vox hæc loquendi ſignificationem habet, cum ſermo non niſi oris ſpiritu proferatur.

## A. ABEN EZRA.

17 *oculos ſublimes* Auerſatur Deus ſuperbum, qui oculos ſuos ſuperbe extollit.

effun-

*effundentes innoxium sanguinem*, eos scilicet, qui sanguine effuso quempiam interimunt.

19 *proferentem mendacia* יפיח iaphiach, quod loqui significat. Húc autem sacra pagina docet eum esse, qui testimonio suo mentitur.

## LEVI GHERSOM.

16 *sex sunt etc & septimum* Septimum etiam cum ijsdem connumeratum maxime detestatur Deus. Hęc autem auersatur Deus: *oculos sublimes* eos qui frōte perfricata oculos superbe extollūt. *linguam mendacem* eum qui mendacijs proferendis delectatur, tum manus effundentes sanguinem insontium.

18 *cor machinans cogitationes pessimas* qui nimirum animo versat cogitationes mendaces, & dolosas, quibus mortalibus damnum, perniciemq; inferat; pedes veloces ad currendū, vt scelus patrent. *& proferentem mendacia testem fallacem* hæc.n. de vno eodemq; intelliguntur; eum deniq; qui iurgia serit, hinc inde mendacia referens Recenset autem Salomon singula membra ex ordine, orditurq; à sublimiori desinitq; in infimum &c.

## Vers. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

20 Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne [a] dimittas legem matris tuæ.

21 [b] Liga ea in corde tuo iugiter, & [c] circumda gutturi tuo.

22 Cum ambulaueris [d] gradiantur tecum: [e] cum dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cū eis.

23 Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ [f] increpatio disciplinæ:

24 Vt custodiāt te à muliere mala, & a [g] blanda lingua extraneæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Chal. aberres à lege. b Syr. firmiter fige. c Cha. alliga ea collo tuo. d Chal. deducet te. Syr. tibi adstare curato, tecumq; sint. e Syr. custodi ea vt custodiant te, & quando excitatus fueris, hæc tibi sint meditatio. Chal.*

*si euigilaueris ipsa sint locutio tua.* f *Syr. increpatio, & eruditio.* g *Chal. à lenitate. Syr. a criminatione lingua.*

## SALOMON ISACIDES.

Iob 31. v. 36. 21 *circumda* ענדם hondem: vox hęc circumligandi vim habet, iuxta illud ligem illum quasi coronam mihi.

22 *cum ambulaueris* dum vitam deges.

*gradiatur tecum* תנחה tanche tecum assuescet, teq; deducet.

*cum dormieris* Cum in sepulchro reconditus fueris.

*Euigilans loquere cum eis* והקיצות היא תשיחך vahaKitsota hitesicheca cum expergefactus fueris te alloquetur, quando nimirum mortui ad vitam reuocabuntur, vt iudicium subeant, sacra lex te alloquetur, i. patrocinium tuum suscipiet.

Caue somniis credas, sine situm. n. nouo crimine absoluetur. 23 *quia mandatum lucerna* quemadmodum lux semper orbem perfundit; ita meritum seruatæ legis semper perdurat in homine meritum autem præcepti cuiuspiam peculiaris ad horam tanquam lux lucernæ. Alia etiam explanatio adhibeatur, Mandatum patris est lucerna, quicumq; parentum præceptum obseruat lucernam manu accensam præferre videtur, qua tenebricosa loca luce perfundantur. Quod si aliquid amissum sit, ibidem eiusdem ope adinuenitur. Qui pariter matris legem seruat, ea tamquam luce vtitur, quocirca dicitur à sapiente ne dimittas legem matris tuæ. Illud et constat in hoc versiculo sermonem esse de vtriusq; parentis præcep-
h. c. 20. v. 20. tis iuxta illud, qui maledixerit patri, aut matri suæ extinguatur lucerna eius, in medijs tenebris, cū vero quis pręcepta non seruat lucernam extinguit; quod si eadem seruat eam accensam habet, luceq; alijs præbet. Ioseph Caro.

*& via vitæ increpatio disciplinæ* Cum increpationibus quibus instituimur, ad vitę tramitem adducamur, illas vitę vias esse cōstat.

24 *vt custodiant te* Lex te liberabit à muliere prauæ consuetudinis. Velis autem, nolisq; Salomon haud de muliere improba sermonem habuit, sed de de impura idolorum superstitione, quæ omnib. criminib: est grauior. Quod si inquias hic proprie intelligi meretricem, an laus mercesue sacræ legis esset vt te solum ab impudica liberaret. Verum inuitus etiam fatebere, hic mentionem fieri seruitutis idolorum, quæ omnibus sceleribus longe superior est.

*& à blanda lingua extraneæ* linguæ mulieris alienæ.

## A. ABEN EZRA.

21 *in corde tuo* ne ea obliuioni tradas.

22 *gradiantur tecum* תנחה tanche deducat te (supple mandatum) ne

ne ad lapidem offendas.

*custodiant te* quo .n. tẽpore somno vacas haud tibi cauere potes.

*Et euigilans loquere cum eis* והקיצות היא תשיחך cum expergefactus fueris te lex alloquetur .i. etiam si nullus adstet, qui tecum sermones ferat, cum tamen euigilaueris lex sacra blando sermone te alloquetur, ne quid expauescas.

23 *mandatum lucerna est* mandatum .n. est tanquam lucerna quędam, quæ luce tibi præeat, iuxta illud, præceptum domini purum, illuminans oculos: lex item est lux quædam eam percipere studentibus, stultus vero in tenebris ambulat.

*via vitæ* Quod si quis reprehensionem admiserit, tunc illa erit tanquam via, cuius ope vitæ compos fiat.

24 *vt custodiant te* eo spectant increpationes, vt iniquam mulierem euadas, omnium .n. est hæc noxa grauissima, cum malorũ omnium sit fons, & origo.

*& à blanda lingua* מחלקת chelKat, est nomen substantiuum .i. blãdities, quod scilicet mulier linguæ blanditiem suauitatemq; in sermone adhibeat; extraneę vero vox ad linguam refertur.

## LEVI GHERSOMITES.

### Quoad verba.

22 *loquere cum eis* תשיחך tesichecha .i. tecum loquetur illa .i. lex.

### Quoad rerum seriem.

20 *Conserua fili mi* Parens est Deus opt. m. qui tibi pręcipit, vt legem eius obserues, neue abijcias legem, quam ipsemet tradidit per intellectum agentem. Fieri etiam potest, vt hoc loco singularia præcepta innuantur, per quæ instituimur ad eam partem legis, in qua adhortationes, & admonitiones continentur, legis vero voce indicantur legis enarrationes, per quas valde instruimur ad perfectionem, vt in pentath. declaraui Has vero narrationes, matris legem appellat, cum hæc per prophętæ manus deriuentur ab intellectu agente, qui hoc tempore existit, vt in lib. Cantic. a me explanatum fuit; itaut pleræq; illę narrationes contineant historiam eorum, quę patribus acciderunt, qui quidem sunt veluti matres quædam, si cum Deo compararentur: ea autem similitudo intercedit, quod quemadmodum mater materiam, ita pater formam suppeditat.

21 *liga ea* Ea loquendi organis alliga, vt de ijsdem iugiter sermones habeas, ita .n. institueris, vt eorum mentem percipias, sapiẽtiamq; admirabilem in illis latẽtem adipiscaris.

22 *cum ambulaueris* Quoad ea quæ ad contemplationẽ pertinent: *gradiatur tecum* תנחה tanche. Deducet te lex, vt quæ optaueris assequaris, cum nempe præcipuas rationes, fundamentaque custodias quę in ea iacta sunt, ne erres in principijs, ex quo dirigeris ad veri-

tatem adipiscendam in rerum explanatione.

*cum dormieris* בשכבך besochbecha. Si quando iacebis in media via quam iuibas, vt rei explicationem inuenires, vires enim tuæ debilitabuntur, ita vt somno indigeas, en sacra lex tuas vices gerens id conseruabit, quod præmittere cæperas. vt explicationem expiscareris; ita ut haud tibi opus futurum sit, vt altera vice contemplationem ab exordio repetas

*& euigilans* Cum expergefactus fueris lex eadem tibi effabitur quæ reperieras antequam somno te traderes, vt instituaris ad absoluendam contemplationem &c.

*loquere cum eis* תשיחך tesichecha Vox est transitiua ad alium, significatq; lex te eo adducet, vt eas res sermone in mediũ proferas &c.

23 *quia mandatum lucerna* Mandatum quidem est lucerna, quavia, & ea quæ sub adspectum cadunt commonstrentur; lex vero vniuersa est lux, quæ quo ad actionẽ est quid validius; quamobrem comparatur quod à legis perfectione deriuatur cum eo, quod à narrationibus hauritur, lumenq; lucernæ tribuitur, vt alibi explicabitur.

*via vitæ* Lex etiam est via vitæ, via scilicet qua vitam nunquam interituram assequamur; eadem etiam lex est,

*increpatio disciplinæ* quod significat ab illa desumi institutionem, quoad morum conformationem; cum nimirum lex in vniuersum, & præcepta seorsim singula instituant ad vitam immortalem, & ad mores conformandos, licet ex hisce duobus vim maiorem lex habeat, quæ est ipsamet semita.

24 *vt custodiant te à muliere mala* Ne blãditijs pertrahare mulieris viro desponsatæ, vt cum ea sorteris, propter incredibiles singularesq; pœnas à lege peculiari præcepto constitutas, tum etiam in eiusdem historijs recensitas, vt de Abimelech, & Pharaone propter Saram Abrahami vxorem. Hæc autem mulier appellatur mala, vt intelligamus nullam hac sceleratiorem reperiri, quę probos ad scortandum adducat: dicitur item aliena, quod non propria sit vxor, sed alterius viri.

## Vers. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX.

25 Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec [a] capiaris nutibus illius:

26 [b] Precium .n. scorti vix est vnius panis: [c] mulier autem viri preciosam animam [d] capit.

27 Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, [e] vt vestimenta illius non ardeant?

28 Aut ambulare super prunas, [f] vt non comburantur

tur *f* plantæ eius.

29 Sic qui *h* ingreditur ad mulierem proximi ſui, nõ
erit mundus cum tetigerit eam.

## VAR. LECT.

*a Syr. neq; ſis præda venationis oculorum eius, & palpebris ſuis te captiuum faciat, Chal. ne ſeducat te palpebris ſuis. b Chal. quia ſermo meretricis ſimilis eſt placentæ panis. Syr. ſimilis eſt enim meretrix. c Syr. vxor. d Syr. venatur. e Syr. quæ illum ambiunt. f Syr. prunas, & ignem. g Chald. pedes. h Chal. ſic eſt qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, vt rem habeat cum ea. Syr. ſic qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, & ad illam prope fit.*

## SALOMON ISACIDES.

25 *nec capiaris nutibus* Ne illa ſapientia tua te ſpoliet nutibus pupillarum oculorum tibi abblandientium.

26 *precium.n.ſcorti* בעד אישה זונה עד ככר לחם behad iſciah zonah had chiccar lachem, quia propter ſcortum ad monetam panis .i. ad egeſtatem, rerumq; omnium inopiam propter ſcorta adigeris.

27 *numquid poteſt homo abſcondere* היחתה haiachteh idem an prunas quis veſtimentorum ſuorum fimbrijs excitabit, nec illa comburentur? nam prunarum חתית idem eſt ac שאיבה .i. excitatio, & exſufflatio, vt verba ſonant, quando in medio atrij quis vaſa accendit.

29 *ad mulierem proximi ſui* iuxta verborum ſonum hęc intelligito; licet etiam ad idololatriam referri commode poſſint, quæ eſt propria gentium, quibus lux diuina nondũ oborta eſt, non autẽ tua.

## A. ABEN EZRA.

25 *nec capiaris* ne te à diſciplina, inſtitutioneue tranſuerſũ agat.
*nutibus illius* בעפעפיה behaphhapeha, ne decipiaris pulchritudine pupillarum eius .i. oculorum.

26 *precium enim ſcorti* עד ככר לחם had chiccar lachem propter meretricem ad precium panis; .i. propter ſcorta tantum profunditur, itaut cogatur ab alijs ſtipem vnius panis emendicare:
*mulier autem viri* qui cum eadem ſcortatur,

pre-

*preciosam animam* ideo dicitur preciosa, quod a diuina luce desumpta sit.

*capit* תצוד tatsud; mulier infamis est animę venatrix, iuxta illud capitis animas volantes.

Ezech.c. 13.v.20.

27 *potest homo abscondere* היחתה haiachteh, an deferet, an adducet ignem vestimentis suis, quin ea igne absumatur, & pedes prunis concrementur.

29 *non erit mundus* an scortator mundus, insonsq; erit? quin pœnas exitio dabit iuxta mentem illorum, sed castigabo te in iudicio,

Ier.30.c.v.11 nec quasi innocenti parcam tibi.

## Castigatio.

Fallitur si animum vult partem esse quandam diuinitatis; verissimum est à Deo procreatam, ad eiusdem similitudinem, & imaginem, sed non est pars Dei.

## LEVI GHERSOM.

25 *non concupiscat* Ne pulchritudinem mulieris impudicæ corde appetas; nec item capiaris pupillis oculorum eius, quorum formam si quis intueatur, ad eandem concupiscendam pellicietur.

26 *precium enim scorti* בעד אישה behad isciah propter scortum .n. mortalis ad minimum precij panem redigitur; nihil .n. ex diuitijs ei supererit, præter minimum panis precium, cum diuitias suas in illam profuderit, iuxta tritum illud, qui pascit meretrices facultates suas profligat. Quare operęprecium est vt caueant mortales, ne illius retibus illaqueentur, cum ea vi polleat, vt etiam animam preciosam venetur, cum facile mortalis rei venereę abreptus se dedat.

27 *numquid potest homo abscondere* Innuit haud fieri posse, vt quis ignem vestibus foueat, quin illæ cōburantur; aut pedibus super prunas incedat quin illi absumantur.

29 *non erit mundus* Haud euadet, quominus grauissimis, acerbissimisq; pęnis plectatur. Hinc ergo disce, penitusq; perspectum habeto, quam graue, turpeq; sit scortandi crimen.

## Vers. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.

30 Non [a] grandis est culpa, cum quis [b] furatus fuerit; furatur .n. vt esurientem impleat animam:

31 Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnē substantiam domus suæ tradet.

32 Qui autem adulter est, [c] propter cordis inopiam [d] perdet animam suam.

Tur-

33 • Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

34 Quia f zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.

35 Nec acquiescet g cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. non mirum est. Chald. non vitio furi vertitur, sed forte est error in Bibl. Reg. cum pro* לכתרברו *lemitrameru legendum sit* למתרכרו *b Syr. deprehenditur furator c Chald. indiget intellectu. d Chal. & qui quærit perdere animam suam ipse facit illud. e Syr. ipse facit, vt ad ipsum accedat calamitas, & ipsum deprehendant, et ignominia non recedat. Chald. plaga, & ignominia accidet ei. f Syr. ira enim viri propterea quod verba sunt zelotypiæ. g Chal. nec rationem habebit eorum, quæ obtuleris, nec sedabitur cum illi dona multiplicabis. Cha. nec munus præbentis rationem habebit.*

## SALOMON ISACIDES.

30 *non grandis est culpa &c.*

31 *deprehensus quoq; &c.*

32 *qui autem adulter est &c.* Hęc tria quoad vnicam rem conueniunt. Cum quis furatur, haud ob furtum est ita probro notandus, quemadmodum adulter. Cur autem? esurie .n. suadente id pręstitit et forte non suppetebat quo vesceretur. Quod si etiam fur deprehendatur, rependenda re liber erit, & pro singulis plura persoluet, septuplum nimirum, .i. multa dupla, itaut etiam pro vnica re quinquaginta proferat. Quidam autem interpretes septuplum reddi declarant, vt qui bouem cum eiusdem armamentis subtraxerit, ac iugularit, quinque alios rependat, duplicia autem ob eiusdem ornamenta.

*omnem substantiam domus suæ tradet* Necesse est deniq; vt vniuersa sua diuendat; at licet hæc ita sint, pristinę dignitati restituitur condonaturq; crimen, nam fame ab initio ad furandum cōpulsus fuit.

Ve-

Verum enim vero scortator excors est, nec enim famis impulsu id prestat.

32 *perdet animam suam* perdit autē seipsum qui luxuria diffluit.

34 *quia zelus* Prepotentis Dei, qui cunctis viribus præstat ira, zelusq; efferuescit, vt criminosus is pœnas debitas luat.

35 *non acquiescet* לא ישא פני lo ijssa pene, nullam prorsus rationem habebit vniuersarum diuitiarum, vt ei crimina condonet, à quo insolenter negatus, repudiatusq; sit, quiq; impureq; superstitioni se se dederat, &c.

## A. A B E N E Z R A.

30 *non grandis est culpa* לא יבוזו lo iabuzu; Haud probro vertunt mortales furanti famis impulsu, cum quod comederet non haberet, nam furto se addixit ad explendam famem suam.

31 *reddet septuplum* שבעתים schibataim; septem solum; & ita pro oue reddet quadruplum, iuxta illud quattuor oues pro vna oue & ita, septuplum vindicabitur Cain, ad hunc sensum, iuxta lucem septem dierum. Cum autem compensationes pleræque rapinæ diuenditæ fiant quintuplo; quique proxime accedit vt deprehendatur dupli pænę sit obnoxius, ideo inquit, reddet septuplum.

Exod. 22. v. 1.

*Omnem substantiam domus suæ dabit* donec septuplum rependat, iam. n. à Deo preceptum est, vt propter furtum suum quis vendatur.

32 *qui autem adulter est* Verum, qui cum aliena scortatur, is prorsus mente captus est:

*perdet animam suam* quia si illum quis interimat, iugulationem hanc is sibi fabricatus est, quod indicant illa, ipse fecit eam.

33 *turpitudinem* נגע negah plagam: huic Deus plagas infligit, iuxta illud, percussit Dominus Pharaonem.

*ignominiam* ab omnibus enim qui illum adspexerint, ludibrio habebitur.

*& opprobrium* illius probrum, qui cum vxore aliena concubuerit ex hominum memoria nunquam excidet.

34 *quia zelus, & furor* ex zelotypia n. furor excitatur.

*viri* mariti nimirum, qui cum furore succensus est, zelotypia torquetur, quod alter cum vxore sua iacuerit.

## LEVI GHERSOMIT.

30 *non grandis est culpa* Non valde vituperant homines cū quis furatur ad pellendam famem &c.

31 *deprehensus quoq;* Quodsi is sibi cibum parare potuisset absq; quod furaretur, ea pęna mulctabitur, vt pro re aliqua septem rependat, itaut etiam omnem substantiam domus suæ exhauriat. Vel etiam is erit horum sensus, qui quidem magis ad rem facere videbitur. Si fur in illius domo reperiatur, à quo res furto sublata sit, eidem

eidem reconciliatur septem pro singulis persoluens; idem etiam omnem substantiam domus illius reddet, quo dimittatur, atq; cum satisfecerit domino, is proculdubio reconciliabitur. Constat auté idcirco nullam inde ignominiam reportare, cum quis deprehensus fuerit in furto fame excruciatus; nec item plagis vapulabit à domino, precibus .n. & donis in gratiam redit. Verum maximo probro vertendum est cum quis adulter est impudicus, is .n. sibi domini ius attribuit, alteriq; surripit, non vt satisfaciat sibi, ac saturetur, vt de fure contigit, sed sibi exitium molitur scortatione, cum elementaris materia, humorq; naturalis effusa libidine perdatur. Qua de causa perspicuum est adulterum excordem esse, cum seipsum perdat.

*perdet eam* הוא יעשנה hu iahasenah .i. hanc actionem is præstabit turpissimam, plagas, ignominiamq; reportabit.

33 *turpitudinem, & ignominiam congregat sibi* plagas sibi parat ab adulteræ marito cum ab illo deprehensus fuerit: ignominia etiam notatur ab omnibus qui id resciuerint, diuersa prorsus ratione ab eo qui furatus fuerat, vt famem expleret. Hæc autem ignominia perpetua constâsq; erit, itaut nunquam obliuione deleatur.

34 *quia zelus, & furor viri* Dicitur autem adulterá viro viribus prædito plagas reportare, cum zelus vires acquiret, itaut is se continere nequeat quin illi grauissimas, acerbissimasq; plagas inferat, itaut hanc ineat rationem vlciscendæ iniuriæ ab altero illatæ.

35 *nec acquiescet* Quodsi inquias futurum, vt diuitijs sedetur; quemadmodum de fure euenit, en ille nullam expiationem admittet, nec acquiescet licet munera plurima afferantur.

# CAPVT SEPTIMVM.

## Vers. I. II. III. IV. V.

1 Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi.

2 Fili serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi tui.

3 Liga eam in digitis tuis; scribe illam in tabulis cordis tui.

4 Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca, amicam tuam.

5 Vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ d verba sua dulcia facit.

## V A R. L E C T.

*a Syr. absconde in corde tuo. b Syr. in collo tuo. c Chal. cognatam. Syr. bene notam. d Syr. cuius verba blandiendo decipiunt.*

## S A L O M. I S A C.

2 *quasi pupillam* אישון ison est pars oculi nigra, quæ tenebrosa videtur sicut אישון isson noctis est pars noctis obscurior, & caliginosa.

hic. v. 9.

4 *amicam tuam* מודע modah .i. vicinam, seu propinquam, iuxta illud propinquus noster est, quod perinde est ac si diceretur, eam tibi propinquam, ac tanquam affinem semper habeto.

Ruth 3. v. 3.

## A. A B E N E Z R A.

3 *in tabulis cordis tui* ne illam vnquam obliuioni tradas.

4 *amicam tuam* מודע modah, .i. propinquum bene tibi notum;

5 *vt custodiat te* affines .n. hominis illum ab obliquo itinere reuocant.

## L E V I G H E R S O M.

1 *custodi sermones meos* Corde repone sermones meos .i. narrationes, quæ in sacris voluminibus continentur, & præcepta legis tecum reconde, vt ea obserues.

2 *serua mandata mea, & viues* precepta in lege contenta, vitęque compos fies immortalis: & ita legem serua, quemadmodum pupillæ oculorum tuorum curam geris.

3 *liga eam in digitis* Neque vero satis est, vt præcepta cordis arcano serues, quin oportet, vt ea digitis alliges, ad illa exequenda; inquit autem in digitis ad eum sensum quo illa, opera digitorum tuorum, quæ nempe effecisti.

ps. 8. v. 4.

*in tabulis cordis tui* vt semper mentis tuæ molitionibus adstent.

4 *Dic sapientiæ, soror mea es* ob amorem, quo illam complecteris, *prudentiam voca amicam tuam* מודע modah .i. appellabis prudentiã tanquam bene notum, & propinquum, ad illam rationem qua illud erat autem viro Elimelech consanguineus, itaut semper cum prudentia, ac sapientia coniunctionem habeas.

Ruth. 2. v. 1.

5 *vt custodiat te* Hac autem ratione euades, ne obsequaris mulieri extraneæ; .i. animæ concupiscenti.

*& ab aliena* Euades etiam alienam, quæ verborum suauitate, & blanditijs homines pellicit, cum .n. sapientia, & prudentia mirabi-

lem sui amorem, desideriumque excitent apud eos, qui has amicas agnoscant cumque: inflammentur mortales desiderijs quibusdam corporis concretione non carentibus, hac de causa cauendum tibi est ab aliena, cum blandę persuasiones maximam vim habeant ad alliciendos imprudentes, & stolidos. Hæc autem figurate dicuntur, vt ostendantur variæ artium blanditię, quibus pertrahuntur vecordes.

## Vers. VI. VII. VIII. IX.

6 De[a] fenestra enim domus meæ per[b] cancellos prospexi,

7 Et video[c] paruulos, considero[d] vecordem iuuenē.

8 Qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur

9 In obscuro; ad vesperascente die, in noctis tenebris, & caligine.

## VAR. LECT.

*a Chal. per fenestras paruas. b Chal. per cancellos habitaculi. Syr. per meniana, vel tabulata. c Chal. insipientes. d Chal. admiratus sum intellectu mancum. e Syr. vespere sole occidente.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *considero* אבינה auinah, diligenter, & accurate probo, & perspicio.

*iuxta angulum* domus meretricię, vel domus superstitionum.

## A. ABEN EZRA.

6 *prospexi* נשקפתי nisKaphthi, prospectus sum. Sunt hæc verba Salomonis, sensusq; illorum est, me ipsum prodidi, & oculis spectantium exhibui, vt cum me adspicerent, gaudio perfunderentur, quam eandem vim habent illa per fenestram respiciens. Verbum aūt נשקף Iud. 5, v. 28. nisKaph ad eum qui se spectandū exhibet, refertur; משקיף masKiph autem eum significat, qui alios intuetur.

## LEVI GHERSOM.

6 *prospexi* per fenestram prospexi.

7 *video paruulos*, illos intueor, qui à dementia, stoliditateq; sua abduci solent.

7 *considero iuuenem*, In tenera adhuc ætate constitutos contemplor, & ecce iuuenis haud multum prouectæ ætatis, qui illis longe est excors; transit enim per plateam, iuxta angulum, versusq; alienæ mulieris domum se confert, idque sub vespertinum tempus, ac per nocturnas tenebras, & caliginem; atq; tandem ad hanc impudicam ingreditur.

## Vers. X, XI, XII.

10 Et ecce occurrit illi mulier ᵃ ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: ᵇ garrula, & vaga,

11 Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,

12 Nunc foris, nunc in plateis, nunc ᶜ iuxta angulos insidians.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. speciem habens meretricis, quæ iuuenum corda auolare facit. Chald. quæ aufert cor iuuenum. b Chal. præuaricatrix. Syr. rebellis, & commessatrix. c Chal. contra omnem angulum opportunum.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *mulier* iuxta verborum sensum id intellige. Vel etiam aliter explicato. Occurrit quispiam externæ fidei alios in errorē pelliciēs.

*ornatu meretricio* סית fith. Hæc vox non dissimilem vim habet ab illa ער שיתותיהם had sitotehen vsq; ad nates .i. meretricia pudenda.

*præparata ad capiendas* נצורת לב netsurat seu munito corde. Quemadmodum ciuitas obsessa circumdatur munitionibus, ita illius cor calliditate & stultitia circummunitur.

*vaga* סוררת soratet, quæ à via deuiat.

## A. ABEN EZRA.

10 *garrula* הומיה homiah .i. strepitum edens, vt nimirum vocem illius audiant hanc per nocturnas tenebras quæ rentes.

*vaga* סוררת sorareth .i. defectionem, & iniquitatem essata.

*iuxta*

*iuxta angulos* donec reperiat excordem.

## LEVI GHERSOM.

10 *occurrit illi mulier* Eidem etiam fit obuia mulier meretriciis pudendis, corde obsessa, & pressa, quod impudica quidem illius pateant, solum autem cor obstrictum habeat; nudat .n. seipsam vsq; ad cor, quæ quidem est hyperbolica quædam huius parabolę ratio, solemne .n. est meretricibus, vt vestimentorum suorum fimbrias extollant, quo corporis sui verenda ostentent, vt ita mortales ad fædum congressum excitent, neq; vllam corporis sui partem obtectã relinquunt, nisi cor, eiusq; partes superiores. Iuxta autem figuratam dicendi rationem, ideo cor opertum est in hac actione, cum mens pro suo munere actioni vacare nequeat cupiditatũ illecebras consectata.

*garrula* המיה homiah. En illa ita clamat, vt ab omnibus exaudiatur repugnante modestæ mulieris consuetudine: illa item diuertit à mariti sui domo, nec domo se continere potest.

12 *nunc foris* Quin modo foras progreditur, modo in plateas se transfert, insidiasq; tendit iuxta singulos platearum angulos, vt forte ibidem scortatorem reperiat.

## Vers. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

13 Apprehensumq; deosculatur iuuenem, & ᵃprocaci vultu blanditur, dicens:

14 ᵇVictimas pro salute uoui, hodie reddidi vota mea.

15 Idcirco egressa sum in occursum tuum, ᶜ desiderans te videre, & reperi.

16 ᵈIntexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto.

17 Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. fronte perfricata inquit illi. b Syr. sacrificia pacifica hæc sunt. c Chal. quippe ne vertens ad societatem dixi, te à me repertum iri. d Chald. in stratis posui*

*sui lectulum meum, & in tapetibus. Syr. stramentis lectum meum straui, & ornamentis lecti Ægiptijs illum ornaui.* e *Syr. sparsi super lectum meum.*

## SALOM. ISAC.

14 *victimas pro salute deuoui* quod perinde est ac si diceret, conuiuium amplissimum paraui, cùm hodie victimas, votaq; persoluã.

15 *& reperi* .i. vt te reperirem.

16 *intexui funibus* מרבדים maruadim .i. vestes preciosas, & pulchras, cui consentiunt illa, quę habentur hic in fine libri, vestes confecit illi.

b.c.31.v.22.

*intexui* רבדתי rauadthi .i. ornaui.

*straui tapetibus* חטבות אטון chatuuoth etun. Hę sunt vestes præclarę lini preciosi, quæ ex Aegypto adducuntur, vbi est linum optimum, iuxta illud Isaię, confundentur qui operantur linum.

Isai.19.v.9.

*pictis* אטון paraphrastes autem vocem אטון vertit באטונים .i. funiculis.

17 *adsperſi* נפתי naphthi, commoui, & excitaui odorem, tanquam qui ciet linteo, vt auram supernè commoueat, infraq; deducat. Dones autem explicauit vocem hanc suffimigandi vim habere, nullamq; aliam huic similem reperiri affirmauit.

## A. ABEN EZRA.

14 *dicens* תאמר vatomar, cum debeat dici vatomer, ideo est mutata ratio, quod לו lo sit enclytica, seu dictio tenuissima, quod idem seruatur in משתותי ijs potuhem,

Exod.18.v.16

15 *victimas* eum mendacijs circumuenit.

*straui tapetibus* חטבות .i. incisi sicut anguli incisi ad similitudinem templi.

## LEVI GHERSOMITES.

13 *apprehensumq; deosculatur* Illum ergo repertum apprehendit, & osculatur quo eius animum ad adulterandum prouocet.

14 *victimas* Non erubescit hæc illi verba impudenter ingerere: en hodie victimæ pacificæ sunt apud me, cū in templo votum meū persoluerim, ideoq; multa caro quæ ex oblatione superfuit domi reseruatur.

15 *idcirco egressa sum* vt rogarem te, quo mecum vescereris, teq; tandem reperi.

16 *intexui funibus* En stragula, & ornamenta pulcherrima super lectulum meum expandi: ipse vero lectulus confectus est ex incisionibus cedrorum, aut aliorum lignorum; funes vero per eum reticulati, & extensi sunt ex canabe Aegyptio .i. confecti sunt ex serico purissi

rissimo Aegyptio, cum ibidem sit sericum præstantissimum.

17 *aspersi cubile meum* posui in illo mixta suffimigia suauissimi odoris, vt magis cubile delectet.

## Vers. XVIII. XIX. XX.

18 Veni [a] inebriemur vberibus, & [b] fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies.

19 Non est enim vir in domo sua, abijt via longissima.

20 Sacculum [c] pecuniæ secum tulit: [d] in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam.

## VAR. LECT.

*a Syr. fruamur amore. Chal. iucundemur amoribus. b Chal. mutuo adhæreamus in voluptate. c Syr. argenti. d Syr. post multos dies. Chal. in die congregationis.*

## SALOMON ISACIDES.

19 *non est .n. vir in domo sua.* Vidi diuinitatis suę sedem Deum ipsum è medio nostrum sustulisse, omniaq; bona impendere ijs, qui idolis cultum præbebant.

20 *sacculum pecuniæ* bonos qui in orbe erant è medio sustulit. *in die plenę lunæ* ליום הכסא leiom hacchese, tempore statuto, & certo vt etiam explicantur illa בכסא bacchese in insigni die solemnitatis.

Fatetur inuitus Hebræos suis amplissimis priuilegijs à Deo spoliatos.

Ps. 80. v. 3.

## A. ABEN EZRA.

18 *cupitis amplexibus* אהבים ohauim .i. amoribus, fruamur, nam tibi vbera mea præbebo.

19 *non est vir* Vir, non autem vir meus hæc inquit, is .n. apud illā in nulla est existimatione, quando scortatur cum alijs.

20 *in die plenæ lunæ* ליום הכסא leiom hacchese, in die absconsionis .i. mensis initio, cum tunc luna operiri videatur.

## LEVI GHERSOM.

18 *veni inebriemur vberibus* simul amoribus nostris oblectemur, cum nemo nobis sit impedimento.

19 *non est vir* Haud maritus meus domi est. Quod si inquias illū vicinum esse, en ille longinquum suscepit iter. Quod si etiam subdas, forte hac nocte reuersum iri, id proculdubio scias, sumpsisse illum argenti sacculum, ad magna mercimonia comparanda. Quare

non

non reuertetur nisi ad diem occultationis .i. ad mensis exordium: quæ dicendi forma petitur ab illis clangite tuba in neomenia ; & forte id ita dicitur, quod tunc Deus per metaphoram, solio insideat vt orbem in iustitia iudicet.

psl. 81. v. 3.

## Vers. XXI. XXII. XXIII.

21 ᵃ Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum ᵇ protraxit illum.

22 Statim eam sequitur quasi ᶜ bos ductus ad victimam, & quasi ᵈ agnus lasciuiens, & ignorãs quod ad vincula stultus trahatur,

23 Donec transfigat sagitta iecur eius : velut si auis festinet ad laqueum, & ᵉ nescit quod de periculo animę illius agitur.

## VAR. LECT.

*a Syr. seduxit eum. b Chal. decepit eum. Syr. abripuit eũ. c Syr. quasi demens, & quasi bos. d Chal. Syr. sicut canis ad vincula, & sicut ceruus cuius hepar sagitta transfoderit. e Syr. & nescit ad mortem suam se pergere.*

## SALOM. ISAC.

21 *irretiuit eum* vecordem illum ad se pellexit.
*multis sermonibus* ita .n. illa edocta est, vt homines instituat.
*blanditijs labiorum protraxit eum* lenocinijs, artibusq; sermonis hũc è via detraxit.

22 *quasi agnus* כעכס che heches, id venenum est serpentis.
*ad vincula stultus* אל מוסר אויל ad correctionem stulti. Quare is erit sensus, quemadmodum serpens iubente Deo excurrit festinus, vt stultum ita promeritum, castiget, ita iste post eam festinat, itaut in eius pedicis illaqueetur, ac iecore sagitta transuerberetur.

23 *velut si auis festinet* ita stultus festinat, quemadmodum auis, quę ad laqueum accelerat, cum ignoret sibi constructas tendiculas in sui ipsius .i. volucris perniciem.

## A. A B E N E Z R A.

21 *protraxit eum* à recto tramite transuersum deiecit.
22 *quasi agnus lasciuiens* כעכס cheheches, Vox hæc desumpta est ex

alia

alia תעכסנה tehachasna .i. videbitis crepitacula pedum ornamen- Isai.v.18.
ta, quę quidem similia sunt compedibus. Hęc ergo ita explicabis.
Quemadmodum stulto durum est cippo pedes inserere, ita eidem
graue videtur, vt ad bonam frugem reuocetur, disciplinaq; instigu-
tionem admittat.

23 *donec transfigat sagitta iecur* Comparat diuinam vltionem sa-
gittæ, itaq; erit sensus, sicut sagitta iecur eius transuerberat, quod di
sciplinam, seu correctionem non admittat.

*festinet ad laqueum* ita celeriter eum sagitta transadiget.

*et nescit* Ignorat stultus adspernari se disciplinam in suum exitium
quippe qui morte punietur.

# L E V I G H E R S O M I T T E S.

21 *irretiuit eum* Verbis cor susurrantibus, blanditieq; sermonũ
illum ab opportuno tramite detraxit, eiusque animum pellexit ad
scortationem.

22 *statim eam sequitur* Stultus ergo statim post eam incedit, simi-
lisq; est boui, qui sponte accelerat ad locum, in quem abiturus quẽ-
admodum etiam mulieres celerrime se conferunt ad crepitacula
pedum ornamenta putantes illis se ornatas iri, haud tamen animad
uertentes, ea potius pedicarum loco deseruire, cum scilicet ita ligẽ-
tur illis, vt nec incedere, nec gressus dilatare possint; eadem etiam
ornamenta mulieres cohibent ne scortatores suos queant sectari, quod
tamen non aduertunt, Hoc ergo loco עכס hic hasim erunt ornamẽ
ta, quæ pedibus gestabantur, iuxta illud, calceamenta habebant cum
crepitaculis, quibus insinuatur id quod modo diximus. Stultus ergo
post hæc incedit, vt commemoraui, donec transfigat sagitta &c.

*Crepitacula pedum ornameta Hebræis vsitata ex Esaia.*

Isai.3.v.16.

23 *donec transfigat sagitta* donec sagitta iecur eius proscindat &
dilaceret.

*Velut si auis festinet ad laqueum* Quemadmodum passer festinat
ad laqueum, quo irretietur ignorans, de sua pernicie agi. Illud
autem sapienter in hac parabola continetur, quod maxime conueniat
cum re circa quam parabola versatur. Cum .n. inquit, nunc foris,
esse, nunc in plateas se conferre ad scortandum, pertinet hæc actio
ad animam concupiscentẽ, ob rem quæ haud hominis propria est, vt
homo est, sed quæ propria est hominis, vt conuenit cum iumentis,
Tribuitur autem hæc actio tempori vespertino, neque .n. seduci-
tur quis, vt cupiditatum illecebras consectetur cum intelligentis fa-
cultatis lumen refulget. Qua de causa inquit video paruulos, con- hic.v.3.
sidero &c.

## Vers. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

24 Nunc ergo, fili mi, audi me, & attende verbis oris
mei. N Nc

25 Ne abstrahatur in vijs illius mens tua : neque decipiaris semitis eius.

26 Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

27 Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. ne deflectat cor tuum.* b *Syr. occisos.* c *Syr. descendentes ad cubicula mortis. Chal. ad cubilia sepulturæ.*

## A. ABEN EZRA.

24 *nunc ergo filij* בנים banim filij, populus .n. est filiorum loco.

25 *ne abstrahatur* Ne deuies a recto tramite, ppter semitas meretricis.

27 *via inferi* domus eius infernus est quidam.

*penetrantes* יורדות ioredoth, quæ illam descendere faciunt, iuxta explicationem eorum vagi sunt gressus eius, vel etiam vox ioredoth descendentes significat & pertinebit ad gressus eius.

## LEVI GHERSOM.

25 *ne abstrahatur* ne deflectat mens tua ad tramitem huius exteræ mulieris, quæ te adducit ad cupiditates amplectendas; neque in illius via erres.

26 *multos enim vulneratos deiecit* iam .n. illa ad exitium multos adegit, eosque fortissimos.

27 *via inferri domus eius* Viæ quibus ad illius domum quis progreditur mortis, sepulchriq; sunt semitæ; descenduntq; in interiora mortis, quod vitæ compos esse nequeat qui cum illa congreditur, vt antea dictum est, sed corpori mors, animæq; exitium inferatur. Quæ cum ita sint, ne illius persuasionibus aures adhibeas, sed solum sapientiam, prudentiamq; suadentem ausculta, quibus homo ad illorum contemplationem, quæ supra cõmemorata sunt allicitur.

# CAPVT OCTAVVM.

### Vers. I. II. III.

1 Numquid non sapientia clamitat, & prudentia dat

dat vocem suam?

2 In summis, excelsisq; verticibus supra viam, in medijs semitis stans,

3 Iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens:

## VAR. LECT.

*a Syr. ideo. b Syr. prædicat. c Chal. eleuat. Syr. respondebit tibi. d Chald. in capite collium est sapientia. e Syr. inter vias. f Chal. in foribus iuxta portas in introitu ciuitatis. g Chal. Syr. in aditu portarum laudat. & dicit.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *numquid non sapientia* annon lex vobis concionabunda ea profatur, quę infra explicabuntur.

3 *iuxta portas ciuitatis* לפי קרת est autem קרי contignatio, & contabulatio, quę apponitur portis ciuitatis cui insident.

*loquitur* תרנה taronna .i. sublimi voce exclamat.

## A. ABEN EZRA.

Qua ratione sceleſtæ mulieris ignominiam aperuerat, eadem sapientię simplices erudientis præstantiam dignitatemq; enarrat.

3 *ciuitatis* קרת Karet, idem ac קריה Kiriath ciuitas.

## LEVI GHERSOMITES.

1 *sapientia clamitat* ad viros.

*prudentia dat vocem suam* . vt eos aduocet.

2 *in summis* vt autem verba hæc audiant, in summis excelsisque verticibus vtraq; commoratur, tum etiam iuxta vias, vt pertingant tum ad transeuntes, tum ad assidentes, vt illos conscios faciant tramitis quem ingrediantur.

*in medijs semitis* Cum autem eo loco multæ sint semitæ, propterea q; facile quis errare posset, ideo ibidem illa adstat, vt indicet quę via sit capescenda.

3 *iuxta portas ciuitatis* vt intelligat quanam porta ingrediatur eum ad rerum explicationem quispiam accedit.

*in ipsis foribus* in ipso aditu forium, vt ostendat quæ nam subeundæ fores, vt ad rerum explicationem quis pertingat. Hoc au-

tem ideo dicitur, quod in plerisq; difficilioribus contemplationibus, oporteat longe remotis præmissis vti, vt cognitionem adipiscamur, à quibus quidem prouecti ad propinquiora adducamur, gradatim nimirum ab altera ad alteram, donec res innotescat. Prudentia igitur, & sapientia assidue instituunt in huiusmodi contemplatione, ad viam ordinemq; capescendum, quibus ad eam prouehamur. Quod optime insinuant illa carminis suauitate pronunciata Intelligite paruuli astutiam &c.

Vers. IV. V. VI. VII. VIII. IX.

4 O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.

5 [a] Intelligite paruuli astutiam, & insipientes [b] animaduertite.

6 Audite, quoniam [c] de rebus magnis locutura sum: & [d] aperientur labia mea, vt recta prædicent.

7 Veritatem meditabitur [e] guttur meum, & [f] labia mea detestabuntur impium.

8 Iusti sunt omnes sermones mei, non est enim in eis prauum quid, neque peruersum.

9 [g] Recti sunt intelligentibus, & æqui [h] inuenientibus scientiam.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. vt insipientes astutiam percipiant. b Syr. stulti prudentes sint in cordibus suis. c Syr. principalia. d Syr. aperit os meũ rectitudo. e Syr. ôs meũ. f Syr. detestabilia sunt mihi labia mendacia. g Syr. manifesti sunt viro intelligenti. h Syr. qui hæc scire desiderat.*

## SALOMON ISACIDES.

4 *O viri* quid autem sapientia inquit? O viri ad vos clamito.
6 *de rebus magnis locutura sum* נגידים neghidim, verba principum, & grauissima.

*o viri*

## A. ABEN EZRA.

4 *o viri* o vos qui diuitijs polletis: lat. ps. 48. v. 9
*ad filios hominum* ad inopes, iuxta illud, quiq; terrigenæ, & filij ho
minum, simul in vnum diues, & pauper.

5 *intelligite paruuli astutiam* qua solertes fiatis, vt à vobis remo-
ueatur fatuitas, facilitasq; credendi.
*insipientes animaduertite* havinu leu, mentem scientia im-
buite; vel prudentiam, solertiamq; corde reponite, itaut hoc sit ver
bum actiuum transitiuum.

6 *rebus magnis* נגידים neghidim, ac si essem princeps, & dux. Hæ hic. c. 27. v. 20.
autem sunt res præclaræ, & honorificę; nec dissimile est illud, annō Tertia sūtquę
descripsi tibi triplicia, quod desumptum est ex illo, Exod. 14. v. 7. & à principibus,
tertios i duces exercitus à rege. n. est tum secundus, tum tertius. qui tertij sunt
à principe tra
ctari solent.

9 *recti* i. veritati consentanei.

## LEVI GHERSOM.

5 *intelligite paruuli astutiam* Sollicite studete, vt ad sapientiam instituamini; arbitror autem hanc solertiam absolui, cum quis artē logicam apprime callebit, ea .n. mentem nostram assuescit studij, speculandiq; rationibus.

*insipientes animaduertite* vos qui amentia laboratis mente prudentiam admittite quoad res, quę sub contemplationem cadunt.

6 *de rebus magnis* de rebus honorificis pręstantibusque sermonem habebo, sermonis autem mei exordium, nonnisi recta æquaq; continet. Ideo autem hæc dicuntur, ne arbitraretur quis hyperbolicos ista, figurateq; pronunciari, sicut in poeticis, prouerbijsque contingit.

7 *veritatem meditabitur guttur meum* .i. veritatem loquar, non autem vel iniqua, vel mendacium. Mea autem verba iustitię, æquitatiq; conformantur, itaut nihil in illis reperire possis, quod à veritate deuiet.

9 *recti sunt intelligentibus* Vniuersa verba mea recta sunt, & opportuna ijs qui intelligunt, perspectamq; habent sapientiam quæ hęc scatent.

### Vers. X. XI. XII.

10 Accipite disciplinam meam, & non [a] pecuniam:
doctrinam magis, quàm [b] aurum eligite.
11 Melior est enim sapientia [c] cunctis preciosissi-
mis,

mis, & omne desiderabile non potest ei comparari.

12 Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.

## VAR. LECT.

a *Chal. argentum.* b *Chal. aurum conflatum. Syr. aurum purissimum.* c *Syr. auro purissimo, & melior gemmis, & nihil illi est æquale.* d *Syr. creaui astutiam, & cognitionem, & consilium ego acquiro. Chal. inuenio.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *quam aurum* מחרוץ mecharuts, quod est genus auri præstantissimum.

*preciosissimis* פנינים peninim gemmæ lapidesq; preciosi.

*non potest ei comparari* non videntur ei paria, vel æqualia.

12 *habito in consilio* habito iuxta solertiam, cum enim legis cognitione quis præditus fuerit, erga res omnes acumine & solertia imbuitur.

## A. ABEN EZRA.

12 *habito in consilio* שכנתי ערמה sachâti horma Deest beth, ad illam rationem, qua illud שכן ארץ sachan erets, vis autem est sapientię opus esse solertia, sine qua ea consistere nequit.

*& eruditis* Assequor cognitionem subtilium cogitationum eorum à quibus exquiror, imaq; mentis eorum penetrabo. Ita etiam possunt explicari. Ego sapientia calleo, perspectamque habeo calliditatem, ac si in illius meditullio stationem haberem: ipsa etiam descẽdo ad extremum cognitionis omnis solertis cogitationis: cum autẽ scientia comparetur post sapientiam, & prudentiam vtitur verbo inueniam, cum sapientia non careat qualibet prouida, acutaque cogitatione.

## LEVI GHERSOMIT.

10 *accipite* Pręoptate vobis disciplinę possessionem magis, quã argentum: doctrina vero, qua vos imbuam est auro præstantior. Ex quo sapientia vniuersis gemmis est preciosior; vniuersa deniq; quæ in votis mortales habent quoad cætera, præter rerum contemplationem haud illi sunt comparanda. Hæc autem à sapientia pronunciantur,

ciantur, vt intelligamus quęnã sint necessaria ad illam assequendã.
12 *habito in consilio* Ea loca inhabito in quibus reperitur solertia, studiorũq; rationes, ordines nimirum qui à logica pręscribuntur.

## Vers. XIII. XIV. XV.

13 Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os [a] bilingue detestor.
14 Meum est consilium, & [b] æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.
15 [c] Per me reges regnant, & [d] legum conditores iusta decernunt:
16 Per me principes imperant, & potentes [e] decernũt iustitiam.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. peruersum. b Syr. doctrina. Chal. cogitatio. c Syr. propter me. d Chal. potentes vngo iustitia, e Chal. in rectitudine. Syr. iudices iusti.*

## SALOM. ISAC.

13 *timor Domini odit malum* Hæc est morum conformatio, quam sapientia per concionem effatur mortalibus.
15 *per me reges regnant* nam eos ipsa iudicium, & iustitiæ normam edoceo.

## A. ABEN EZRA.

13 *timor Domini odit* שנאת senoth odisse Est vox infinitiui modi.
*mali* רע rah, quæ vox generatim significat cuiuslibet rei quodlibet vitium, & defectum, cuius partes quædam sunt arrogantia, superbia, via praua, & os bilingue: est autem via praua nihil aliud, quam improba consuetudo.
*os bilingue* תהפכות פי pi tahaphucot, i. os conuersionum quod os modo ad hoc, modo ad illud se conuertat.
*detestor* quasi dicat, Cum timoris Domini sit odisse ista, eadem quoque ipsa detestor, iuxta illud, nonne qui oderunt te Domine, oderam. Verum is qui accentus sacris voluminibus adscripsit, cum apposuit accentum maphsik in voce פי pi haud istam explicationem Iac. pl. 138. hebr. 139. v. 21.

nem animaduertit. Verisimile etiam videtur illa, os bilingue, verba esse sapientiæ, q. d. Ego sapientia calliditatem solertiamq; inhabito; & cogitationum cognitionem assequor: perspectum etiam habeo, timorem Domini odio prosequi elationem, fastum, viam prauam: os autem significat sermonem, iuxta illud, quoniam iuxta os Domini, i. iuxta verba Domini, & huiusmodi. Vel etiam assensus sententiaque mea est veluti os vnum vtile regi odi nempe sermonis varietatem, & peruersitatem; sapientia enim, & peruersitas mutuo se odio insectantur, cum simul stare nequeant: vox autem תהפכות tahphucot complectitur ea, quæ aduersa, aut cōtraria sunt bono, & recto.

14 *mea est prudentia* אני בינה ani binah ego prudentia: dictū est autem ego prudentia, non mecum est prudentia, cum prudentia sit sapientiæ fætus, sapientia autem sublata prudentia tollatur.

14 *mea est fortitudo* Hoc simili ratione dictum est ac illud, sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis.

eccl. c. 7. v. 20. 15 *per me reges regnant* illorum. s. regnum durabit: vel mea opera reges regnabunt, quasi id ad illorum finem spectet.

*iusta decernunt* principes sancient iustitiam, leges scilicet sancientes quibus iustitia, iudiciumq; seruetur.

## LEVI GHERSOM.

13 *timor Domini odit malum* Eidem etiam sapienti necesse est, vt diuino timore sit præditus, hoc est recta morum institutione; opus etiam erit, vt virum malum odio insectetur, qui ab illius consuetudine recedat, superbiæ & fastus consuetudinem à se cohibeat, qui bus maxime arcetur mortalis à perfectione; necesse ēt erit, vt obliquum callem adspernetur quoad opiniones, & ea quæ mendaciorū semina sint, & origo; hæc enim prohibent, quominus sapientia acquiratur; qui autē contemplationi vacat deducere studet sua pronunciata ex principijs ea ratione, qua pro certis accepta fuerunt, à quibus quidem nunquam recedens in errores pertrahitur.

14 *meum est consilium* לי עצה li-hetsah mihi est consilium, quod quidem euenit, quod consilium sumatur ex rebus proprijs, & substantialibus, vt si diceres consilium esse, cum quis calore inhibe-illo est, ad hoc vt concalescat rebus calidis vescatur. Consilium ergo contingit in scientijs, quæ ad praxim instituunt, vt medicina, agricultura, & ijs similib.

*& æquitas* תושיה tuschiah, quod significat assecutionem legis intelligibilis, quæ rebus inest

*mea est prudentia* אני בינה ani binah ego prudentia, mea est fortitudo, inquit, in sapientiæ nos compotes fieri per ea, quæ iuxta naturæ ordinem constituta sunt, quæ autem contingunt præter hunc ordinem veluti res quædam admirabiles, fortitudinis appellationem

tionem habent, quod per causas proprias non cognoscantur, & quando contemplatio in illarum meditatione versabitur, fortitudinem vri dicemur. Prudētię item partes sunt, vt politicam philosophiam percipiamus, per quam res ciuiles constituuntur, qua scilicet ratione ciuium cætus conformentur, ex quo eodem fonte deriuantur quę ad pœnas pertinent, quæ infligantur profligatis moribus. Cum autem philosophiæ istius politicæ auspicijs consentaneo modo reges regnent, principatúq; exerceant principes, optimates, nobiles, & magistratus, se se ad normam huius philosophicę rectitudinis congrua ratione conformantes, ideo inquit prudentia per me reges regnant.

15 *reges regnant* in populos.

*& legum conditores* hi leges condunt iuxta consentaneum ordinem, & ęquitatem.

16 *principes imperant* ישרו iasoru .i. dominantur.

## Vers. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

17 Ego diligentes me diligo: & qui [a] mane vigilant ad me, inuenient me.

18 [b] Mecum sunt diuitiæ, & gloria, [c] opes superbæ, & iustitia.

19 Melior est enim fructus meus [d] auro, & lapide precioso, & genimina mea argento electo.

20 In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij.

21 [e] Vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

## VAR. LECT.

*a Syr. me quærentes. b Syr. meæ. c Syr. opes antiquæ. d auro electo. e Syr. magnifico diligentes spem, et horrea eorum impleo.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *diligo* אהב ehau idem ac אאהב .i. diligam.

*diligentes me* אהביה ohaucha, quod ita scribitur, quasi præpotens Deus inquiat amore prosequar legis amicos, quod quidem à R. Aharon audiui, citante Rab. Natan.

*inuenient me* ימצאנני ymitsauneni, vbi penultimum nun paragogi-

Nun significat numerũ quinquagenarium quẽ partem esse volunt rationum quibus prudentia obtinetur.

cum est quinquaginta prudentiæ fores illos reperire curabo, qui me requirunt.

21 *vt ditem diligentes me* להנחיל אהבי יש lehanchil hoahai ies vt hæreditare faciam diligentes me quod existit, cum scilicet mecum hæreditas insignis existat.

## A ABEN EZRA.

18 *opes superbæ* הון עתק hon hateK. Quod sublimem significat, & validum, iuxta illud recedant sublimia ex ore vestro.

p.reg.c.2.v.3.

*& iustitia* hoc loco idem significat, ac fælicitas, qua ratione pariter illud explicandum est, iustitia de cęlo prospexit .i. fælicitas.

Iuxta heb.ps. 45.v.12.

19 *& genimina mea argento electo* & prouentus meus melior est argento electo, vel etiam prouentus meus lectior argento inflexa voce נכרת in נכרתה nincherethh ad normã illorũ sųpbia tua decepit te verum magis arridet prima explicatio. Pertinent autem hæc ad declarandum sapientię munus, quoad animi moderationem, & ciuilẽ consuetudinem.

vbi nomen feminez vocis construitur cum verbo masculeo.

20 *in vijs iustitiæ ambulo* Verba sapientiæ eadem sunt, ac sapientis: sensus autem est, eum qui sapientiæ compos fieri velit huic viæ assuescere oportere.

*in medio semitarum iudicij* ne à medio tramite ad sinistram, vel ad dexteram deflectat.

21 *vt ditem* להנחיל יש vt hæreditare faciam diligentes me יש ies; quæ quidem vox connotat acquisitionem rei ad omnem æternitatem duraturę; tum etiam facultatum, diuitiarumq; comparationem, iuxta illud, substantia auri, & multitudo gemmarum, & vas preciosum, vbi יש ies .i. substantia, & facultas est vox generica, partes autem eius, aurum, gemmarum copia, & vasa preciosa. Hæc eadem explicatio adhibenda est illis, & thesauros eorum repleam.

,hæc c.eo.v.15

## LEVI GHERSOM.

17 *diligentes me diligo* Hoc ita intelligendum, nullum esse, qui eam non diligat, illum autem, qui eius amore inflammetur, atque desiderio æstuet, laborare vt eius veritatem assequatur, qui quidem tandem illam obtinebit, propterea quod mane vigilet, eamq; assidue conquirat.

18 *mecum sunt diuitiæ, & gloria,* potest enim mortalis ad prudentiæ normam se conformans diuitiarum, gloriæq; compos fieri, ob morum conformationem, quorum ductu perfecta ratione ad hæc assequenda informatur; huic .n. arti non desunt ordines, & rationes, quibus instruamur ad hasce perfectiones obtinendas

*opes superbæ* .i. stabiles opes, & habitus iustitię, & æquitatis quoad mores.

19 *melior est enim fructus* præstat autem fructus mei auro, ijdem

etiam

etiam argento sunt anteponendi. Meum item est incedere per iustitiæ, æquitatisq; viam, in medio tramite, deducente ad iuditium, cum scilicet ad veritatem illius verba deueniant, falsaq; euertant, ibidē etiam existent præclaræ quædam molitiones, quibus certæ illę viæ ineantur.

21 *vt ditem* Ea ergo vtilitas consequetur ex veritatis declaratione quoad hęc, vt eos qui me diligunt hęredes faciam ᵉ'ies .i. hæredes institu m opinionis congruentis rebus existentibus, à quo fœlicitas humana deriuatur cum secus contingat in sententia, quæ rebus non consentiat.

*& thesauros eorum repleam* Replebo item thesauros diligentium me .i. mentem veris hisce opinionibus; nam ob singularem in me beneuolentiam contemplationi huic quodammodo alligati multa reperient, quibus mentis suæ horreum repleant.

## Vers. XXII. XXIII.

22 Dominus ᵃ possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret á principio.

23 ᵇAb æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. creauit me in initio creationis. b Syr. ante sæculum me stabiliuit, & à principio antequam firmaret terrā.*

## SALOMON ISACIDES.

22 *antequam quidquam faceret* antequam vniuersum moliretur.

23 *ab æterno ordinata sum* נסכתי nissachti, quæ vox eandem vim habet, qua illa primates hominum. Mich.5.v.5.

## A. ABEN EZRA.

22 *possedit me* Etiam hæc sunt verba sapientię:

*possedit* קנני Kanani, non dissimili significatione ab illis, qui creauit cælum, & terram. Gen.14.v.19.

*in initio viarum suarum*, quod perinde est ac si diceretur, pręcipuū illud fuit, quod in animo habuit Deus, cui conuenit illud, quoniam ipse est principium vię Dei.

*antequam quidquam fieret* quod perinde est ac si dicatur, quoniam ipsa est initium viarum Dei. Hæc autem ante omnia existere dicitur, quod necessitatem prius existendi, demonstrat, non quod tem-

pore præcesserit, cum tempus in eorum numerum veniat, quæ pro-
h.c,v.19. creata sunt, iuxta illud, dominus sapientia fundauit terram.

23 *ab æterno* scripturę familiare est, vt illa, quę antiqua sunt pri-
usq; existunt coniungat cum voce עולם holam, iuxta illud, ab ęterno
Ier.5.v.15. ille, & gentem de longinquo.

*ordinata sum* נסכתי nissachti .i. electa fui, iuxta illud נסיכי סיחון nesi-
Iosue 13.v.21 che sichō, electi sehon.

*ex antiquis* ante primordia terræ.

## LEVI GHERSOM.

22 *Dominus possedit me* Parabolice autem inquit prudentia, ad declarandam præstantiam, dignitatemq; suam supra sapientiam Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquā faceret, ex eo tempore, in vniuersi effectione: quę quidem eam vim habent, in rerum exordio quæ tunc condita sunt, id præstitū, quod singulari diuinæ prudentiæ tribuendum esset, orbes nimirum cælestes. Illud autem tibi persuade, nunquam caruisse Deum hac prudentia, & sapientia, quibus auspicantibus orbem vniuersum pro-
lib.5.bell.Dei creauit vt alibi declaraui, vbi etiam dubitationibus satisfeci; quando igitur tempor s exordium fuit possedit me Dominus, ante alia opera omnia, quę mox subsecuta sunt.

*ab æterno ordinata sum* Ab eo tempore, quo orbis extitit donata sum fortitudine, potestate dominandi, & pręstanti sublimitate.

*& ex antiquis* in principio, cum terra condita fuit.

## Vers. XXIV. XXV. XXVI.

24 Nondum erant abyssi, & ego iam [a] concepta erā: necdum [b] fontes aquarum eruperant:

25 Necdum montes [c] graui mole constiterant: ante colles ego [d] parturiebar.

26 Adhuc terram non fecerat, & flumina, & [e] cardines orbis terræ.

## VAR. LECT.

*a Chal. genita sum. b Syr. nondum erant aquæ in fontibus. c Chal. defixi essent. d Chal. condita sum. e Chal. verticem pulueris orbis.*

## SALOM. ISAC.

24 *concepta eram* חוללתי cholalthi .i. creata sum.

*montes*

25 *montes graui mole constiterant* in medio aquarum.
26 *adhuc terram non fecerat* terram Israeliticam, & cæteras regiones:
*cardines orbis terrę* primum humani generis parentem.

## A. ABEN EZRA.

24 *concepta eram* חוללתי cholalti idest effecta fui; hæc autem vox principij significationem habet; proximeq; accedit ad vim illorum & ad Saram, quæ peperit vos. Isai.51.v.2.
*fontes aquarum erumperant* נכבדי מים nicbadè maim fontes aquis graues, quæ quidem grauitas copiam, multitudinemque significat; cuius generis est illud multiplica te, vt bruchus multiplica te, vt locusta.
25 *montes graui mole constiterant* הטבעו hotbahu, simili forma dicendi illis, super quid bases eius solidatę sunt; vtrumq; autem nititur significationi illorum, demersi sunt in mari rubro; cuius quidem raratio est, quod eorum fundamenta defixa, prorsusq; immersa sint in imis aquis. Nahu.3.v.15 Iob.8.v.6.
26 *adhuc* עד לא had lo, quod explicabis iuxta paraphrastem, qui vertit antequam.
*fecerat*, quod coincidit cum illis, ego Dominus feci terram.
*flumina* חוצות chutsuth, quæ vox plateas significat, quibus innuitur superficies vniuersa continentis, quę sub oculos cadit.
*& cardines* ראש rose quòd significat ante, iuxta illud מראש meros .i. ante.
*orbis terræ* עפרות haphroth .i. plagarum terræ: quæ eam vim habent, antę orbem terræ .i. ante continentem: vbi diuersis verbis idem repetitur.

## LEVI GHERSOM.

24 *nondum erant abyssi* Antequam existerent abyssi procreata sum, cum cęlestes orbes dignitate atq; existendi origine abysso sint superiores, antequam etiam fontes ibidem, fluuiorumq; maximorum copia existeret ex aquis.
25 *necdum montes* antequam montes sua congrua sede collocarentur, & antequam colles existerent concepta fui.
26 *adhuc terram non fecerat* Necdum Deus terram condiderat, & plateas, nobiliores nempe terræ partes, & sublimiores, quæ quidem est id, quod oculis patet, tum etiam terram, & plateas, vbi idē immutatis verbis deuuo declaratur.

## Vers. XXVII. XXVIII. XXIX.

27 Quando præparabat cælos * aderam: quando cer-

certa lege, & gyro vallabat abyssos.

28 Quando *c* æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum:

29 Quando *d* circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. quando *e* appendebat fundamenta terræ.

## VAR. LECT.

*a Syr. cum eo fui. b Syr. quando fecit circulum super faciem abyssi. Chal. gyrum circumduxit super faciem. c Chal. quando condensabat nubes desuper, & quando roborabat fontes abyssi. Syr. quando roborabat nubes desuper quando roborabat fontes abyssi. d Syr. mari legem ponebat, & aquæ non prætergrediuntur os eius. e Ch. ponebat fundamenta. Syr. quando fecit fundamenta terræ, cum eo firmabam.*

## SALOM. ISAC.

*vallabat abyssos* cum scilicet expandit terræ orbem super aquas. חק chuK est terminus, quem prætergredi non liceat; חוג chug aūt idem significat, ac ambitum, iuxta illud in circino tornauit illud.

*librabat* cum scilicet abyssi fontes roborauit.

*quando appendebat fundamenta terræ* quod perinde est, ac si diceretur בחקו bech uKor, quæ vox desumpta est ex ea חקק iuxta illud על כפים חקותיך

Aliter etiam libet explicare. Decreuit Deus, vt mare rubrum, quādo est procreatum, eidemq; hanc conditionem imposuit, vt Moysi iter expeditum præberet.

## A. ABEN EZRA.

27 *quando præparabat* בהכינו bahachino, beth, quod in hac voce, tum in subsequentibus quando firmabat, quando circumdabat &c. temporis primordia, antiquitatemq; ostendit; eaq; est vis, & sensus, tunc ego existebam, vel nequaquam illa me præiuere in rerum molitione: vox autem בהכינו bahachino eiusdem est significationis ac כונן שמים chonem samaim .i. qui firmat cælos; & illius, fiat firmamentum.

*certa lege, & gyro vallabat abyssos* בחוקו חוג beechuKo chug) quo sci-

scilicet tempore cœlestes orbes abyssi superficiei circumposuit; est enim abyssus veluti centrum: חג autem eandem vim habet, quam illa Iob 22. v. 14. circa cardines cæli perambulat, circinus autem, quo res in circuli figuram obsignantur מחוגה machoga appellatur à circulo, quem delineauit. Verbum autem בחוקו bechuKo daghes insigniri debuisset, cum traducatur à verbo חקק iuxta illud & describes in ea, vel etiam erunt duo distincta verba eiusdem significationis חקק & חקה cuius generis est vox illa, quis mihi det vt in libro insculpantur & c. Ez c. c. 4. v. 1 Iob 19. v. 23.

28 athera firmabat sursum באמצו beammetsò, quod robur, firmitatemq; significat, coinciditq; cum illis, quando præparabat cælos.

librabat fontes בעזוז bahazoz quod significat vim, & robur; hoc autem loco est infinitiua vox verbi perfecti, .i. roborare; firmitas autem & robur aquis etiam methaphorice tribuitur, iuxta illud, in aquis vehementibus semita; quibus etiam fortitudo conceditur, iuxta illud, aquas fluminis fortes & multas. Esai. 43. v. 16 item 8. v. 17.

29 legem ponebat aquis quod dicitur simili ratione qua illud, qui posuit arenam terminos maris fædere sempiterno, & non præteribunt eas.

# LEVI GHERSOMITES.

27 quando præparabat cælos בהכינו bahachinò, quo tempore dispo suit Deus cælorum molem, ad illum numerum, constitutionem, latitudinem, magnitudinem qua constat, tum etiam sydera in iisdem defixa, per quæ inuestigari motus opportune possent ex orbe sublunari, tunc ego ibidem aderam; prudentia .n. Deus vsus est in dispo nenda cælesti sphæra, vt ante commemoratum est; quando scilicet circũposuit circulum abyssis, qui quidem abyssi nihil aliud sunt quã globus terræ, vt explicaui in lib. gen. centriq; vice funguntur cælesti sphæræ comparati: ad normam igitur circini circumduxit illi cælestes orbes, circini pedes hinc inde à singulis cælis circumducens.

28 quando athera firmabat sursum Cum cælorum globum firmaret, eiq; firmitatem, stabilitatemq; concederet, itaut robore præcellerent tanquam res fusiles, quod quidẽ consentaneum fuit, quod voluerit Deus vt qualitatem acciperent, quæ duritiem præseferret. Cui consonat tritum illud, orbes cælestes prima die præteneros fuisse, secunda vero obduruisse.

librabat fontes בעזוז bahazoz .i. cum concessit Deus robur, firmitatemq; ijs, quæ ex prima materia constabant, apud fontes abyssi, terræ nimium orbem hæc enim vniuersa singulari prudentia effecta sunt, nam nisi terram stabili ordine firmasset, haud motus vsitatos cælorum orbes exercerent.

29 quando circumdabat mari terminum Tunc aderam cum mari ter minum circumscripsit, cum scilicet constituit, vt aquæ sublunares

in

in vnum locum congregarentur, & appareret arida.

*ne transirent fines suos* לא יעברו פיו & aquę non transgredientur os eius, itaut quem locum Deus voluit apertum esse, nec aquis obrutũ, certa lege semper detectus permaneret.

*fundamenta terra* Hæc est terrę pars obuia, & patens, elementum nimirũ in quo germinantia, & quæ viuendi vsum habent, degerēt.

## Vers. XXX. XXXI.

30 ᵃ Cum eo eram cuncta componens: & ᵇ delectabar per singulos dies, ludens coram eo in omni tempore;

31 ᶜ Ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse, cũ filijs hominum.

## VAR. LECT.

*a Chal. eram in latere eius nutrita. b Chal. per singulos dies lætabar ego coram eo omni tempore. Syr. in me lætabatur quotidie, & omni tempore. Syr. in me lætabatur quotidie, & omni tempore coram eo lætabar. c Syr. lætabar in orbe terrarũ, & laudabar inter filios hominũ. Ch. lætabar in orbe terræ eius, & laudes meæ in filijs hominũ.*

## SALOM. ISAC.

30 *cuncta componens* אמון amon .i. ad apud eũ nutriebar, ac crescebam, quod vim non dissimilem habet ab illis האמונים qui nutriebantur in croceis.

Thr. c. 4. v. 5. *per singulos dies* יום יום iom, iom, .i. annorum myriades.

31 *ludens in orbe terrarum* Per vniuersas ętates, ab Adamo vsque ad Noemum, & à Noe vsq; ad Abrahamum, iniquos illudebam, qui tunc existebant.

*deliciæ meæ* prospexi vsq; ad tempus illud, quo diluuio cuncta sũt obruta, vt me admitterent, reciperentue.

## A. ABEN EZRA.

30 *cuncta componens* אמון amon, quę vox coincidit cum illa sicut
Nu. 11. v. 12. portare solet nutrix infantulum, vbi אמון amon est nomen idem ac
כאמון ad vim illorum, vt eo tēpore solita erat, quo illá nutriebat, &
Est. 2. v. 20. ps. 45. v. 8. eiusdem formę ac vnxit te Deus oleo lętitię.

&

30 *& delectabar* ואהיה שעשעים vechieh sahasuhim . & eram deliciæ; quod ita explicabis; post hęc autem deliciabar, cum iam non amplius, vt paruula enutrirer. שעשעים sahasuhim autem est nomen quod singulari voce caret, vt נעורים, קדמים, poniturq; substantiuum pro adiectiuo; vt & erit benedictio .i. & erit benedictus. Ex quo non inepte dices, desiderari particulam ב beth, in, vt sit sensus, & eram in delitijs.

*per singulos dies* .i. tempore vniuerso.

31 *ludens in orbe terrarum* Ea congrua erit explicatio, vt inquias versiculum hunc esse explanationem eorum, quæ paulo ante dicta fuerant: cum enim inquit ludens in orbe qui est terra eius, explicantur illa ludens coram eo omni tempore; hæc item delicię meę cum filijs hominum explanant superiora, per singulos dies deliciabar, & delectabar.

*cum filijs hominum* את idē, ac עם .i. simul, cum. Hæc autem eo spectant, ideo delicię meæ cum filijs hominum, quod ipsi me recipiant & ipsa eorum curam geram, parq; sit voluptas, qua vtriq; afficimur.

## LEVI GHERSOM.

30 *cuncta componens* Eram apud Deum, qui alit, amplificat, & pręparat quę ad prudentiam pertinent. Hac ergo ratione eram in delicijs apud eundem per singulos dies, quod delectetur semper Deus, planeq; beatus sit cum seipsum contemplatur, & comprehendit, ex quo sapientiā, prudentiamq; suā cognoscit; omni aūt tempore ludens eram coram eo, qui est ipsa sua essentia, sui ipsius comprehensio, & in illo quod fieri potest in rebus effectis à prudentia, quæ apud Deum est.

31 *ludens in orbe terrarum* ipsa letitia, voluptateq; perfundebam mortales in orbe terræ eorum.

*deliciæ meæ* Eæ sunt cum filijs hominum, cum illi summa afficiantur lętitia cum aliquid ad prudentiam sapientiamque spectans assecuti fuerint.

## Vers. XXXII. XXXIII.

32 Nunc ergo filij audite me: Beati qui custodiunt vias meas.

33 Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite a abiicere eam.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. ne erretis. Chal. ne conculcetis eam.*

## SALOMON ISACIDES.

33 *nolite abijcere eam* אל תפרעו al tiphrahu : ne meam institutionem irritam esse velitis.

## A. ABEN EZRA.

32 *nunc ergo*, adhortantis, deprecantisq; sunt ista.
*beati qui custodiunt*, exagerationem continent ista.
*meas vias* illas scilicet, de quibus dicitur, demonstraui illis viã, per quam ambulent.
33 *audite disciplinam* præponit disciplinam sapientiæ, iuxta tritum illud, præmittat quilibet peccati timorem sapientiæ suæ.
*nolite abijcere eam* ita explicabis; Ne ordinem peruertite; prius .n. assuescendum est disciplinæ; seu morum conformationi, deinde vero sapientiæ danda est opera. Vel etiam ea vis erit; ne peruertatur, vel negligatur, vel abijciatur disciplina, & institutio.

## LEVI GHERSOM.

33 *audite disciplinam* præponitur morum conformatio.
*estote sapientes* subsequitur deinde sapientia.
*nolite abijcere eam* Ne desides negligatis, quin sapientiæ inuigiletis. Vel etiam hæc ita intelliges.
*nolite abijcere eam* Ne hæc instituta abijciatis, quæ vobis præcepi; sunt .n. semita, & via, quibus sapientię compotes efficiamini.

## Vers. XXXIV. XXXV. XXXVI.

34 Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & [a] obseruat ad postes ostij mei.
35 Qui me inuenerit, inueniet vitam, & [b] hauriet salutem à Domino:
36 Qui autem in me peccauerit, [c] lædet animam suam: Omnes qui me oderunt, diligunt mortẽ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. custodit limina ostij mei. Chal. vt custodiat postes portarum mearum. b Chal. habebit beneplacitum à facie Dei. Syr. quoniam processiones meæ, vitæ sunt proces-*

*cessiones,& procedit complacentia à Deo.* c *Chal. disperdit.*

## SALOMON ISACIDES.

34 *qui vigilat ad fores meas,* vt primus scholas, synagogamq; ingrediatur, exeatq; postremus.

## A. ABEN EZRA.

34 *Beatus &c. qui vigilat ad fores* Intelliguntur ista de consuetudine, & assidua statione in domibus sapientiæ: cum autem vsurpetur fores, & postes ostij, idem diuersis verbis repetitum est. Recte autem explicabis, ostia esse sapientiæ sedẽ, postes vero & fores esse modum & ferramenta scientię cuiusque; primas nimirum notiones ex quibus argumenta, seu quæstiones efformantur, quibus conformentur propositiones verę, quemadmodum innuunt illa, & obseruat ad postes.

35 *inueniet vitam.* Vitę vox communis est tum corpori, iuxta illud quid mihi vita; tum pinguedini, vt vita carnium; &, quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita? tum cibo, vt, ad victum ancillis tuis, tum etiam animo, iuxta illud, vide, dedi ante te hodie vitam, & bonum. Sensus ergo erit, qui me inueniet, vitã adipiscetur, quod ad eos refertur, qui tranquille, imperturbatiq; viam ostij ingrediuntur. Ezech. 6. v. 8. hic. 27. v. 27.

*hauriet salutem* ויפק רצון iappeK ratson, beneuolentiam conditoris sui sibi comparabit.

*qui autem in me peccauerit lædet animam suam* Peccandi vero vox eãdem vim habet, ac si diceretur, qui peccauerit in animam suam, quod est crimen grauissimum: vel etiam significat errare, iuxta illud, funda collimabit in pilum, nec errabit; quod intelligendum de eo, qui sapientiæ compos non sit effectus; dissimilis alteri de quo hic, qui me inuenerit, inueniet vitam; hic enim cum errorum plena, fallaciq; via addiscat, seipsum à veritate criminose diuellit.

*qui me oderunt* Hi sunt, qui sapientiam auersantur, nec ea rite, & fundamentis opportunis innixi imbuuntur. Vel etiam ita hęc explicare poteris. Qui in me peccauerit .i. in me contumax, & auersus fuerit, cum nimirum animum ad alia appulerit.

*lædet animam suam* .i. damnum animo infert, quem expertem reddit scientiæ. Qui me inquam oderunt diligunt mortem; vbi idem repetitur; dicuntur autem diligere mortem pari ratione cum illo, dilexit maledictionem, & veniet ei. Ps. 109. v. 17.

## LEVI GHERSOM.

34 *Beatus* Beatus ille qui ijs obsequetur, quibus à me fuerit insti-

tutus ad me obtinendam, cum nempe ad fores meas euigilarit assidue, & obseruarit fores, quando illi patefiet, quæ via sit ineunda in singulis quæstionibus.

33 *qui me inuenerit* Qui me comperetit vitam immortalem assequetur, diuinamq; beneuolentiam sibi conciliabit, Deus .n. votis illius opem benignus feret.

36 *qui autem* Qui vero peccauerit in me, haud nimirum iuxta institutionis meæ normam iter habens, t instrueretur ad me obtinédam, is lædet animam suam, exterminabit enim à seipso virtutis absolutionem.

*qui me oderunt* quicumq; aût me auersatur, atq; à se longe arcet, mortem diligit, supremumque exitium, ad quod vergunt illius instituta: Constat .n. ab eo qui prudentiam detestetur, sapientiam etiam respui, quod nulla prorsus declaratione indiget.

# CAPVT NONVM.

## Vers. I. II. III.

1 Sapientia ædificauit sibi domum, a excidit columnas septem.

2 Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & b proposuit mensam suam.

3 Misit c ancillas suas, vt vocarent d ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.

## VAR. LECT.

*a Syr. erexit. Chal. statuit. b Chal. ordinauit. Syr. preparauit. c Syr. seruos suos. d Chal. in altitudine sollium validorum. Syr. super excelsa, & dicerent.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *sapientia ædificauit* in sapientia prępotens Deus vniuersum molitus est.

*excidit columnas septem* Hi sunt septem dies, quibus vniuersa sunt effecta. Vel etiam alia erit explicatio, septem columnas dici propter septem libros quos sacra lex sortita sit; nam illud, & factum est dum iret Aaron &c. est liber peculiaris, ex tractatu de sabbato.

mi-

2 *misituit vinum* aquis vinum diluit,quasi vinum generosum sincerum bibi non oporteat.

*proposuit mensam suam* rerum omnium naturā sicco, & humido constare voluit.

3 *misit ancillas* Adamum nimirum,& Euam; vel etiam si lubet aliter explicare,Mosem,& Aaron.

## A. ABEN EZRA.

1 *sapientia* חכמות chochmot sapientiæ, ad morem illorum filiæ discurrit .i. discurrerunt. nomen plurale cōstruitur cum verbo vocis singularis.

*excidit columnas* חצבה chatseuah. Vox hęc petita ab ijs, qui marmora excidunt;quæ quidem in columnarum sectione ęqualitatem, vel constitutionem in cæteris vero reparari,ac expoliri res significat. Gen.49.v.22 Non abs re autem dices sapientiarum vocē adhibitam,vt intelligeremus sapientiam sibi domum construxisse ex septem artibus liberalibus,quod ipsum sibi volunt illa excidit columnas septem, quę vsui essent constructioni domus; quæ explicatio apprime conuenit illis, sapientia ędificauit sibi domum, vbi בית beth est vocis fæmineæ. Vel etiam columnæ septem, erunt sapientiæ columnæ; vox autem columnę demonstrabit septem artes liberales, quibus sapientia innititur. Non desunt autem qui ista septem diuersa ratione explicent;verum cum vnusquisq; sit in hac re sibi arbiter, ipsamet veritas se ipsam prodet.

2 *immolauit* טבחה tauechah,rem significat ad sacrificium mactatam,iuxta illud,reputati sumus tanquam oues occisionis: deinde vero deseruit ad significandum,cum aliquid coquitur,siue id fiat pigmentariorum more,seu ad coquos, vel pistores referatur. Ps.44.v.23. Vtraque autem significatio petitur a voce arabica puncto addito in teth ad mactationem significandam, & puncto adscripto in cheth cum coqui res elixariue demonstratur.

*miscuit vinum* idest diluit vinum, vinum enim mixtum est cum aqua eidem admiscetur, quod quidem ita prodest potanti,quemad modun concoctio vescenti.

3 *vt vocarent ad arcem* על גפי hal gaphe. גפי vero idem est ac גבי gaue .i. super summitates,ob litterarum labialium facillimam permutationem. קרת autem vertitur voce עיר .i. ciuitas:sensus autem est dimissas in varias partes à sapientia ancillas suas, verum etiam ipsam proclamare cum ijsdem in locis excelsis ciuitatis, vt ab vniuersis exaudiatur.

## LEVI GHERSOMITES.

1 *sapientia* intelligentia igitur sibi domum ędificauit ex varijs sapientię generibus cum prius scientiæ,quam prudentiæ quis compos fiat.

exci

*excidit columnas septem* .i. varias scientias, numerus .n. septena-
hie.c.24.19. rius dicitur de multitudine, vt septies in die cadit iustus, & resur-
get: scientię igitur sunt columnę prudentię.

2 *immolauit victimas* postea vero escam, potumq; pręparauit mortalium generi, ex scientijs, & prudentia.

3 *misit ancillas suas vt vocarent* ad vnum quemq; misit ancillas, proclamat item eadem super alas altiorum partium ciuitatis, vt eiusdem verba ad omnium aures pertingant.

## Vers. IV. V. VI.

4 Si quis est [a] paruulus, veniat ad me. Et [b] insipientibus locuta est.

5 Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.

6 Relinquite [c] infantiam, & viuite, & ambulate per vias [d] prudentiæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Chal. insipiens. b Chal. indigentibus intellectu. c Syr. dimittite stultitiam. Chal. vecordiam à vobis amandate. d Syr. vias rectas cogitate.*

## SALOM. ISAC.

4 *veniat ad me* vt erudiatur, sapientiaq; augeatur.

6 *relinquite infantiam* incautum fatuitatis, stoliditatisue iter deserite.

*ambulate* אשרו isru, incessum significat, & gressum, iuxta vim illo-
Iob.23.v.11. rum vestigia eius secutus est pes meus.

## A. ABEN EZRA.

4 *paruulus* פתי peti, is est qui in vitijs, & fatuitate haud ita prorsus obduruit, quin spes relinquatur futurum, vt emendari queat; dicitur autem.

*veniat ad me* statione sua relicta huc declinet,

*insipientibus locuta est* Hanc ergo sermonis rationem tum insipientibus adhibet.

5 *comedite panem meum* בלחמי belachmi, vbi beth adscribitur pro מ .i. vescimini pane meo, idemque est de beth in ביין beiain .i. ex vino meo; quæ perinde sunt, ac si diceretur, qui siti excruciamini ve-

venite ad aquas, omnia .n. ad discumbendum parata sunt.

*6 relinquite infantiam* פתאים petaim, .i. eos qui infantia, & stolliditate laborent .i. deserite simplices fatuosue, vosmet ad me transferentes. Aliter etiam explicabis. Relinquite infantiam .i. quodlibet genus fatuitatis nam פתאים petaim est vox comprehẽdens quãlibet stoliditatẽ, ad illã formã, & diligitis simplicitatẽ, quod est eius formæ qua illud noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix. Aliter ẽt explicabis, esse nimirum illa verba sapientiæ ad fatuos, itaut eos ita alloquatur: ab institutis vestris stolidis recedite, & vitæ fruemini, iuxta vim illorum, euigilate, & scitote, quoniã ego Deus. hic.c.4.v, 5. Ezec.2.v.8 ps.46.v.3.

*ambulate* ואשרו isrù, verbum deductum ex illis, & direxit gressus meos.

*per vias prudentiæ* prudentia autem via est sapientiæ, cuius domus supra septem columnas est constructa.

## LEVI GHERSOM.

*4 veniat ad me* vt institutionem, sapientiamq; acquirat.

*& insipientibus* quiq; intelligendi facultate haud ita pollet, accedat, quo eandem expoliat, & absoluat.

*6 ambulate per vias prudentiæ* viç prudentiæ ita insistite, vt gradatim ad hunc gradum prouehamini.

## Vers. VII. VIII. IX.

7 [a] Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat.

8 Noli arguere[b] derisorem, ne oderit te. Argue sapiẽtem, & diliget te.

9 [c] Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. [d] Doce iustum, & festinabit accipere.

## VAR. LECT.

*a Syr. qui corripit flagitiosum cupiet sibi ignominiam. Ch. accipit sibi ignominiam, & correptio impij, macula est ipsi. b Syr. scelestum. c Chal. doce sapientem. Syr. da tempus sapienti, vt iterum sapientia imbuatur. d Syr. Chal. ostende iusto, & addet scientiam.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *qui arguit impium sibi maculam facit* מומו mumo .i. macula redũdat in eum qui arguit, impius .n. illum probris afficit, nec eidem obtemperat. Quare hinc monemur vetitum esse, ne cum seductoribus sermonem habeamus, vel etiam ad illos corrigendos, ne ve prope ad illos accedamus.

Corrigendi causa colloquia cum aliquo vetita nõ reperio.

8 *da sapienti* imbue sapientia discipulum, qui idoneus sit.

*Doce iustum* iustum sapientia cumulato, tum ille scientia augebitur ex hac cognitione, tum etiam ex auscultatione.

## A ABEN EZRA.

7 *sibi iniuriam facit* לוקח לו קלון loKeach lo Kalon .i. sibi ignominiam accersit; nam derisor est ex eorum genere profligatorum de quibus desperatum est, vt ad bonam frugem reduci queant.

*qui arguit impium sibi maculam facit* מומו mumo. macula sibi; quod redundet macula in erudientem vbi repetitur id, quod dictum fuerat sibi iniuriam facit. Is porro erit sensus: derisorem eum à quo corripiatur odio consectari; impium etiam eum à quo arguatur odisse; nam probra tum erudientis, tum arguentis hi patefaciunt, eosdéq; conuicijs, verbisq; ignominiosis consectantur. Aliud etiam est exponendi genus, vt מומו mumo .i. macula eius ad ipsummet impium referatur q. d. qui derisorem erudit, impiumq; arguit, ex labe eius eidem ignominiam parit, cuius ratio est, quòd impius suas actiones rectas secum ipse arbitretur. Vel etiam ille ipse labes suas agnoscit, ægre tamen fert, se ab altero corripi. Recte etiam ita hæc expones. Quando qui arguit deridet, ostentatq; risum, & cacchinum, quando inquam ita arguit, tunc sibi conflat ignominiam; correctio .n. & eruditio huiusmodi in suum dedecus, conuiciumq; redundat; id .n. merito illi est exprobrãdum. Qui pariter impium arguit, eiusque sordes detegit, sibi conflat ignominiam, impius .n. illum probris insectabitur. Quodsi iustus fuisset, haud ignominia notaretur, ex quo arguendi, aut erudiendi gratia id præstat, non autem ad eundem deridendum.

8 *noli arguere derisorem ne te oderit* is .n. sibi sapiens videtur.

*argue sapientem & diliget te*; delectatur enim cum mores suos emendat, nec sapientiam sibi impensè tribuit quę duo maxime inter se pugnant.

9 *da sapienti* Quam sapiens stulto præcellat declarare prosequitur quoniam sapiens seipsum sapientia auget ob illa, quæ eidem tradita fuerint: iustus item scientia cumulatur, ob illa quorum cognitionem acceperit; quæ quidem repetita eodem recidunt.

# LEVI GHERSOMITES.

7 *qui erudit derisorem* Commemorat autem sapientiss. Salomon hoc loco, quare sapientia solum simplices, stultosq; allocuta sit, nō autem illusorem, vel impiū; inquit enim erudiētē derisorem, sibi dedecus parere, is .n. sapientem illudit à quo eruditur; qui item arguit impium maculam eius contrahit; iniquus .n. in eundem retorquere verbis conabitur labē, cui ipse est obnoxius.

9 *da sapienti* Sapienti præbe rem, vel aliquid ad sapientiam pertinens, in sapientia enim progressus adhuc habebit ob id, quod illi concesseris; nam sapientia tua duce conabitur præterea, vt in eiusdem contemplatione magis proficiat. Ea etiam erit horū mens, quæ etiam magis probatur. Da sapienti quod ad sapientiam pertinet, vt optima morum conformatione magis adhuc absoluatur.

## Vers. X.XI.XII.

10 Principium sapientiæ timor Domini: & scientia [a] sanctorum, [b] prudentia.

11 Per [c] me enim multiplicabuntur dies tui, & addētur tibi anni vitæ.

12 Si sapiens fueris, [d] tibimet ipsi eris: si autem [e] illusor, solus [f] portabis malum.

## VAR. LECT.

*a Syr. iustorum. b Syr intelligentia. c Syr. per eā. d tibi met sapiens eris, & amicis tuis. e Syr. improbus. f Syr. solus hauries ex eis malum.* Mox addun tur hęc quę in alijs textibus desiderātur. *Qui nititur mendacijs pascit ventos, & insequitur aues cæli, dimisit viā vineæ, oblitus est semitarū operis sui, cū ambulet in deserto absq; aquis, & in via trita in siti ambulat. Etiā ipse nihil congregabit.*

## SALOM. ISAC.

10 *scientia sanctorum prudentia* .i. radix prudentiæ est scientia sanctorum, seu sacrorum.

11 *addentur tibi anni vitæ* anni vitę ij sunt, quibus administrationi inopum, & diuitijs vacamus.

## A. ABEN EZRA.

h.c.1.v.7. 10 *principium sapientiæ* idem quod supra, timor Domini principium sapientię.

*scientia sanctorum prudentia* Horum vis est. Primordia prudentiæ sunt scientia sanctorum; sanctorum autem scientia, de Deo opt. m.
Ios.24. v.19. intelligenda est, iuxta illud, quoniam Deus sanctus est ipse, cuius quidem ea est ratio, quod prudentiæ exordium ab eo petatur quod Deum existere cognoscamus. Non inepte etiam dices, sanctorum scientiam esse, cum mentes separatas, & à materiæ concretione segregatas existere intelligimus, hæc .n. cognitio est prudentiæ origo; hinc .n. ad inuestigationē superioris dignitatis, & gradus euehimur: & quemadmodum si timor absit, sapientia etiam desiderabitur; ita si scientia desit, prudentia stare nequibit.

11 *per me* Verba sunt sapientiæ proclamantis, per me .i. propter me, & mea de causa multiplicabuntur dies tui.

*& addentur* ויוסיפו veiosiphu, & addent tibi, sapientia nimirum, & timor domini annos vitæ addent, ad illos .n. hęc verba referri explicant aliqui. Fieri etiam potest, vt in ijs addent tibi desiderentur ij qui rem sint effecturi, ad illorum rationem, sepeliuit eum in valle. Verum referuntur hęc ad peculiares sapientiæ partes & ad institutiones; quod nimirum illa diuturnam vitæ vsuram sint concessura, iuxta illud, quia ipsa est vita tua, & longitudo dierum tuorum.

12 *si sapiens fueris* quod vim non dissimilem habet ab illis, si iuste egeris quid dabis illi?

*si autem illusor* suppleeris, aduersatur superioribus verbis, si sapiens fueris.

*solus portabis* crimen, aut pęnam. Nam ולצת velatseta si illusor cōtinuum sensum facit ad legentis mentem, estq; eiusdem omnino rationis ac illud יצמית versamita .i. si sitieris, & iueris &c. ita hoc loco, si deriseris, vel illusor fueris.

## LEVI GHERSOM.

10 *principium* Sapientia, & prudentia sunt principium scientiæ sanctorum, per prudentiam .n. instituimur ad intelligendam sedē beatarum mentium, qui quidem est fructus eiusdem.

11 *per me multiplicabuntur dies tui* Hęc prudentiæ verba sunt, atque id contingit duplici de causa, primum quidem quod per istas morum honestate ornemur, per quos á quamplurimis piaculis seruamur. Deinde vero, quod cum peculiarem prudentis curam gerat Deus ob eiusdem prudētiam permulta aduersa prudentiæ auspicijs euadit, quod efficit, vt diuturna vita fruatur.

12 *si sapiens fueris* tibi ipsi sapiens eris .i. in tuam id cedet vtilitatem.

*si autem illusor* solus detrimentum accipies, damnaq; experieris.

## Vers. XIII. XIV. XV.

13 Mulier stulta, & [a] clamosa, plenaq; illecebris, & [b] nihil omnino sciens,

14 Sedit in foribus domus suæ, super sellam, in excelso vrbis loco,

15 Vt vocaret transeuntes per viam, & [d] pergentes itinere suo.

## VAR. LECT.

*a Syr. deceptrix blandiendo. b Chal. nescit bonum. Syr. vtilia nescit. c Syr. super thronum excelsum. Chal. super sellam eleuatam, & firmata. d Syr. Chal. quorum viæ rectæ sunt.*

## A. ABEN EZRA.

*plenaq; illecebris* הומיה פתיות homiah pethaiut tumultuatur stoliditatem, .i. vniuersa eius tumultuatio, & strepitus sermonisq; abiectio nihil aliud est quam mera stoliditas. Verum accentus athnach & reuiah, qui est in voce petaiuth huic explicationi aduersantur. Quare ita explicari possunt, quasi dicat mulier stulta nihil scit, vbi vox mulieris etiam infra vsurpabitur, cuiusmodi multa sunt loca. Is autem sensus erit, mulier stulta tumultuosa est, & rebellis; mulier vero simplex, & fatua perstrepit quidem, verum inconsiderate, absq; vlla scientia: quod insinuāt illa.

*nihil omnino sciens*, Cum nimirum cognitionis rei cuiuspiam sit expers, vbi dictio מה mah concisa est, ad normam illorum, & transijt עלי מה .i. aliquid. Vel etiam eadem dictio explicari poterit, vt sit eadem ac מאומה meumah, vt scientia מה mah .i. nullius rei. Quod si quispiam existeret qui eam consciam faceret, vel seipsa aliquid nosceret, forte caueret sibi, & ab eo strepitu abstineret: paulo autem ante diximus, stultum eum esse de cuius recta institutione sit prorsus desperatum; fatuum autem esse, de quo reuocando in rectum tramitem spes relinquatur.

14 *sedit in foribus domus suæ* pœnas persolutura, quod haud sibi domum struxerit atq; huiusmodi alijs inuitamentis careat. Secus vero prorsus contingit illi, de qua ea vsurpantur in sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas suas, miscuit vinum suum, men-

ſamq. pręparauit; quorum ſenſus eſt, ſapientię neceſſaria eſſe inuitamenta, & pręparationem, non ita in dementia, quę eſt deſtituta quo libet apto apparatu, & ornamento.

*super ſellam, in excelſo vrbis loco* in dementiam .n. quis incidit ob faſtum, & ſuperbiam, hac .n. de cauſa illi ſella tributa eſt: illud autẽ מרמי קרת merome Kareth idem eſt ac על גפי hal gaphe v. 3.

15 *pergentes itinere ſuo* המישרים ארחותם hamiaſſerim orchothā, qui integritatẽ morũ præcellentes vitã degunt. Hos vero idcirco illa vocat, vt ab inſtituto recto itinere deijciat; verum qui errant idcirco vocantur, vt in rectam viam reducantur ab eadem.

## LEVI GHERSOMITES.

13 *mulier ſtulta* Hæc vocem extollit; mulier verò blanditijs pelliciens, nullius prorſus rei ſcientia prędita ſermocinatur, vt mortales pertrahat, quo ſua veſtigia ſerquãtur. Corpus vero ſtulti mulieris ſtultæ appellatione inſigniuit, quod quietem, tranquillitatemq; cõſectetur, ideoq; animum à ſtudio ſapientiæ reuocet; quamobrem corpus eius, qui pellicitur blanditias, irritamentaq; amplectitur, nõ autem mens, quæ niſi ad bonum pertrahitur. Vel etiam horum is ſenſus erit, a muliere ſtulta vocem attolli; demulcentemq; mulierẽ haud perſpectum habere quid inquiat, vt illos ſeducat, cum nulla rerum cognitione calliditateue polleat.

14 *ſedet in foribus &c.* ea dementia laborat, vt quę vitia ſunt, virtutes arbitretur.

15 *vt vocaret pergentes itinere ſuo* eos nimirum qui rectum iter in rerum contemplatione inibant.

### Verſ. XVI. XVII. XVIII.

16 Qui eſt [a] paruulus declinet ad me. Et [b] vecordi locuta eſt:

17 Aquæ furtiuæ [c] dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.

18 Et ignorauit, quod ibi ſint [d] gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.

### VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. inſipiens. b Chal. mente captus dicit. c Chal. dulces. d Chal. quoniam gigantes deijcit ibi, & in profundis inferni omnes, qui inuitati ſunt ab ea. Syr. neſcit*

fortes

*fortes apud eam perire*. Hæc addit *sed profili, & ne moreris in illo loco, nec in illam oculos defigas; ita .n. transibis aquas extraneas, & flumen alienum præteribis, & ab aquis externis declinabis, neq; aquas externas potabis, vt multitudo dierum, & annorum vita addatur tibi*.

## SALOMON ISACIDES

16 *& vecordi* excordi huiusmodi sermones habuit: quid autem inquit? hæc nimirum.

17 *aquæ furtiuæ* non est par voluptas quæ ex soluta percipitur illi, qua ex nupta quis perfunditur.

Id etiam pertinet ad præceptum, aquas furtiuas dulciores esse, vt illud præstare ante omnium ora vereantur, verum latenter, & in abdito præcepta exequantur.

## A. ABEN EZRA.

16 *quis est paruulus* Haud hac ratione illos compellauit, sed ita appellantur ob id, quod illos ad extremum manet. Vel etiam eo nomine eos vocauit, vt exaggeraret, quam parum sensus habeant ij in maximis delectationib. atq; emolumentis ex eiusdẽ societate emergentibus, vt ideo eos aduocare coacta fuerit, cum ij in ignoratione excellentiæ eiusdem versarentur.

17 *aquæ furtiuæ dulciores* Pertinent hæc ad scelus, & scortationẽ, quæ in abdito expletur, nã quo magis res vetita est eo propẽsius ad illã humanus affectus aduoluitur; hęc ergo inquit vt stolidi, & excordis animus seducatur.

18 *& ignorauit* simplex nimirum qui statim post eam iter habet ignorat, mortales omnes ibi in inferni vallibus, & profunditate exisiere, eos nimirum quos illa vocauit. Aduerbium autem שם sam, infernum innuit. Absoluta est prima pars in qua continetur narratio præstantiæ sapientiæ, & eiusdem admonitiones, & institutiones.

## LEVI GHERSOM.

16 *declinet ad me*, Hunc vero qui intelligendi facultate non ita est excellenti, effatur, vt sibi adhæreat, nec seipsum laboribus premat in contemplatione, quæ est mentis cibus, præstat enim, vt mortalis alijs escis alatur, quod quidem fit, cum aquæ furtiuæ dulciores sint, panisq; furto sublatus alteri, quem in abdito edere necesse sit suauior, & gratior eo quem ex domo sua acceperit; ita pariter mulier hæc viro persuadet, iucundius esse animo, vt corporis illecebris blandimentisq; delectetur, prętermittatq; sapientię acquisitionem.

18 *& ignorauit* qui verborum lenocinijs eiusdem est irretitus igno-

ignorat ibi mortuos esse, in domo scilicet illius; quosq; eadem vocauit, descendere ad profunda sepulchra, mortemq; oppetere, cum ex societate illius vita frui nequeat. Atq; hæc sunt quæ ad rerum explicationem hoc loco in mediũ proferre opportunum duxi.

# Pars Secunda.

# PROVERBIORVM SALOMONIS. CAPVT DECIMVM.

## Verſ. I. II. III. IV.

1 Prouerbia Salomonis. Filius ſapiens lætificat patrẽ: filius vero ſtultus a moeſtitia eſt matris ſuæ.

2 Nil proderunt theſauri impietatis: iuſtitia vero liberabit à morte.

3 Non b affliget Dominus fame animam iuſti, & c inſidias impiorum ſubuertet.

4 d Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortiũ diuitias parat. Qui nititur mẽdacijs, hic paſcit vẽtos: idem autem ipſe ſequitur aues volantes. *desiderantur in textu Hæbreo.*

## VAR. LECT.

*a Syr. confuſio. b Chald. non facit eſurire. c Syr. facultates impiorum perdet. Chal. ſubſtantiam impiorum expellet. d Chal. paupertas attenuat virum doloſum, & manus recti. Syr. manus autem iuſtorum ditabitur.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *patrem* Is eſt ipſemet Deus O. M. Vel etiam pater proprie accipietur.

*filius vero ſtultus* ideo is moeſtã reddit matrẽ, quod domi aſſidue verſetur cũ illa, quæ illius dementiã perſpiciens mærore afficitur.

Iuxta

Iuxta autem parabolam.

*filius stultus* is erit Roboam filius Nabat.

*mæstitia matris* ecclesiæ mærorem demonstrat. Ecclesia mater appellatur.

2 *nil proderunt thesauri* diuitias .n. suas iactabundus laudat, iuxta illud, & dixit Ephraim verumtamen diues effectus sum. Oseæ 12.9.

*iustitia vero liberabit à morte* צדקה tsedaKa .i. eleemosyna. Quod si inquias, iustus qui facultates suas in eleemosynam erogat, vnde aletur, en inquit sapiens, non affliget dominus fame animam iusti.

3 *insidias impiorum subuertet* illos depellet, atq; deijciet.

4 *egestatem operata est manus remissa* qui in lege seruanda, & percipienda egens est, profert mendaces demonstrationes.

*manus remissa* כף רמיה caph remiah, .i. bilances fraudulentæ operantur egestatem, quod iuxta nudum litteræ sensum ad mercatores referendum est. Vulgata habet manus remissa quod ita interpres conuertit, qđ qui fraudi nititur remissus fit, & iners.

*manus autem fortium* manus iustorum, qui rem ad veritatis normam solertius perpendunt, vtq; decet, absq; vlla iniquitate.

## A. ABEN EZRA.

1 *filius sapiens lætificat patrem* quod is illius sapientiam animaduertat, perspectamq; habeat.

*moestitia matris* stultus .n. assidue domi versatur, materq; ob illū grauiter dolet. Vel etiam cum patris mētio facta fuisset, mater etiā commemorata fuit.

3 *non affliget Dominus fame* in summa annonæ charitate non permittet iustum fame vexari.

*insidias subuertet* idem Deus. הוה hauuath quod rebellionem significans eundē sensum facit quem illa הוה להם houeh lahem. i. illos ad rebelliones excitans.

4 *egestatem* ראש ras, egens erit, qui ad fraudandum concinnarit lingulam bilanciū, trutinasq; adulterarit: qui vero solliciti sunt, & laborant, nec fraudem faciunt, hi manuum suarum opera diuites euadent. 2. Esdræ c.6.

Alia etiam adhibeatur explanatio. Manus fraudulenta hominem indigentem efficiet.

## LEVI GHERSOM.

1 *Prouerbia Salomonis filius sapiens &c.* vsq; ad turris fortitudinis nomen Domini. Agunt hæc de probo impij, stultitiæ, derisionis, inertiæ, dementiæ, supplantationis, odij, tum etiam de laude illorū quæ his opponuntur. Filius ergo sapiens lætitia perfundit patrem, quod is magis quam mater, quæ ad sapientiam pertinent, intelligat. Verum qui dementia laborat matri dolorem affert, cum scientia careat; ex quo maiori afficitur dolore mater, quam parens, propterea quod is magis patrem vereatur, quam matrem. Quare sapiēs patri voluptatem, stultus matri mærorem afferat.

2 *nil proderunt thesauri* nullum emolumentum percipiet mortalis ex thesauris, quos per scelus, & iniquitatem coaceruauit. *iustitia vero* Verum qui eos erogat in eleemosynam, mortem euadit constitutam, vitaq; spacium eidem à præpotenti Deo prorogatur. Secus autem prorsus accidit, diuitias per nefas congerenti.

Caute legenec. n. decretum diuinum euitare possumus: nisi forte, auxilium afferri velit, quo discrimina euadamus.

3 *non affliget Dominus fame* à iustis Dominus haud alimenta desiderari patietur. Verum iniquos idem abolebit, atq; iniquas machinationes in eosdem conuoluet; properabitq; vt calamitatibus eosdem vexet.

4 *egestatem operata est manus remissa* manum fraudulentam egestas efficit; cum enim desidia torpeat, fraudem faciat necesse est, vt per iniuriam aliorum facultates auferat, atq; egestate premetur.

*manus autem fortium* qui vero solliciti solertiam adhibent vt coaceruent, ac ditescant honesta ratione, manu solerti diuitijs cumulantur.

## Vers. V.

5 Qui [a] congregat in messe filius sapiens est: qui autē stertit [b] æstate, filius confusionis.

## VAR. LECT.

*a Syr. qui operatur in æstate. b Chal. in messe.*

## A. ABEN EZRA.

5 *Filius confusionis* מביש בן ben meuis .i. confundens, parentib. .n. suis pudorem conflat, propterea quòd deses sit.

## LEVI GHERSOM.

5 *qui congregat in messe* Sapiens igitur filius, quisque de rebus opportunis præstandis cautus prospicit, in messe congregat, alimenta nimirum, cum tunc eorum copia suppetat.

*filius confusionis* qui autem alios pudore suffundit .i. motu tardus & piger, per messis tempestatem somno vacat; atq; ideo pane per annum vniuersum carebit.

## Vers. VI. VII.

6 [a] Benedictio Domini super caput iusti: [b] os autem impiorum operit iniquitas.

7 Memoria iuſti, cum laudibus: & nomen impiorum
d putreſcet.

## VAR. LECT.

*a Chal. benedictiones. b Chal. in ore iniquorum operitur rapina. Syr. ori. c Chal. benedictio. Syr. in benedictione. d Syr. extinguetur.*

## SALOM. ISAC.

6 *os autem impiorum* iniquitas ſuper os impiorum operietur, itaut illos morti dedat.

7 *memoria iuſti* quicunque iuſti mentionem faciet, eundem etiã benedictione proſequetur.

*nomen impiorum putreſcet* putredo impietatis illorum nomina inuadet, itaut horum nomen vſurpare nemo velit, atq; ſeipſo obliuioni tradatur.

## A. ABEN EZRA.

6 *Benedictio Domini* iuſti caput Dominus benedictione cumulabit. Vel aliter explana. Dum adhuc vita fruitur in iuſti caput benedictiones redundabunt; memoria vero iuſti in benedictione erit, poſtquam vita ſpoliatus fuerit.

*operet iniquitas* יכסה חמס iecaſe chamas .i. operit iniquitatem, ; eam .n. impij os occultat, ne à ſe arceat, iuxta illud cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua eius; quæ eadem explicatio illis eſt accommodanda, abſorbebit impius iniquitatem. Iud. 20. v. 12.

7 *memoria iuſti cum laudibus* לברכה liurachah, cum benedictione, Recordabitur iuſti Deus ob benedictionem, qua illum cumulabit; iuxta illud, Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nos. Quare ps. 113. v. 12.
is erit ſenſus. Illius Deus recordabitur, eundemq; benedictione proſequetur.

*nomen impiorum putreſcet* obliuioni tradetur, tanquam arbor putrefacta, quæ non ſuccreſcit.

## LEVI GHERSOM.

6 *ſuper caput iuſti* In iuſti caput benedictiones defluent, nimirũ vt ſit cordatus; iugiter .n. verſabitur in cogitatione bonorum, quæ quidem ſunt vulgata quædam apud mortales, quoad ſermones, & actiones. Vel etiam vox capitis inſinuabit rei primordia, in exordio .n. iuſtus pateſaciet benedictiones, quibus cumulatus incedit

R quan-

quando operatur. In impijs vero res secus habet, cum eorum mens semper in impietate, & iniquitate versetur.

*operit iniquitas* Eorum prçterea os iniquitatem occultat, quam nefarie admittere decernunt; neq; crimen detegunt, ad quod se comparant, si enim id detegerent præstare prohiberentur, quod nefariç animo machinabantur. Illud etiam non abs re dicemus per ista insinuari; cum nimirum iustus aliquid aggreditur semper benedictione se auctum experiri, tum etiam cumulari se bonis auxiliumq; præberi, vt optato fine fruatur; cum nihil præter honesta, vtq; alijs benefaciat in votis habeat. Quare in negotij exordio sperandum est ei, benedictiones impensas iri; Si .n. cæteri conscij sint cogitationis illius, libentissime suppetias ferent. Impijs autem secus contingit; verentur .n. semper, ne potiantur ijs, quç vehementer appetunt, si alij id perspectum habeant; quamobrem occultum alijs esse crimen volunt, quod præstare nefarie moliuntur. Qua in re par pari illis refertur, cum memoria iusti sit in benedictione &c.

7 *memoria iusti in benedictione* semper enim bono aliquo, & perfectione memoria eius augebitur.

*nomen impiorum putrescet* horum nomen prorsus abolebitur, atque euanescet, ad eam rationē, qua ore cælant scelus, quod patrare cupiunt.

## Vers. VIII. IX.

8 Sapiens corde præcepta suscipit: stultus [a] cæditur labijs.

9 Qui ambulat [b] simpliciter, ambulat [c] confidenter: qui autem deprauat vias suas, manifestus erit.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Stultus labijs, capitur. b Chal. in perfectione. c Syr. in spe.*

## SALOMON ISACIDES.

8 *sapiens corde præcepta suscipit* Magnus ille parens Moses, cum videret vniuersum Israelem Ægyptijs illudendis & contemnendis vacare, præceptis seruandis operam dabat, iuxta illud, tulit quoq;
Ex. c. 13. v. 19 Moyses ossa Ioseph.

*cæditur labijs* ילבט yillabet, quod significat dolorem, seu laborē q. d. labore fatigabitur. Habçtur autem in siphre, in narratione, quç



in-

incipit, & fuit populus vbi hæc ita explicantur נתלבטו nitlabetu .i. laborauerunt in via.

9 *manifestus erit* ידוע ijuuadeha.i. confringetur, & erudietur, ad sensum illorum, & contriuit cum eis, atq; comminuit viros Socoth. Iud.c.8.v.16

## A. ABEN EZRA.

8 *sapiens corde* cuius cordi sapientia insedit.

*præcepta suscipit* quibus ab alijs institutus fuerit.

*stultus cæditur labijs* אויל שפתים euil sephataim, stultus labijs, qui scilicet ore stulta profundit.

*cæditur* ילבט yllabet .i. offendet, & impinget.

9 *ambulat confidenter* neque .n. calamitates expauescit, viarumq; quas recte instituit, deflexionem, seu declinationem.

*manifestus erit* ידוע ijuuadeha. Apud cæteros constabit hûc a recto tramite deuiasse, cum calamitates quibus obnoxius factus est, animaduertent, vt è contra alter confidenter ambulat. Aliter etiam id expones, ידוע ijuadeha .i. confringetur, iuxta illud וידוע חולי vidua h choli hoc est morbis vexatus, & effractus. Esai.53.v.3

## LEVI GHERSOM.

8 *sapiens corde* Stultus autem is appellatur, qui rebus per causas opportunas indagandis non assuescit, vt ideo via eius à dementia subuertatur, neque optata cõsequatur; eadem de causa festinat stultus sermonem effutire, antequam mente constituerit, quid verum consentaneumq; sit, vt sermone promatur, atq; ideo vecors stultus labijs appellatur. Verum cordatus sibi ipsi præscribit præcepta certumq; ordinem, quo in rebus agendis vtatur, vt ad constitutum sibi finem comparandum instituatur; Stultus vero præcipitat, vt cogitata expleat, quæq; præstat absq; vlla compositione, atq; animo sedato efficit. Qui ergo perfectionis, vel simplicitatis vias init, confidenter ambulat, nullusq; mortalis obstat; quin in recte agendo diuinæ suppetiæ presto adsunt: verum qui obliquum iter habet, atq; ad piacula obeunda se accingit, eius conatus omnibus patebunt, licet pro viribus eos occultare studeat; vt ideo illis destituatur, quę sceleste præstare decreuerat.

## Vers. X. XI.

10 Qui annuit ᵃ oculo dabit dolorem: & ᵇ stultus labijs verberabitur.

11 ᶜ Vena vitæ, os iusti: & os impiorum operit ᵈ iniquitatem.

# VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. oculo suo cum fraude.* *b Syr. qui manifeste reprehendit pacem conciliat.* *c Sy. Chal. fons.* *d Chald. iniuriam.*

# SALOMON ISACIDES.

10 *qui annuit* is est qui oculorum nutibus alios ad scelus seducit.

11 *os impiorum operit iniquitatem* ore tegunt profligati iniquitatem, quam corde fouent, blandiunturq; suauitate labiorum, odiúq; imo pectore seruant: neque vero hęc explicatio coincidit cum superiori, vt rei series declarat.

# A. ABEN EZRA.

10 *qui annuit oculo* ad crimen aliquodd perpetrandum.

*dabit dolorem* sibi ipsi dolorem afferet: is autem innuere dicitur, quod palam id præstare vereatur, קרץ Korets autem idem est ac nutus. Aliter etiam hæc exponi placet קרץ Korets .i. subsannator dabit dolorem .i. amico dolorem creabit, is quippe in iras exardescet si ab alio se derideri animaduertet: postquam autem delusor se excusare volet, quod inquiat se ad illudendum haud fecisse, labiis verberabitur, & implicabitur.

11 *vena vitæ* os iusti est tanquã fons vitam afferens iis, qui ab illius ore disciplinam hauserint. Vel etiam os eius est fons vitæ, à quo vita emanabit, cum alios morum institutione conformarit.

*operit iniquitatem* occultat iniquitatem, nec disciplinam, rectãq; vitæ normam addiscit.

# LEVI GHERSOM.

10 *qui annuit oculo* vt viris damnum inferat nutibus suis.

*dabit dolorem* illos dolore afficiet, & ad iram excitabit, ignominiosumq; erit tũ innuenti, tum nutibus petito; cum enim quis nutus perpendit quibus hic alium notarat, in illum sermone abrumpit, atq; ideo ira inflammatur, & forte ita inde alter afficitur, vt dãnum inferat ei, qui nutibus demonstratus fuerat; eademq; opera nocebit, perniciemq; inferet vtriq; Fieri etiam potest, vt postea perspicuum sit negotium illud mendacijs inuolutum esse, doloreq; valde prematur quis ob illud, quod contra se per nutus illius oculos circumferentis est factitatum, atq; equidem qui labijs dementiam fouet haud id clam dictitabit, sed sermones effutiet, vt inter vtrosq; dissidia ferat, verum ילבט iillabet .i. consilium eius in præceps ruet nec vlli alteri nocebit, nisi sibimet ipsi, cuius iniqua propensio, &

mens sit animaduersa.

11 *os iusti* os igitur iusti congruet omnino cum illo quod corde fouebitur, quod est fons vitæ.

*fons vitæ* illis qui iusti verba auscultant, inde .n. vitã hauriunt; os vero impiorum prorsus est diuersum, nam haud conuenit cum illis quæ in animi latebris abduntur; nam scelus occultat, quod corde fouetur.

## Vers. XII. XIII. XIV.

12 Odium suscitat [a] rixas; & [b] vniuersa delicta operit charitas.

13 [c] In labiis sapientis inuenitur sapientia: & uirga in dorso eius qui indiget corde.

14 Sapientes absconderunt scientiam: [d] os autem stulti confusioni proximum est.

## VAR. LECT.

*a Syr. iudicium. b Syr. omnes iniquos operiet confusio. Sed caute vtere hac lectione, nam prima Petri c. 4. v. 8. ab Apostolo alludente ad hunc locum dicitur, quia charitas operit multitudinem peccatorum. c Syr. qui è labijs suis profert sapientiam, virga percutit excordem. d Chal. ori stultorum consumptio proxima. Syr. os stultorum proximum effractioni.*

## SALOM. ISAC.

12 *odium suscitat rixas* Etiam crimen, quod obliuioni traditum erat in memoriam reuocatur, cum quis criminibus se denuo cumulat; tunc enim odium postremo loco conceptum, priora scelera excitat, & refricat; hac enim ratione Ezechiel Israelitas arguit ob scelera Ægyptiaca, eisq; inquit vnusquisq; offensiones oculorum suorum abijciat; quam longo autem temporis interuallo odium hoc cohibitum fuerat, itaut nisi in præsentia Deus illis scelera obiectarit, cum crimina criminibus cumulata fuissent. Ezec. 20. v. 7.

13 *in labijs sapientis inuenitur sapientia* Cum quis prudentem arguit, tum is respondet, non inficior peccasse me, sicut Dauid, qui reprehendenti Natan respondit, peccaui.

*& virga in dorso* Verum excors non attendit, nisi cum vapulat, vt

de

de Pharaone constat.

14 *sapientes absconderunt sapientiam* eam imo corde reponuat, ne vllo vnquam tempore aboleatur.

## A. ABEN EZRA.

12 *odium suscitat* odium in causa est, vt suscitentur, prodeant'q; in vulgus iurgia, & rixę.

*charitas* amor autem omnia scelera tegit, ea .n. occultat, ne ab alijs resciantur. Odium autem, & charitas illum significant, qui odio, vel amore sit inflammatus.

13 *in labijs sapientis inuenitur sapientia* ab ijs qui illam consectantur.

*virga in dorso* necesse est vt ille virga plectatur, quod scientia imbui nolit.

14 *sapientes absconderunt sapientiam* scientiam mente recondunt, ne illam vnquam obliuioni tradant; iuxta illud abscondi in corde meo eloquia tua.

*os stulti confusioni proximum* is proxime impendentis ruinæ sibi artifex est ob suam dementiam, ab aliis enim in exitium protrudetur.

## LEVI GHERSOM.

12 *odium suscitat rixas* Licet nullũ crimen intercedat qui odiũ animo fouet, putat illud esse odiosum scelus, quod à scelere maxime sit remotum, maliq; loco vertit quod cum malo nihil prorsus conueniat.

*charitas autem operit delicta* qui autem amore exardet, amici scelus haud noxam arbitratur.

13 *in labijs sapientis* in prudentis labijs inuenitur sapientia, quæ est bonorum omnium præstantissimum, vt antea dictum est.

*virga in dorso* excordi autem non satis est si tanto bono careat, quin etiam eidem adhęrebit, & à corpore plagæ nunquam aberunt; ab aliis enim damna, verberaq; reportabit ob turpitudinem actionum, sermonumq; vanitatem, & fęditatem, quod scientia careat.

14 *sapientes absconderunt scientiam* Quæ sapientes sciunt corde seruant, nec vniuersæ mortalitati euulgant, imperitæ .n. multitudinis plerique ex hisce offenduntur, cum illorum captum excedant; atq; ideo abstinent sapientes ab hisce rebus natura sua optimis in vulgus proferendis, ob mala quæ inde fortuito ortum ducere possent.

*os stulti confusioni proximum est* Secus vero est de ore stulti illa, .n. patefacit, per quæ calamitas mortalibus immineat; qua de causa verba eius auditoribus damnum inferunt, quid illis mali insit non penetrantibus.

Vers.

## Verſ. XV. XVI. XVII.

15 Subſtantia diuitis,[a] vrbs fortitudinis eius:[b] pauor pauperum, egeſtas eorum.

16 Opus iuſti ad vitam: fructus autem impij ad peccatum.

17 Via vitæ [c] cuſtodienti diſciplinam: qui autem increpationes[d] relinquit, errat.

## VAR. LECT.

a *Chal. Ciuitas eſt diuitiarum eius. Syr. ciuitates munita.*
b *Syr. fractio.* c *Syr. Chal. cuſtodit diſciplinam.*
d *Syr. odit.*

## SALOMON ISACIDES.

15 *ſubſtantia diuitis* illi qui in lege progreſſus habuit.
*vrbs fortitudinis eius* lex eſt vrbs munita.
*pauor pauperum* מחתת mechittath, .i. egeſtas pauperum eſt ſumma eorumdem calamitas, eo quod legis ſtudio non vacarint.
16 *opus iuſti ad vitam* Iuxta verborum ſonum hæc ſunt intelligẽda. Verum Allegorice ita inquies. Salomon opus Sanctuarij, templiq; perfecit ad vitam Iſraelitarum, vt ſcilicet ibidem ſua crimina expiarent.
*fructus autem impij ad peccatum* fructus autem Manaſſis fuit ad peccatum, quod in templum introduxerit ſimulachrum.
17 *via vitæ* diſciplinæ cuſtodia eſt vitæ trames.
*errat* מתעה mathe .i. errare facit fallit tum ſe ipſum, tum alios.

## A. ABEN EZRA.

15 *ſubſtantia diuitis* Facultates opulenti ſunt tanquam vrbs fortitudinis eius, quod ſcilicet illum quandoque calamitatibus incolumem, tutumq; ſeruent, licet ſapientia non ſit præditus.
*pauor pauperum* pauperes autem, hoc eſt excordes à ſuamet egeſtate profligabuntur.
16 *opus iuſti* opera iuſti eo ſpectant, vt vitæ tramitẽ aſſequatur.
*fructus autem impiorum ad peccatum* prouentus autem ſceleſti, & fructus cogitationum eiuſdem eſt peccatum, quod ſcilicet noxã peccati ſubire machinetur.
17 *via vitæ* via ad inueniendam vitam eſt rectę inſtitutionis cõſeruatio. Qui vero increpationes deſerit, alios in errorẽ pertrahit.

Ali-

Aliter etiam libet ista explanare. Qui custodit disciplinam, quiq; reprehensiones in errorem pellicientis adspernatur, is etiam vitæ semitam tenet, quæ quidem optima est expositio.

## LEVI GHERSOM.

15 *substantia diuitis* Opulenti diuitiæ, quæ vsui sunt, vt discrimina, calamitatesq; euadat sunt velut vrbs munita, in qua bellorum tempestate homines tuti seruantur. Quamobrem opibus suis fidit, & in ijs se firmum, ac stabilem autumat.

*opus iusti ad vitam* iusti actiones semper instituuntur ad vitam, cũ per eas tum animi, nullisq; finibus circumscriptam, tum corporis vitam assequatur.

*fructus autem impiorum* fructus autem, & facultates impij, quibus alios defraudat egestatis, exitij, mortis deniq; animi tum corporis sunt artifices. Quod quidem ita est euidens vt declaratione non opus sit.

17 *via vitæ* Qui morum suorum institutionem conseruat, terit iter ad æternam, corporeamq; vitam, morum enim pręstantia aptaq; conformatio prosunt quam maxime in rebus politicis, vt ideo hominum generi quis sit acceptus: idem etiam ad perfectionem acquirendam quoad res intelligibiles valde conducit, vt ante dictum fuit.

*qui autem increpationes relinquit* is tum in opinionum errores labitur, tum alios reuocat à recta vitæ semita, multi .n. illius vestigia premunt, cum hominis sensus, & cogitatio ab ipsis incunabulis ad malum sint propensa.

## Vers. XVIII. XIX. XX. XXI.

18 Abscondunt[a] odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

19 In multiloquio[c] non deerit peccatum: qui autem[d] moderatur labia sua prudentissimus est.

20 Argentum electum lingua iusti: cor autem impiorum, pro nihilo.

21 Labia iusti[f] erudiunt plurimos: qui autem[g] indocti sunt, in cordis egestate morientur.

## VAR. LECT.

a *Syr. abscondunt inimicitiam. Chal. insidiatur inimicus labijs sed forte est error interpretis in Bib. Reg.* b *Ch. detra-*

*detractionem. Syr. maledictionem.* c *Chal. non cessat.* d *Chal. qui prohibet.* e *Chal contritio. Syr. rebellio.* f *Syr. multum amant, vel amare faciunt. Chal. multos placant.* g *Syr. Chal. stulti.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *abscondunt odium* dissimulator mendacijs os componit, odiūque seruat pectore.

*qui profert contumeliam* ita irridet, vt ceteris infensus sit ob socios contumelijs petitos.

19 *in multiloquio* qui loquax est, verbaq; superuacanea serit, noxa se obstringit.

20 *argentum electum lingua iusti* lingua nimirum illius, qui ea ad alios corrigendos scit vti.

*cor autem impiorum pro nihilo* quod nimirum iusti reprehensiones non admittat. Tanchuma autem in suis allegorijs, ita disserit, pertinere ista ad Hido prophætam, qui ad altare Bethel preces fudit, & verba habuit; Ieroboam aūt, licet eius manus aruisset, haud corrigē ti acquieuit, iuxta illud quod dixit, deprecare faciem Domini Dei tui, non autem Dei mei, subditurq; & reuersa est manus ad eum & facta est, sicut erat prius .i. thura cremans, cultumq; deferens idolis, vsq; ad extremum vitæ. 3. reg. c. 13.

21 *erudiunt* ירעו ijrhu .i. pascunt, quod scilicet multi, ob iustorū merita, & preces alantur, ciboſue sumant. erudire, & pascere idem.

## A. ABEN EZRA.

18 *abscondunt odium* item *in multiloquio* connectendi sunt hi duo versiculi. Qui tegit odium, illudq; in sinu fouet, illius labia mendacijs scatent ex æquo, quod verborum copia, quam effutit, eo spectet, vt linguam suam á conuicio excuset. Verum non deerit peccatum, nec cessabit criminis conuiciū .i. nihil omnino respondere poterit, nec conuicio se purgare, aut excusare se valebit.

*qui autem* qui vero linguam suam cohibet á contumelijs, sapiens est, vt è contra alter stultitiæ notatur.

20 *argentum electum* Iusti lingua est tanquam argentum probatissimum; ea .n. effatur verba cum delectu, & moderatione, quæ tā quam argentum purum putum, atq; probatum magna sint in æstimatione.

*cor autem impiorum pro nihilo* Quod ab eis addiscas, perexiguum est. Alia etiam adhibeatur expositio. Cor .i. scientia eorum non multum probatur, cum secus accidat linguę iustorum.

21 *erudiunt plurimos* ירעו ijrhu, quod pascendi significationem habet, q. d. hominum multitudinem iustorum labia doctrina pascēt voci autem.

*iusti* opponitur cordis egens, & voci stultorum, respondet

*multi* q. d. & stulti propter vecordem in errorem pertrahentem interibunt antequam ad senectutis ætatem deuenerint.

## LEVI GHERSOM.

18 *absconderunt odium labia mendacia* Qui ergo mendacia profatur stulto turpior est, magisq; noxius, quod quidem fit, quod labia mendacia odium occultent, ex quo efficitur, ne quis ab huiusmodi maleuolentia sibi caueat, atq; ita illius retibus implicetur. Verum stultus ore loquaci conuicia profert, ex quo fit, vt qui ab illo odio habetur, sibi cauere studeat,

19 *in multiloquio* Cum autem duorum mentio facta sit, quorum alter sermone promit, alter silentio inuoluit sua, deteriorq; sit qui occultat eo, qui euulgat, modo explicarē aggreditur, genus aliud reperiri, quod præstantiori ratione abscondat, & inuoluat, inquitq; qui multiplicat &c.

*in multiloquio* Inquit autem eos, qui coram principibus viris sermones frequentes habere solent, haud continere se posse, quin in multiloquio labantur, & peccent, nec .n. potest quis verborum, sermonumq; copiam in rectum ordinem, normamue redigere.

*qui autem moderatur* Qui autem à multiloquio se cohibet prudens est, prospereq; succedunt ei quæ acquirit. In primis autem, & peculiariter consentaneum est, vt qui de Deo sermonem habet parcissimus sit verborum, vt explicaui in Ecclesiaste, nam is longe superioris est ordinis, quam vt à nobis pertingi queat.

20 *argentum electum* lingua iusti est tanquam argentum absque scorijs, quod solidę est naturæ, nec facile labefactatur.

*cor impiorum pro nihilo* Verum impiorum animus, & cor nonnisi breuissimi temporis vsuram in corpore habebit. Non est autem facta mentio linguæ impiorum, quod is haud cogitationes suas ore depromat, vt paulo ante dictum est.

21 *labia iusti erudiunt multos* Neque vero satis est vt labia iusta iusto vitam afferant, quin etiam multos alios sollicita cura instituēt & regent, quemadmodum pastor greges pascit.

*qui autem indocti sunt* stultis autem non satis est, si alteri non prosint, nisi etiam ob suam inscitiam sibimet mortem, perniciemq; accersant.

### Vers. XXII.

22 Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio. VA-

## VAR. LECT.

*a Syr. dolor non erit cum ea.*

## SALOMON ISACIDES

*benedictio* haud necesse est vt quis labores impendat, quo diues fiat, satisq; est ad id, vt diuina benedictione cumuletur.

## A. ABEN EZRA.

22 *Benedictio Domini* ea scilicet quam iustis Deus impendit, illis diuitias acquirit.

*nec sociabitur eis afflictio* Haud volet Deus, vt cum ærumnis benedictio coniungatur, cui contrarium est illud, in dolore comedetis. Benedictio ergo bonis cumulat, maledictio autem summam egestatem parit. Gen. 3. v. 17.

## LEVI GHERSOM.

12 *benedictio Domini diuites facit* Ij opulenti fiunt, quorum peculiarem prouidentiam Deus habet; nec opus erit vt huiusmodi diues labores impendat ærumnasq; subeat, quemadmodum cæteris diuitibus euenit, qui ita laborant, vt a diuitijs nulla illis somni quies concedatur. Hęc autem ita se habent, quod Deus illius dirigat negotia vniuersa, ob peculiarem curam quam eiusdem gerit. Illud et hisce verbis insinuabitur, benedictione diuina ditari humanum intellectum sapientiæ thesauris; quę quidem diuitię illius sunt rationes, vt nullus cum illis dolor, laborue sit coniunctus, cum sint ad æternitatem stabiles, & firmæ. Caute hęc intellige, loquitur enim tan quam eruci. hostis.

## Vers XXIII. XXIV. XXV.

23 ᵃQuasi per risum stultus operatur scelus: sapien-
ᵇtia autem est viro prudentia.

24 ᶜQuod timet impius veniet super eum: ᵈdeside-
rium suum iustis dabitur.

25 ᵉQuasi tempestas transiens non erit impius: ᶠiu-
stus autem quasi fundamentum sempiternum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. stultus quando ridet scelus operatur. b Chal. viro prudenti. c Syr. impius ad perditionem trahitur. d*

*Syr. quod sperabat.* *e Syr. velut turbo repente transit, ita profligabitur impius, & non reperietur. Chal. sicut transit turbo, sic transibit impius.* *f Syr. iustorum autem fundamenta in æternum ponentur.*

## SALOM. ISAC.

23 *operatur scelus* עשות זמה hasoth zimma peccati molitio.

*sapientia autem* sapientia autem est quasi per risum viro prudenti, quod nimirum leue, facileq; sit præstare quæ ab illa pręcipiuntur.

24 *quod timet impius veniet super eum* malo mactatur impius, quod
veretur. Qui ea tēpestate existebant, qua hominū genus in varias lin-
Gen. c. 11. v. 4. guas diuisum est inquiebant, celebremus nomen nostrum, antequā
ibid. v. 8. diuidamur in vniuersas terras; paulo post autem subditur, atq; ita
diuisit eos &c.

*desiderium suum iustis dabitur* ab eo in cuius manu sit eorum vota explere.

25 *quasi tempestas transiens* repente procellę spiritus pertransibit, impiusq; sua sede succidetur.

## A. ABEN EZRA.

23 *scelus* זמה zimmah .i. criminosa cogitatio. Quemadmodum stulto facile est ridere, ita post cogitationem scelere se obstringendo gaudendum sibi arbitratur.

*sapientia autem est viro prudentia* חכמה לאיש תבונה leis teuuna .i. sapientia prudenti non deest, a qua seruetur, ne sceleste cogitationis machinationes exequatur; quam ob rem eam is amore complectitur. Alia etiam est exponendi ratio. Sicut sapientia viro prudenti est pene in promptu, ita stulto scelus patrare facillimum est.

24 *desiderium suum iustis* vt scelerati è medio tollantur.

*dabitur* complebit Deus huiusmodi votum, vt testatur proximus versiculus.

25 *quasi tempestas transiens* quemadmodum celerrime sedatur tempestas, ita numero impius abolebitur, nec amplius existet.

*iustus autem quasi fundamentum* iustus in aduersis ita firmus, constansq; erit, sicut orbis fundamentum, quod dimoueri nequit.

## LEVI GHERSOMITES.

23 *quasi per risum stultus.* Cum stultus haud sapientiæ regulis assuescat, in suis negotijs, ac ijs quę efficere anxie optat, ideo quæ expetit contingunt illi ad instar eorum, quæ per accidens, fortuitoq; aut ex actione ridendi eueniunt, quæ quidem aliquo pręstituto fine carent.

*sapien-*

*sapientia autem est viro prudentia* Verum viri prudentia imbuti, quæ mente conceperant feliciter pro votis consequentur; sapientię .n. ope studens, vt quæ cogitatione destinarant felici euentu, congruisq; causis adhibitis, reipsa eueniant.

24 *quod timet impius* Euenient impio calamitates, quas formidat; nec .n. diuina ope ab ijs subducetur: hic autem timor, & formido contingit, quod is sibi conscius sit, haud ita sua cordi esse diuinæ prouidentię, vt in lib. Iob disseruimus, & in lib. 4. bellorum Dei.

*desiderium suum iustis dabitur* Non solum ij mala huiusmodi euadent, verum etiam facilis illis Deus concedet, vt bonorum quę in votis habebant compotes fiant.

25 *quasi tempestas transiens* Quando autem procella, & tempestas ingruet, nonnisi ad impium abolendum vrgebit; perinde ac si finis tempestatis esset ad iniquum exitio mulctandum. Diuersa autem prorsus ratione cum iusto agitur; est .n. is fundamentum ad æternitatem duraturum, quæ est causa vt firmus persistat, calamitatesq; ingruentes euadat, iuxta illud, saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum suarum. Iob, 22. v. 3.

## Vers. XXVI.

26 Sicut [a] acetum dentibus, & fumus oculis: sic [b] piger his qui miserunt eum.

## VAR. LECT.

a *Syr. sicut vua acerba dentes lædunt:* b *Syr. sic nocet iniquitas illam perpetranti. Chal. sic nuncius piger.*

## A. ABEN EZRA.

26 *Sicut acetum*, Sicut acetum cuius natura frigida est, dentesq; labefactat: aut sicut fumus, cuius natura calida est, oculisq; perniciē affert, ita piger pessime habet eorum negotia à quibus missus sit, ad aliquid præstandum: ab huius ergo societate operæ precium est vt diuellamur.

## LEVI GHERSOM.

26 *sicut acetum dentibus* Quemadmodum acetum dolore vehementi dentes afficit; quemadmodum etiam fumus oculis nocet; ita iners, & deses doloris est origo illorum animo à quibus sit missus, cum quod sperabant diutius protrahatur.

Vers.

## Verſ. XXVII. XXVIII. XXIV.

27 Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breuiabuntur.

28 ᵃ Expectatio iuſtorum lętitia: ſpes autem impiorũ peribit.

29 ᵇ Fortitudo ſimplicis via Domini: & pauor his qui operantur malum.

## VAR. LECT.

*a Chal. ſpes. Syr. ſpes iuſtorum in gaudio. b Syr. roborat perfectos via Domini, & frangit operantes malum. Chal. & abſumptio his qui faciunt iniquitatem.*

## SALOM. ISAC.

28 *expectatio iuſtorum lætitia* quod hæc duret, lætitiaq; perfundantur.

*ſpes autem impiorum peribit* nec enim quod ſperabant, eueniet.

29 *& pauor his qui operantur malum* & inique ſe gerentibus pernicies, qui ſcilicet diuino calli haud inſiſtunt eandem prorſus adſpernantur.

## A. ABEN EZRA.

27 *apponet dies* nec.n. hominis ætas certis terminis eſt definita, ſed iuxta cuiuſq; naturam: natura autem ita confirmabitur, & vigebit, quemadmodum cuiuſq; rectæ erunt actiones, quod teſtantur illa, vt elongentur dies tui. Quod autem inquiunt diuinæ litteræ, & numerum dierum tuorum ad implebo, intelligendum eſt de eo ſpatio, quod iuxta naturæ ſuæ legem quis exæquare potuiſſet, quod quidem certum eſt, & definitum.

*anni impiorum breuiabuntur* decidentur anni, quos viuere potuiſſent; Deus.n. eorum vires debilitabit, aut eos inopinato, fortuitoq; caſu morte mulctabit, cum haud ab illis timeretur.

28 *expectatio iuſtorum* qua impiorum mortem ſe adſpecturos ſperabant, hæc inquam expectatio tandem lætitia explebitur, cum iniqui mortem obibunt.

*ſpes autem impiorum* ſpes qua iuſtorum exitium ſperabant.

*peribit* .i. in irritum cadent optata, quod verſiculo ſequenti declaratur.

29 *fortitudo ſimplicis* תם lattom .i. perfecto, quæ quidem vox eſt ſimi-

similis formæ חום chom. Vel etiam lamed vocis לחם lattom significabit propter .i. propter perfectũ, atq; ita erit nomen adiectiuũ.

*via domini* eiusdem nimirum præcepta.

*& pauor* מחתה mechitá, ideſt deiectio, ideſt hęc eſt via a qua deijcientur, propterea quod Deum ſint auerſati, iuxta illud, iuſti per eam ambulabunt, & impij in ijs offendent.

## LEVI GHERSOMITES.

27 *timor domini* Hic viro diuturnius vitę ſpacium concedit, quam conſtitutum ſit, nam cum is in diuinæ prouidentiæ gremio iaceat, calamitates euadit, quibus preſſus ad mortem adigeretur ante naturæ ſeneſcentis ætatem. Verum impiorum anni decidentur, neq; ad conſtitutum tempus deuenient, immatura .n. eos morte praua illorum mulctabit deliberatio.

28 *expectatio iuſtorum* Illorum ergo expectatio eſt vita æterna iucunditate bonorum circumfluens, quæ quidem eſt finis lętitię, nam voluptates, lætitięq; corporis nulla ratione cum illa ſunt comparandæ, vt explicaui primo lib. de bellis Dei.

*ſpes autem impiorum* Hęc ſpes nihil aliud eſt, quam cum quæ corpori placent comparantur .i. res, & gaudia corpus delinientia, quę quidem abſumuntur, ociſſimeq; diſpereunt.

29 *fortitudo ſimplicis* Qui ergo iter ſuum ad perfectionem inſtituent, experientur à vijs Domini quoad legem, & præcepta, opem præberi, vt ſtabiles in ſemita perſeuerent, quam ingreſſi fuerant; ita .n. perfectionis coronidem adipiſcentur, quam expetebant. Verum eadem via prauis erit deiectio, nam longe recedit à fine, quem illi deſtinabant, nimirum ab iniquitate, mendacio, & violentia.

## Verſ. XXX. XXXI. XXXII.

30 Iuſtus in ęternum non commouebitur: impij autem non habitabunt ſuper terram.

31 Os iuſti a parturiet ſapientiam: lingua prauorum b peribit.

32 Labia iuſti c conſiderant placita: & os impiorum d peruerſa.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. loquetur. Chal. notam facit.* *b Syr. amputabitur.* *c Chal.*

*c Chal. cognoſcent. Syr. cognoſcunt bonum, vel gratiam.*
*d Chal. peruertit.*

## SALOMON ISACIDES.

30 *in æternum non commouebitur* Quando nutat haud perpetuo
h.c.24.v.16. id fiet, licet enim cadat, mox reſurget.
31 *os iuſti parturiet* ינוב ianub .i. loquetur, iuxta illud ניב שפתים
Eſai.57.v.19. fructum labiorum .i. ſermonem.
32 *conſiderant placita* ידעין רצון iedehun ratſon .i. beneuolentiam ſibi conditoris ſui comparare, eundemq; delinire ſciunt rationem; etiam perſpectam habent, qua mortales ſibi deuinciant, amicitiaq; inter eoſdem conſeruetur.

## A. ABEN EZRA.

30 *iuſtus in æternum non commouebitur* cum calamitatibus vexabitur, nunquam e ſuo ſtatu dimouebitur. Vel etiam, poſtquam mortem cum vita commutauerit, poſteritatem ex ſe relinquet, iuxta
hic.c.2.v.21. illud, qui .n. recti ſunt habitabunt in terra.
*impij non habitabunt terram* impiorum memoria, & proles ſimul interibunt.
31 *os iuſti parturiet ſapientiam* ינוב ianub, vox deducta a תנובה tenuuah quæ fructuū copiam ſignificat, hoc eſt iuſti os fructum vberē ſapiētiæ pferet: illud aūt ניב שפתים niu ſephataim nō eſt diſſimilis dicendi forma ab illis, fructu labiorum ſuorum ſaturabitur: ac coin-
h.c.8.v.20. Hoſ.c.13.v.15. cidit cum illis, inter fratres diuidet.
*lingua prauorum peribit* ſuccedentur labia peruerſa loquentis.
32 *conſiderant placita* ידעין iedehun .i. quæ placent, grataq; ſunt iuſti lingua proloqui ſciet. Os autem impiorum peruerſa noſcet effari.

## LEVI GHERSOM.

30 *in æternum non commouebitur* ita iuſtus diuinæ prouidentiæ cordi eſt, vt nunquam nutet, & nunquā illius pedes è ſua ſtatione dimoueantur, ſtabilis .n. perſeuerabit in ſua ſede, neq; inde in alias migrabit terras.
*impij autem non habitabunt ſuper terram* Nonniſi breuiſſimo temporis interuallo certum aliquem locum incolent, cum .n. ſceleratis actionibus aſſueuerint, quamplurimis etiam inuiſi erunt. Illud etiam iſta inſinuabunt.
*in æternum non commouebitur* .i. intra præſcriptum illi viuendi ſpacium non commouebitur, iuxta illud, & numerum dierum tuorum implebo.
Ex.c.23.v.13.
*impij autem non habitabunt ſuper terram* tempore illis conſtitutc.

tuto,cum futurum sit,vt illorum ætas imminuatur.

31 *os iusti* Os illius,qui rectis opinionibus sit imbutus,effabitur sapientiam,quæ stabile quiddam,æternumq; est;neq; vnquam à sapientia congruus sermo aberit; veritas.n. se ipsam prodit, omnibusq; rationibus secum ipsa consentit.

*lingua prauorum peribit* Lingua in errore versantis,mendaciaq; ferentis quoad principia notissima,peribit.i. nullam vim, pondusq; habebit,nisi consentiant illius dicta ijs, quæ mox reperiuntur post illa pronunciata,& principia.

32 *labia iusti considerant placita* ידעון רצון iedehun ratson.i lingua iusti mortalium propensionem sibi demereri sciet, cum eius verba consentanea, iucundaq; accidant.

*os impiorum* Secus autem impijs euenit, nec.n. sibi beneuolentiam conciliant,sed alios repugnantes,iratosq; experiuntur,cum verba acerba,& iniqua proferant. Illud etiam in horum explicatione dicere poteris:labia iusti,qui scilicet veras opiniones animo imbiberit,rationem callere,qua assequatur quod gratum sit in rebus naturalibus, quarum contemplationi vacat,earumdem causis, quare ita res habeat inuestigandis. Verumenim vero impios, qui opiniones veritati repugnantes amplectuntur, quiq; in principijs errant effugiet quod in rebus gratum,iucundumque est, & inter se repugnantia,atq; figmenta loquentur.

# CAPVT VNDECIMVM.

## Verſ.I. II. III.

1 ᵃStatera dolosa,abominatio est apud Dominum:& pondus ᵇ æquum,voluntas eius.

2 ᶜVbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ᵈ vbi autem est humilitas,ibi & sapientia.

3 ᵉSimplicitas iustorum diriget eos:& ᶠ supplantatio peruersorum vastabit illos.

## VAR. LECT.

*a Syr. statera. b Syr. pondera iusta amat. c Syr. in locum, quem contemptus aliorum ingreditur. d Syr. humilibus vero est sapientia. e Syr. spes iustorum ædificabitur. f Syr. superbia iniquorum profligabitur.*

T *Chal.*

*Chal. diripientes peruertentur, & conterentur. Forte interpr. in Bib. Reg. errat, & vertendum derisores.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *ibi & sapientia* sapientia etiam simul aduentabit.
3 *diriget eos* תנחם tanchem illos deducet.
*vastabit illos* ישדם iesaddem, idem ac ישדדם iesadedam.

## A. ABEN EZRA.

2 *vbi fuerit superbia* בא זדון ba zadon venit superbia .i. vir superbia præditus, adestq; contumelia, nam superbus cæteros contemnet.

*vbi autem est humilitas* את צנועים eth tsenuhim .i. cum humilibus sapientia, iniuriam .n patienter ferunt, nec contumeliose quidq̃ respondent. Porro humiles ij sunt, quos pudet superbe aliquid præstare, iuxta illud humiliare se, & ambulare cum Deo.

3 *simplicitas* תומת thumat vox eiusdem formæ ac יכומת oporteretq; vt esset תוממת

3 *diriget eos* ne impingant.

*& supplantatio* סלף seleph iniquitas, & fraus, qua alios circumueniunt.

*vastabit eos* Supplantatio, frausq; ipsos criminosos ad exitium propellet atq; ita legendũ erit ישדם iesaddem adhibito iod ad vocis initium. Quod si legatur ושדם vesaddem cum vau, is erit sensus: supplantatio in ipsosmet nefarios redundabit; frausq; eosdem exitio percellet.

## LEVI GHERSOM.

1 *statera dolosa abominatio* Detestatur Deus illum, qui trutina fallaci perpendit opiniones, qui scilicet in meditatione rerũ haud sibi scit cauere ab ijs, quę in errorem propellunt; id .n. efficit, vt grauissime labatur, atq; ad audaciam singularem, ac proteruiam obstinatam adigatur. Verum placet Deo, vt iusto pondere eas libremus, ne scilicet incrementum patiatur; quod proculdubio fit, cum seruantur instituta, & ordines, quibus vir instruitur, vt errores quoad rerum contemplationem deuitet.

2 *ubi fuerit superbia* Cum ergo aduenerit quis superbia elatus, prauas fouens animo opiniones, qui audeat de rebus iudicium ferre absq; vlla inuestigatione, statim post eum ignominia, contemptusq; accedet, neq; .n. conuenient res ijs, quæ ab illo sunt iudicata. Verũ enim vero sapientia apud eos reperietur, qui modeste, demisseq; de se sentiunt, atq; ad hunc se gradum extollere verentur; nituntur .n. propositionibus idoneis, aptisq; argumentis.

sim-

3 *simplicitas* תמת tumath Perfectio iustorũ eosdem deducet ad culmen votorum suorum, efficietq; vt quę inuestigabant, adipiscantur.
*& supplantatio* Obstinata autem peruersorum mens eosmet ad exitium adducet, pænitusq; abolebit.

## Vers. IV. V. VI. VII.

4 Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit a morte.
5 Iustitia ᵃ simplicis ᵇ diriget viam eius: & in impietate sua corruet impius.
6 Iustitia rectorum liberabit eos, & in ᶜ insidijs suis capientur iniqui.
7 ᵈ Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes: & ᵉ expectatio solicitorum peribit.

## VAR. LECT.

*a Syr. perfecti. b Chal. rectam faciet. c Syr. in iniquitatibus suis. d Syr, Chal. quando moritur impius, perit spes. e Syr. spes iniquorum. Chal. spes illorum qui faciunt iniquitatem.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *& in insidijs* Incident iniqui in insidias, quas ipsimet struxerant, vbi facer textus mutilus, & mancus videtur, q. d. iniqui capientur in insidijs, quas ipsimet machinati erant.
7 *nulla erit vltra spes* Cum impius vita functus fuerit ij etiam fallentur, qui in eodem spem suam collocabant.
*expectatio solicitorum* אונים onim, i. filiorũ spes, qui sunt illorum robur, & diuitiæ irrita fiet; nam ob parentum demerita, haud bonis vllis gaudebunt. Cum autem iustus vita functus fuerit, illius soboles habebit quid speret ob parentis iustitiam.

## A. ABEN EZRA.

4 *non proderunt diuitiæ* Impijs diuitiæ, quibus pollent nihil proderunt, quando Deus in eosdem ira exarserit.
*iustitia autem liberabit* Vindicabit eos, ne sceleratorum mortem obeant: vel etiam seruabit eos, ne nisi cum ad senium deuenerint e vita migrent.

5 *iustitia simplicis diriget viam* ne scilicet impingat, & corruat, vt testantur subsequentia, corruet impius.

6 *iustitia liberabit eos* à calamitatibus, & tuebitur.

*& in insidijs suis capientur* illaqueabuntur ipsi artibus, insidijsq; quas moliebantur in cæteros.

7 *nulla erit vltra spes* Disperibit spes, qua alios ad egestatem redacturos confidebant.

*expectatio sollicitorum* אונים onim, quæ vox deducitur ab און auen .i. iniquitas q. d. expectatio qua se inique gesturos sperabant, irrita erit. Vel etiam אונים onim erit nomen adiectiuum .i. scelerati ad normam טובים & בושים

## LEVI GHERSOM.

4 *non proderunt diuitiæ* Nihil prorsus facultates mortali proderunt, vt euadat in die iræ, namq; exterminabitur. Iustitia vero & æquitate idem à morte seruabitur.

5 *iustitia simplicis diriget viam* vt votorum suorum compos fiat, nam propter huiusmodi iustitiam diuina prouidentia peculiariter in eodem elucebit, cuius instituta ad integritatem, & æquitatem tendant; impius autem in sua impietate corruet, cuius semita, viuēdiq; consuetudo ad impietatem pertineant. Corruet porro in media via, Deo desideria, & conatus impios, quibus alijs nocere moliebatur, profligante.

6 *iustitia rectorum liberabit eos* ab ærumnarum molestia recti seruabuntur: iniqui autem, & contumaces seipsis implicabuntur eadē calamitate, quam alijs se illaturos cogitabant. Quare is erit ordo verborum, & in insidiis, supple iniquorum, capientur iniqui isti, qui commemorati sunt.

7 *mortuo homine impio nulla erit vltra spes* Quoniam totus pæne moritur: spes etiam, quam in insigni suo robore, & vi collocabat, euanescet. Vel etiam ea erit horum sententia, mortuo impio cessabit spes, qua illius amici ab eius viribus, & facultatibus certum munimen sibi despondebant. Expectatio etiam, qua eidem fidebant, futurum vt opem præsentem afferre posset irrita corruet; eodem enim vita functo vis omnis, & robur desperibit.

### Vers. VIII. IX.

8 Iustus de angustia liberatus est: & a tradetur impius pro eo.

9 b Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem c liberabuntur scientia.

VA-

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. ſubibit impius pro eo.* b *Syr. flagitioſus. Chal. doloſus ore nocet amico ſuo.* c *Syr. roborabuntur.*

## SALOM. ISAC.

8 *iuſtus de anguſtia liberatus eſt* poſtquam impius vita functus fuit. Quare hic verſiculus cum ſuperiori copulatur.

9 *ſimulator* Hypocrita ſeducens amicum ſuum in tramitem iniquum eidem ore perniciem parit.

*iuſti autem liberabuntur ſcientia* Iuſtus autem euadet per legis ſacroſanctæ ſcientiam, quæ de huiuſmodi cauendis præcepit, non amabis iniquum &c.

## A. ABEN EZRA.

8 *de anguſtia liberatus eſt* נחלץ nechelats, ſimili dicendi charactere quo illud, eruite lapides .i. eruet eum Dominus à calamitatibus humano generi conſtitutis. Leu. 14. v. 40.

*tradetur impius pro eo* propter eum impius in calamitates incidet, vt illius vices ſubeat.

9 *ſimulator ore* בפה חנף bephe chaneph .i. ore iniquus, qui in alterum falſa teſtatur, illum e medio tollere geſtiens, ſuo teſtimonio, vel certe fraudulentis criminationibus. Verum iuſti ſcientiæ, & peritiæ ſuæ opera euadent, & huiuſmodi diſcrimini ſe ſe ſubducent.

## LEVI GHERSOM.

8 *de anguſtia* Quandoq; contingit, vt iuſtum à calamitate Dominus ſeruet, ac iniquum eadem premi patiatur, quo iuſti vice fungatur.

*ſimulator ore* Hypocrita, & ſceleratus ore ſuo amicum in diſcrimen ſummum adducet, nam ſermone ſuo pellicit alios ad crimina ſubeunda, ideoq; alios in exitium pertrahit.

*iuſti autem liberabuntur* Iuſti autem non ſolum alicui perniciem non inferunt, ſed etiam ſcientia ſua, & rerum cognitione alios ab impendentibus ærumnis liberabunt.

## Verſ. X. XI.

10 In bonis iuſtorum [a] exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit [b] laudatio.

11 Benedictione iuſtorum exaltabitur [c] ciuitas: & ore impiorum ſubuertetur.

## VAR. LECT.

*a Syr. roborabitur. Chal. exultabit ciuitas eorum. b Ch. exultatio. c Chal. prouincia.*

## SALOM. ISAC.

11 *exaltabitur ciuitas* .i. durabit, & domus contabulatio sublimis conseruabitur, ne cadat. Cũ Iudæ reges adhuc innocentia, & integritate pręcellerent, sanctuarij domus eorum precibus stabilis, firmaq; perdurauit.

## A. ABEN EZRA.

10 *in bonis iustorum* Quando Deus probos beneficijs cumularit, tunc eorum ciues gaudebunt; cũ autem impij peribunt exultabũt.

11 *benedictione iustorum* Connectenda sunt ista cum superiori versiculo hac ratione. Iure quidem optimo illis gaudendum est, cũ propter benedictiones iustorum ciuitas exaltetur .i. illius ædificia in altum extollantur, & crescant, Vel etiam id ad ciues referetur. Verum propter os impij falsa testimonio suo afferentis, aut versutijs cęteros circumuenientis, eadem ciuitas vastabitur.

## LEVI GHERSOM.

10 *in bonis iustorum* Ob iustorum fælicitatem, & bona ciuitas lætitia perfundetur, cum ab illa vniuersa diligantur, quorum bona in eandem redundant. Secus vero est de iniquis, quorum bonis haud ciues lætantur, quin cum illi perduntur summa exultatione tripudiant.

11 *benedictione iustorũ exaltabitur* Prosperis rebus iustorum magnum incrementum, dignitatemq; ciuitas suscipit, cum vniuersos suos ciues hi beneuolentia, charitateq; complectantur. eorũdemq; benedictio in ciues deriuatur. Ciuitas autem quæ impij ore administratur, deuastabitur; is .n. prauas consuetudines inducet, ex quibus consequetur, vt ciuitas exterminetur.

## Vers. XII. XIII.

12 Qui despicit amicum suum, indigens corde est. vir autem prudens [a] tacebit.

13 [b] Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, animi, celat [d] amici cõsilium.

VA-

## VAR. LECT.

*a Syr. in silentio habitat.* *b Syr. calumniator. Chal. accusator criminosus.* *c Syr. spiritu.* *d Chal sermonẽ.*

## SALOM. ISAC.

12 *vir autem prudens tacebit* quando illum amicus despiciet, silentio vtetur, quemadmodum de Saule legimus, & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera; Ille vero dissimulabat se audire. 1. reg. c. 10. v. 27.

## A. ABEN EZRA.

12 *qui despicit* Qui amicum despicit, quem prę sapientia qua excultus est summo in honore habere deberet, prorsus est excors.

*vir autem prudens tacebit* Contumeliam æquo animo prudens feret, tacebitq; ne socium contumelia afficiat, ac temnat: vel etiam tacebit, nec quidquam prorsus alteri respondebit.

13 *qui ambulat fraudulenter* הולך רכיל holeth rachil: huiusmodi dicendi formula vsurpatur, quod res susq; deq; permisceat: Verum ambulare dicitur, quod cum arcanum aliquod ab altero audiuerit, statim abeat, vt illud alteri patefaciat.

## LEVI GHERSOM.

12 *qui despicit amicum* Vecors sibi similem excordem ludibrio habet, cum seipsum sapientem, alterum vero dementem arbitretur.

*prudens autem tacebit* Prudens autem haud quidem socium suum deludit, & contemnet, sed silet, dum alter loquitur, attenteq; illius sermones audit; licet autem is in medium ea proferat, quæ ipse perspecta habet, auscultat tamen eius dignitati fauens, licet inde nihil percipiat emolumenti.

13 *qui ambulat fraudulenter* Ex praua autem hac consuetudine illud etiam prouenit, vt fraudulenter se gerat, alijsq; perniciem procreet. Verum qui fidelis est, obtegit, & occultat sibi commissa verba, licet sacramenti, arcaniue religio nulla intercedat. Illa etiam erit horum mens, turpem illum esse, similemq; fraudulento, qui quoad res diuinas abditissima sapientiæ mysteria diuulgat, ita .n. hominũ generi grauissimi detrimenti est origo: sed .n. qui spiritu fidelis est, ideoq; cauet ne illa præstet, ob quæ peccandi aliis ansam prębeat, eã scientiæ partem occultat, cui alter non sit idoneus.

## Vers. XIV. XV.

14 Vbi non est gubernator populus corruet: *a* salus autem, vbi multa consilia.

Affli-

15 [b] Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, ſecurus erit.

## VAR. LECT.

*a Syr. liberatio. b Chal. malus male agit contra iuſtũ, eo quod fideiuſſor ſtetit pro extraneo, & odit eos, qui ſpem ſuam collocant in Deo. Syr. improbus male facit cum occurrerit iuſto, quod oderit ſpei compotes.*

## SALOMON ISACIDES.

14 *vbi non eſt gubernator* Quando Iſraelitæ calamitate prementur, nec ſollicito animo curabunt, vt accurate attendant, ſeq; demittant, atq; à criminibus reſipiſcant, tunc populus corruet.

15 *affligetur malo qui fidem facit* Impius, qui animum ſuum ad ſuperſtitioſa numina appulerit, conteretur.

*qui autem cauet laqueos* שׂנא תוקעים ſoneh toKehim, qui auerſatur ſtipulatores .i. qui odit cum ſeductoribus manus conſerentes, vt illorum conſilia amplectantur, Rabbini autem id expoſuerunt de fideiuſſione ob diuitias.

## A. ABEN EZRA.

15 *affligetur malo* רע rah, Hæc vox eſt nomen ſubſtantiuũ; ירוע ieroha vero deſumptum eſt ex illo, conteres eos in virga ferrea. Quare ea vis erit, effringetur prorſus qui pro extraneo, quem haud ita norit, fideiuſſerit.

*cauet laqueos* שׂנא תוקעים, qui cauet, ne manus conſerat, vt pro alio vadimonium prçſtet ſecurus erit, nec fæneratorem formidabit.

## LEVI GHERSOM.

14 *vbi non eſt gubernator* Propterea quod in bellis res inito conſilio nõ geratur, populus in poteſtatẽ hoſtiũ veniet: vbi autem multi ſunt conſiliarij, vt ſolertia adhibeatur in bello, populus ab hoſtibus ſeruabitur incolumis. Alia etiam erit vis horum. Propterea quod non ſit adhibita ſolers cura ad animum concupiſcentem debellandum, ideo populus .i. membra, animiq; facultates illius retibus implicabuntur: Verum in opportuno, multoq; conſilio ſalus ſita erit; cui quidem explicationi verſiculus conſequens congruit, vt nimirum arceamus intellectum, ne pro concupiſcente vadimoniũ Deo præſtet, vt illius debita perſoluat, impius enim conteretur &c.

16 *affligetur malo* Senſus eſt, calamitate eum vexatum iri, exitiumq; ſubiturum, qui ſtipulatus fuerit pro facultate extranea ei, vt homo eſt, quæ quidem eſt excitans ad corporeas cupiditates. Verum qui odit manus conſerentes .i. qui hac ratione vadimonium ſubire negabit, ſed intellectum ſuum informare ſtudebit ea cognitione, & opinione, quæ eidem ſit propria, & opportuna, ſecurus erit, nec formidabit, quin diuinæ prouidentiæ beneficia experiatur.

## Verſ. XVI. XVII.

16 Mulier [a] gratioſa inueniet gloriam: & robuſti habebunt diuitias.

17 [b] Benefacit animæ ſuæ vir, miſericors: [c] qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abijcit.

## VAR. LECT.

*a Syr. mulier pia viro adipiſcitur laudem, ſedes autē ignominiæ mulier quæ veritatem odit. Inertes etiam in diuitijs ſuis ſunt indigentes, fortes autem obtinent ſcientiam. Ch. mulier benigna diuidit gloriam, & robuſti currunt poſt diuitias. b Chal. retribuit bonum vir benignus. Syr. vir pius iacit ſibi pignora bona. c Chal. qui perdit corpus ſuum crudelis eſt. Syr. qui perdit corpus viri abſq; miſericordia.*

## SALOM. ISAC.

16 *inueniet gloriam* Iſraelitica ſynagoga ad diuinam gloriam proxime accedit, & ad eius legem.

*& robuſti habebunt diuitias* Filii vero Eſau diuitiis per furtum, rapinamq; auferenti ſe ſe proxime addicent.

17 *benefacit animæ ſuæ* propinquis ſuis pius, & miſericors beneficia impendit: crudelis autem propinquos ſuos cõturbat, & abijcit.

Hæbræi ſermone ſuo prodit. Quare dic tam acceſſit cũ nũc longiſſimè dipellatur

## A. ABEN EZRA.

*mulier gratioſa* אשת חן eſſeth chen, quę ſcilicet gratia, & pulchritudine precellit.

*inueniet gloriã* תתמך tithmoch, apprehendet, ſeu fulciet. i. ita dignitatem tuebitur, vt propter formam in precio habeatur, gloriæ etiã voce diuitię inſinuabuntur, quod mihi arridet: inueniendi autem

ſeu apprehendendi vox tenacem illam eſſe demonſtrabit, quod nimirum diuitias ne vel in res neceſſarias impendat, quin potius alienis largitionibus delectetur.

*& robuſti* formidabiles diuitias ſuas conſeruabunt, illis munerũ copiam cæteris deferentibus

17 *benefacit* Verum vir pius animæ ſuæ benefacit, eamq; pietate ſua conſeruat, virtutibuſq; cumulat vſq; ad ſenectutis ætatem.

*crudelis etiam propinquos abijcit* עכר שארו hocher ſeero, conturbãs carnem ſuam crudelis eſt .i. qui ſuperbia elatus ita ira abripitur, vt alium aboleat inſigniter crudelis eſt. Aliter etiam hæc exponi placet. Cum loquitur de crudeli ei corporis mentionẽ adiungit, is .n. anxius eſt vt corpus in delicijs mundi conſtituatur: at iuſtus animã ſuam in æquitate, & pietate firmiter collocat.

## L E V I G H E R S O M I T E S.

16 *mulier gratioſa* Sapientes ergò gloriæ hæreditatem adipiſcentur, nam ob illorum inſignem contemplationem, quamlibe linguã quæ in iudicium veniet ream facient. Cum igitur anima obſequiũ deferens intelligenti facultati, quę mulieris gratioſę nomine adumbratur, ab eadem gratiam ſibi conciliarit, propterea quod ſuos conatus ad illam iugiter detulerit, quando teſtimonia è ſenſibus peti oportuerit, illa in quã ſapienti huic hanc dignitatem conſeruat; perinde ac ſi columna, fulcrumq; eſſet, cui gloria inniteretur, quemadmodum robuſti conſeruant diuitias, & ſunt tanquam columnæ quædam quę illas à prædonibus, vaſtatoribuſq; tuentur.

17 *benefacit animæ ſuæ* Pius autem eſt qui partem ſui materiæ concretione conſtantem alit, roboratq: neceſſaria quoad cibum, & veſtimenta corporeæ parti concedens: pius autem eſt, quod haud deneget ſibi quę conſen anea ſunt, & opportuna, illiuſq; miſeratione moueatur, quod pietatem demereatur.

*qui autem crudelis eſt* qui autem corpus ſuum exterminat, atq: anguſtia premit crudelis eſt, qui enim in ſeipſum ſæuus eſt multo magis in alium erit &c.

## Caſtigatio.

Impius Crucis hoſtis corporis caſtigationem deteſtatur ea potiſſimam ratione, quod à ſacra lege nulla res ſtatuta ſit, qua corpus maceretur tum etiam quod ſenſus animo deſeruire debeant, quiquidem ſi vexentur animo vſui eſſe nequeant. ſed grauiſſime fallitur, receptiſſimæq; eccleſiæ opinioni aduerſatur, & nouæ legis teſtimonijs ſexcentis, quibus corporis extenuatio pręcipitur.

Verſ.

## Verſ. XVIII. XIX.

18 Impius facit ᵃ opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiam merces ᵇ fidelis.
19 ᶜ Clementia præparat vitam, & ſectatio malorũ mortem.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. opera iniquitatis. Syr. oppreſſionis. b Chal. veritas merces eius erit. Syr. veritas erit eius merces. c Syr. filius iuſtitiæ ad vitã, qui facit malũ ad mortẽ. Cha. ſicut qui facit iuſtitiam ſeruatur ad vitam, ſic qui ſequitur malum ſeruatur ad mortem.*

## SALOMON ISACIDES

18 *impius facit opus inſtabile* פעלך שקר pehulath ſaKer, opus mendax;.i. opus impij eidem mentitur, in eo .n. felicitatem ſuam ſitã arbitratur verum omnia deficiunt,& euaneſcunt.

*ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis* qui vero eleemoſinam diſſeminat opus ſtabile pręſtat, nam proculdubio certus eſt ad extremum ſeactionis ſuæ fructum relaturum.

*merces* שכר ſacher obſtructio, queãdmodum quis aquę cursũ obſtruit, vt piſces expiſcari queat, ſeq; ibidem piſcium copiam reperturum confidit cui ſimile ex illud Iob qui facit obſtructionem.

*ita iuſtitia ad vitam* iuſtitiæ veritas tendit ad vitam iuxta illud, i numeris כן בני veritatem ſignificat.

## A. ABEN EZRA.

18 *ſeminanti iuſtitiam merces fidelis* Merces vero, quæ ſeminanti iuſtitiam à Deo concedetur, erit veritas, ſeminare autem iuſtitiam nihil eſt aliud quam iuſte agere.

19 *clemẽtia præparat vitam* כן הצדקה לחיים chen hatſedacha lechaim ita iuſtitia ad vitam. Quemadmodũ iuſtitię merces eſt veritas, ita iuſtitia eſt ad vitam, quam eius beneficio aſſequimur, animę nimirum vitam.

*ſectatio malorum* מרדף meradeph, eſt vox actiua tranſitiua, ſeu ad cor, ſeu ad quippiam aliud referatur: Atque ita expones; qui malum ſectari iubet, præſtat id ad mortem oppetendam, immatura enim morte obibit.

## LEVI GHERSOM.

18 *impius facit opus instabile* Perditis moribus, prauisq; opinionibus imbutus opus efficit, ex quo nihil emolumenti percipiatur, quia est merum hilum; & mendacium.

*seminanti* Qui autem iustitiam vel quoad mores, vel quoad opiniones serit huic duraturum, admirabileq; præmium reseruatur, quod quidem est veritatis indagatio, ex qua fructus vniuersi humanæ fælicitatis pendent.

19 *clementia præparat* צדקה כן chen tsedacha quemadmodum ex iustitia disseminanda consequitur veritas, ita ex eadem vera vita emanabit; nam pars rei existētis, quod est vita quædam, est veritas, vt in prima phi osophia declaratur.

*sectatio malorum mortem* At .n. qui iniquitatem, impietatemq; sectatur, tum moribus, tum opinionibus, inde casibus mortis, aut extremo discrimini obnoxius erit.

## Vers. XX. XXI.

20 Abominatio Domino cor prauum : & a voluntas eius in ijs qui b simpliciter ambulant.

21 c Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. amat. Chal. vult. b Syr. sine macula sunt in via eius. c Syr. Chal. qui extendit manum suam contra socium suum, non erit innoxius à malo.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *manus in manu non erit innocens* Transibit nimirū à manu Dei ad illius manum actionis prēmium, nec insons erit à scelere, quod perpetrauerit.

## A. ABEN EZRA.

21 *manus in manu* Adstat Deus manui impij, atq; ideo non erit innoxius: ideo autem non erit insons, quia Deus rependet debita illius capiti.

*semen autem iustorum saluabitur* semen iustorum est eorundem soboles, quæ ob parentum merita à calamitatibus eripietur.

LE-

## LEVI GHERSOMITES.

20 *abominabile* Deteſtatur Deus eos, qui prauo ſunt corde, cum ab hac prauitate ſemper in errores pertrahantur quoad animi ſenſa, tum etiam alijs modis grauioribus.

*& voluntas eius* placentq; Deo qui rectam ineunt abſolutamq; rationem quoad contemplationem rerum, vt ab erroribus caueant.

21 *manus in manu* Damna repentina ingruentia quaſi per manus haud euadet impius, Deo haud ita curante, vt is huic calamitati ſubducatur.

*ſemen autem iuſtorum ſeruabitur* Verum enim vero huiuſmodi diſcrimina iuſtorum proles effugiet, Deo pro ſua peculiari prouidentia ita cauente. Illud etiam iſta inſinuabunt Quo tempore acerbiſſimæ calamitates quaſi de manu ad manum inopinatæ prement, vniuerſiq; illis erunt obnoxij, probris, improbisq; ſimul ob illas periclitantibus, euadet tamen ſemen iuſtorum, fructus ſcilicet in abſolutione intellectus ſiti; nec .n. huiuſmodi mala in intelligentē facultatem vim, acerbitatemq; ſuam exercere poterunt.

### Verſ. XXII.

22 ᵃ Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & ᵇ fatua.

## VAR. LECT.

ᵃ *Chal. ſicut circulus. Syr. ſicut monile aureum.* ᵇ *Chal. fœtido ſenſu.*

## SALOM. ISAC.

22 *circulus aureus* Pulchritudo in fatua eſt tanquam circulus in naribus ſuis eundem fœde cōſpurcantis, qui in luto volutatur, cuiuſdem rationis eſt ſapientiæ ſtudioſus, qui à recta via deflectit.

*& fatua* סרת טעם ſarath taham .i. à legis inſtitutione diuulſa.

## A. ABEN EZRA.

22 *in naribus ſuis* ſus .n. illum circulum in cœno volutabit, atq; diffringet; quæ quidem à ſimili petuntur, nam pari ratione pulchritudo eſt tanquam aurum; mulier vero demēns eſt tanquam ſus rerū cognitione carens. Forma ergo illius fit turpiſſima, atq; in deformitatem abit, quando à ſapientiæ ductu, vel guſtu illa recedit. סרת ſarat autem habet eandem nominis formam, quam מגרת megarath.

## LEVI GHERSOM.

22 *circulus aureus* Mulier pulchritudine præcellens, sed mente capta similis est inauri aureę, quæ in abiectissimo loco collocatur, in suis nimirum rostro fædissimo, sese in cęno volutantis. Monemur autem hisce, vt á scortis longissime recedamus, quę licet forma præstent, attamen proculdubio vecordia laborant, ideoque ad huiusmodi turpitudinem & ignominiam pelliciunt. sed .n. per ista adumbratur pulchritudo, aptaq; constitutio, quá præpotens Deus hominis materiam, & animi facultates instruxit, vt intellectui obsequiũ præstarent. Quodsi mortalis abstineat á sollicito studio perfectionis illius, quæ eidem tanquam consentanea proposita constitutaq; sit, pulchritudo huiusmodi, & apta constitutio in fędissimum locũ proijcitur: quandoquidem vecors hic criminosior est omnibus malis vniuersorum animantium, nam ea facultate, & dispositione, qua ornatus fuerat, vt absolutionem intelligentis facultatis sectaretur, actionibus turpibus inseruit, atq; maiora damna infert, quam bruta & muta animantia.

### Vers. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.

23 Desiderium iustorum *a* omne bonum est: præstolatio impiorum *b* furor.

24 Alij, *c* diuidunt propria, & ditiores fiunt: *d* alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.

25 Anima *e* quæ benedicit, impinguabitur: &, qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

26 *f* Qui abscondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.

### VAR. LECT.

*a Chal. ad bonum est. Syr. in bonum. b Syr. ad furorem. c Sy. est qui seminat sua, & multum introducit. Chal est qui dispergit, & rursus additur ei. d Chal. indigentia erit ei qui recedit á rectitudine. Syr. est qui non sua congregat, & modicum est illi. e Syr. quæ maledicit maledicetur. Chal. qui docet etiam ipse discet. f Syr. Cha.*

*qui*

*qui prohibet frumentum in necessitate, illud hostibus suis relinquet.*

## SALOMON ISACIDES.

23 *præstolatio impiorum furor* gehennnam illi fidenter præstolantur, atq; expectant.

*alij diuidunt propria* indigentibus eleemosinam impendentes, qui quidem maioribus diuitijs cumulabuntur.

*alij rapiunt non sua* וחושך vechosech, .i. alius cohibet supple seipsum, vt iuste agat; verum id illi egestatem pariet.

25 *anima quæ benedicit* quæ diuitias suas liberaliter profundit, atq; semper benedicendi vox pesim Gallice significat.

*& qui inebriat* qui scilicet indigentes vbertim ex saturat.

*ipse quoq; inebriabitur* .i. affatim bonis cumulabitur ad satietatem.

26 *qui abscondit frumentum* מונע בר moneha bar, qui prohibet filiũ ne legis cognitionem assequatur.

## A. ABEN EZRA.

23 *omne bonum* אך ach .i. solum diminutiua particula Omnem cu piditatem a se reiiciunt, præter eam, quæ sit rectæ actionis.

*præstolatio impiorum furor* Impij sperabunt futurum, vt furiose se gerere possint, iracundie scilicet furorem in alios exerentes ira autem qua quis modũ excedit appellatur עברה heura .i. extra limites progressus.

24 *alij diuidunt* est qui in indigentes diuitias diuidat, cui adhuc diuitiæ adijcientur.

*alij rapiunt non sua* חושך chosech, alius vero cohibet diuitias suas à iusto i. à iuste agendo, ne scilicet pauperibus eas suppeditet; verũ hic tenebris offundetur, quoniam ad egestatem redigetur, particula vero אך ach imminutionem demostrat cohibentis diuitias, præ am plitudine earum quę liberali addentur.

25 *inebriabitur* יורא iorè, quæ vox desumpta est ex illa והורית להם & illos edocebis. Ea autem est explicatio, anima quæ benedictiones suas liberaliter impertitur, à Deo ditabitur, & magnificabitur, idẽ .n. Deus qui eundem cumulat, docet, præcipitq; vt indigenti sup- Deu.15.v.14.
petiæ ferantur, iuxta illud, sed dabis viaticum de gregibus &c. Aliter etiam exponere lubet, vt anima quæ benedicit, & anima, quæ inebriat simul copulentur, eaq; sit sententia. Quicunq; beneficiis alios prosequitur, etiam ipse saginabitur, nam יורא saginandi vim ha habet beneficiis, enim conferendis indigenti, copiam bonorum consequetur.

Tertia deniq; sit explicatio.

*anima quæ benedicit* .i. ſapienti,alios ſapientia auctos reddēti poteſtas,dominatuſq; à Deo concedetur.

26 *qui abſcondit frumenta* בר bar .i. frumentum, quod paleis euentilatum ſit, vbi bar eſt eiuſdem formæ ac בג פת

*maledicetur* יקבוהו ijKbuhu,quæ deſumptum eſt ex illis קבה לי quæ vox eſt verbi origo cuius quidē ſimilis forma eſt הכה item ארה quaſi ſit נקבה

*vendentium* משביר maſbir .i. annonam vendentis. Id ergo ita expones. Qui in charitate annonæ prouentus ſuos abſcondit, vt illos charius diuendat, hunc infauſtis precationibus populi proſequentur: fauſtas vero precationes impendent annonam diuendenti,cum vrgebit neceſſitas.

# LEVI GHERSOM.

23 *Deſiderium iuſtorum* Iuſti nihil aliud expetunt,ſibiq; pro fine, & meta ad quam diſponantur proponunt, quam bonum, & honeſtum. Verum quod ſperant impij ex ſibi præſtituto fine, ira & furor eſt,cum ſceleribus ſolum ſtudeant ſe cumulare, quod quidemmetri elegantia explanatum eſt, vnumquemq, ſcilicet horum compotem fieri votorum ſuorum,cum .n.iuſtus in vniuerſis ſuis actionibus honeſto fine moueatur, hoc illi Deus præmium concedet, vt animi bonis fruatur,nefarij vero cum iniqua in ſuis actionibus appetant ſibi ipſis mala accerſent.

24 *alij diuidunt propria* Spectant hæc ad illum,qui in rerum contemplatione ſit abſolutus,quanto enim magis alios ſcientia imbuere ſtudebit,tanto maiori ſcientia,& prudentia augebitur, iuxta tritum illud:ex diſcipulis meis magis profeci quam ex vniuerſis, cum vero quis ſe continet,ne æquitatem mortales doceat,id illi vitio cedit,perfectioniq; detrimentum affert;cum enim aliis pernegat,quæ ad rectitudinem pertinent contemplatio etiam, ac rerum inueſtigatio imminuitur.

25 *anima quæ benedicit impinguabitur* Eadem etiam de cauſa, anima quæ alijs benedicit impinguabitur, & quæ inebriat inebriabitur; Viri benedicti anima aſſidue inhiantis benedictioni augmentoq; contemplationis,hac iucundiſſima pinguedine intelligibiliū pinguefiet. Qui etiam aliis liberaliter impertit ea,quæ ex ſapientiæ pinguedine ſibi comparauit,is etiam ſe ipſum erudit,& docet;contemplationem enim hac actione admirabili ratione abſoluit,quod ad eam diſcipulis explanandam deſcenderit.

26 *qui abſcondit* Qui contemplationis ſuæ frumentum aliis diuidere negat,ab vniuerſis populis,gentibuſq; diris deuouebitur propterea quod viris prodeſſe nolit in rebus, ad quas præpotens Deus ſingularem opem contulerit.

*benedictio autem ſuper caput vendentium* in caput autem diuidentis doctri-

doctrinam, docentisq; populos benedictio deriuabitur, quod ab ijsdem faustissimas precationes reportet: benedictione item cumulabitur in ipsamet contemplatione; hac .n. actione mirifice augebitur: benedictionem deniq; à Deo reportabit, prēmium huiusmodi rectę actioni referente. Illud etiam verisimile videtur, referri etiam hos tres versiculos ad hortationem, qua iuste agendo, ac eleemosinis diuidendis studeamus.

## Vers. XXVII. XXVIII.

27 [a] Bene consurgit diluculo qui quærit bona: [b] qui
autẽ inuestigator malorũ est, opprimetur ab eis.
28 Qui confidit in diuitijs suis corruet: iusti autem
quasi virens folium germinabunt.

## VAR. LECT.

*a Chal. qui consurgit diluculo ad bonum, quærit beneplacitum Syr. qui quærit bonum, quærit beneplacitũ. b Chal. qui quærit malum, veniet super eum.*

## SALOM. ISAC.

27 *bene consurgit* שוחר טוב socher tou, vigilator bonus; qui in rectum iter mortales deducere studet, eosq; arguit; & instituit.

*quærit bona* רצון ratson .i. beneuolentiam, Vehementer id expetit, vt ij Deo sint accepti, illisq; se pacatum, beneuolumq; reddat.

## A. ABEN EZRA.

27 *bene consurgit* שוחר טוב socher tou consurgens diluculo bonus; qui scilicet diluculo consurgit vt bene agat.

*quærit bona* רצון ratson beneuolentiam Reconciliare studebit sibi socium, in quem noxam contraxit; vel etiam.

*quærit bona* .i. beneuolentiam diuinam sibi demereri expetit.

*qui autem inuestigatur malorum* Qui vero malum alteri inferre machinabitur.

*opprimetur* תבואנו tauoennu, veniet illi .i. à Deo malum illud in eundẽ recidet, iuxta illud conuertetur dolor eius in caput eius &c. Ps. 7. v. 17.

28 *qui confidit* Qui suis diuitijs nititur, non autem Deo, nihil ex his præsidij percipiet, cadet .n. in potestatem illorum à quibus ad necem, & exitium quæretur: iusti autem, qui in Deo spem suam collocant, non autem in diuitiis, germinabunt quasi virens folium.

## LEVI GHERSOM.

27 *bene consurgit* שוחר טוב socher tou. Qui bonus est, bonumq; studiose sectatur, Deo acceptus est, vt bono fruatur; cum enim à Deo ita homo sit constitutus, vt bona anxie appetat, ideo dubio procul optati finis compos erit.

*qui autem* Malo autem opprimetur qui mala appetit, secus enim quam decreuerat, res male succedent; quæ enim in alios machinabatur in ipsum recident, atque implicabitur retibus, quæ in alios occulte pararat.

28 *qui confidit in diuitijs* Corruet ille qui ita nititur suis facultatibus, vt ideo superbe se efferre super cæteros meditetur; neq; enim consentaneum est, vt alteri quam Deo nitamur. Quemadmodum autē sub folio germen enascitur, ita iusti in germen se induent, vt proferant fructus, quos à Deo sperauerant.

## Vers. XXIX. XXX. XXXI.

29 Qui [a] conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est seruiet sapienti.

30 Fructus iusti lignum vitę: & [b] qui suscipit animas, sapiens est.

31 [c] Si iustus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator?

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Qui ædificat domū suam in oppressione, relinquit filijs suis suspiria. qui non congregat in domo sua, diuidit ventos filijs suis. b Chal susceptrix animarum est sapientia. Syr. exterminabuntur animæ impiorum. c Syr. si iustus vix viuit, impius & peccator vbi reperietur? Cha. iustus in terra roboratur; impij autem & peccatores de terra perdentur.*

## SALOM. ISAC.

29 *possidebit ventos* Iners vir, qui semper auras hæreditate adipiscitur .i. vana sectatur, qui neque legis studio dat operam, neq; eandem opere exercet, ad extremum domum suam conturbat, .i. familiam

lium suam calamitate percellit, quod ea desint, quibus vescatur.

30 *fructus iusti* eam habent mercedem, fructumq; actionum iusti, vt sint lignum vitæ .i. ad omnem æternitatem recte facta durent.

*& qui suscipit animas* Qui sapiens est, animas sibi comparat, & acquirit, quæ ab eo rectum iter addiscunt, ex quo videntur illæ ab eo efformatæ, & acquisitæ iuxta illud, & animas quas fecerunt in Aaran. G.c.12. v.5.

31 *si iustus in terra recipit* Vt quid impius vana spe effertur, quo tempore res prospero, feliciq; euentu succedunt? an non etiam iustum noxæ, quam subiuit pænas dantem animaduertit, cum adhuc inter viuos agit.

*quanto magis impius* אף כי aph chi; an non etiam multo magis impius pęnas persoluet scelerum suorum, vel dum adhuc vitā trahet, vel dum mortem obibit?

## A. ABEN EZRA.

29 *qui conturbat* Qui domum suam perturbat, præ sua dementia hæreditate ventum, vanitatemq; assequetur.

*qui stultus* stulti autem seruum sapiens hæreditario iure obtinebit, hunc .n. à stulto ob sapientiam comparabit. Vel stultus sapientis seruus erit.

30 *fructus iusti* Fructus cogitationum, quæ in animo iusti versantur, de ijs sermone suo instituendis est tanquam fructus arboris vitalis.

*& qui suscipit animas* לקח loKeach erudiens, quæ vox concidit cum illis טוב לקח leKach tou doctrina bona. Ea autem erit expositio. Sapiens est qui cæteros sapientia imbuit, disciplinaq; & recta institutione auget, iuxta illud, te eleuat i. quid te edocuit. Aliter etiam exponens. hic c.4. v.2. Iob.15. v.12.

*qui suscipit* .i. qui acquirit: & comparat, iuxta illud, & adduxerunt mercimonia. Trito autem Rabbinorum sermone emptiones appellantur מקח. Quare is sensus erit: sapiens emit animas .i. seruos, & ancillas, vt e contra stultus sapienti seruiet. Alius etiam adhibeatur explicationis modus.

*qui suscipit animas* Sapientiæ suę auspicijs alios sapiens a calamitate eripiet.

31 *si iustus in terra recipit* Iusto dùm adhuc est inter viuos benefactorum præmium rependit Deus:

*quanto magis* אף כי aph chi .i. pari ratione impij pænā eorū, quæ gesserint, antequā e viuis excedāt, reportabunt, vt eiam indicant illa, & reddens odientibus se contra faciem ejus .i. statim. deut.7.v.10

## LEVI GHERS.

29 *qui conturbat* Qui domum suam ad exitium adigit, corpus ni-

mirum suum, & membra, facultatesq; animi itaut ijs non vtatur ad vtilitatem sibi constitutam percipiendam, possidebit ventos, & hilum, ex quib. nihil emolumenti emergit.

*& qui stultus est* Cum autem se contineat, ne intellectus laboret erga ea quæ propositi sint finis in alterius seruitutẽ redigitur, quòd nimirũ stultus cordati seruus sit. Vel etiam vox serui, fortuitos casus significabit; isq; erit sensus: operam nimirum laborẽq; vecordis in sapientis vtilitatem cessurum; iuxta illud is prȩparat, iustus autem induetur:

30 *fructus iusti lignũ vitȩ* iustus.n. laborat ad vitæ æternitatem capescendam; Sapiens autem est.

*qui suscipit animas* .i. qui operã impẽdit, ac facultates animæ materiȩ concretione constantis deducit, vt vniuersȩ sollicitæ excitent intelligentem potestatem ad huiusmodi vitæ immortalitatem obtinendam. Vel etiam idẽ verbis immutatis repetetur, ad hunc sensum: fructus iusti est arbor vitam conferens; quia nimirum non satis est iusto si sibimet vitam arripiat, nisi etiam alijs eandem obtineat. Sapiens ergo animas mortalium suscipit, atq; ad diuinam seruitutem pertrahit, vt omnes vitȩ immortalitate fruantur.

31 *si iustus* En iusto haud satis fit si vitæ compos sit ȩternȩ; nisi ẽt cũ adhuc terrã co it trãquillitate fruatur, nec vllȩ aduersæ rei terrore percellatur. Quod si ẽt aliquãdo se aliquo crimine obstrinxerit, aliquãq; noxã incurrerit, tranquillã nihilominus vitam traducet; vt animaduertere poteris in Iosaphat, qui societate ineunda cum Achabo; noxa non caruit; illum tamen à pernicie seruauit Dominus, quãdo ad eundem interficiendum exercitus Aramȩus impetum fecit, propterea quod bonis verbis, rebusq; excultus esset, vt in libro paralip. commemoratum est. Idem etiam contigit cum Dauide, cum ob mulierẽ se fœditate criminis deuinxit, inquit enim illi prophæta, Dominus transtulit a te peccatum tuum, neque morieris; propterea quod eius opera, si hoc vnum excipias absolutissima, perfectissimaq; essent; vt ibidem commemorauimus. Exprimur ergo maiori pæna Saulem mulctatũ; quam Dauid, licet non ita graue crimem esset Saulis, neque .n. tanta recte factorum copia affluebat, quanta Dauid; cum pleræq; eius actiones à rectitudinis, æquitatisq; norma deuiarent.

CAPVT

# CAPVT DVODECIMVM.

## Verſ. I. II. III.

1 Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autē odit increpationes, inſipiens eſt.

2 ᵃQui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino: qui autem cōfidit in cogitationibus ſuis, impie agit. ᵇ

3 Non ᶜroborabitur homo ex impietate: & radix iuſtorum non commouebitur.

## VAR. LECT.

*a Syr. benefiet viro, qui cuſtodit voluntatē Domini. Chal. bonus eſt qui ſuſcipit voluntatem Dei. b Chal. viri, impij conſilium infringetur Syr. impius condemnabitur. c Chal. non dirigetur uir in iniquitate.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *hauriet gratiam à Domino* יפיק iaphiK, elicit à Domino animi tranquillitatem, qua optima in orbem inuehat.

*confidit in cogitationibus* איש מזמות is mezimmoth, qui nefarijs machinationibus ſcatet.

*impie agit* ירשיע iarſiha alios reos facit, vt malo mactetur, quod teſtantur illa; qui in vno peccauerit multa bona perdet. Eccl. 9. v. 18.

3 *non roborabitur* לא יכון loijcō haud ſceleratus ſtabilis erit, validęq; baſi innitetur.

## A. ABEN EZRA.

1 *qui diligit* Qui ſcientiæ amore exardeſcit, inſtitutionem etiā amplectitur, qua mentem ſuam conformet.

2. 3. *qui bonus eſt. Non roborabitur* Hæc ſimul coniungenda; *hauriet gratiam* יפיק iaphiK .i. elicit. Q. d. Vir bonus diuinam beneuolentiam elicit, hoc eſt ab illo gratiam init. Verſipellem vero, ſceleſtiſq; cogitationibus præditum Deus quan-

do

do iudicium exercebit reum faciet, quamobrem mox subditur non roborabitur, hoc est haud stabilis firmusq; in impietate sua hærebit. *non commouebitur* quando ærumnis premetur.

*radix* symbolum est posteritatis, quam illi cum vita defungentur post se relinquent. Aliter etiam hæc expones. Quemadmodum radix e suo loco difficulter amouetur, ita iusti inconcussi, immotiq; persistent, nec à sua sede, graduq; deijcientur.

## LEVI GHERSOMITES.

1 *Qui diligit* Qui rectam morum institutionem amat, scientiæ etiam amore tenetur, cum id maxime conferat ad adipiscendum absolutionem quoad ea, quę intelliguntur, ideo enim perspicuum est, eum qui increpationes odio pertinaci respuat, absolutione etiam morum spoliatum esse, ex quo est instar pecudis ratione carentis cum etiam eorum, quæ cognoscuntur perfectione careat.

2 *hauriet gratiam* Vir probus quæ vult impetrat à Deo, cuius prouidentia gaudet, eius namq; voluntas à diuina non dissidet.

*qui autem confidit in cogitationibus* ואיש מזמות isc mezimmoth, Sed enim qui machinationibus suis obsequitur, vt criminibus se obstringat, ad mentem illorum nefas, & tantum piaculum factum est, a Deo reus fiet, & declarabitur, cum in hunc calamitates adducet ea ratione, qua in alios idem molitus fuerat.

3 *non roborabitur* לא יכון lo ijcon. Aedificium viri in scelere versantis non perdurabit, leui enim de causa corruet; radix verò iustorum non commouebitur, sed stablis ad omnem temporis diuturnitatem perseuerabit.

### Vers. IV.

Mulier a, diligens, corona est viro suo: & b putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.

### VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. mulier honesta. Syr. Virilis. b Chal. mulier mala velut putredo in ligno, sic disperdit ossa viri sui. Syr. sicut fungus, & vermis in ligno, ita virum profligat mulier malum faciens.*

## SALOMON ISACIDES.

4 *est putredo* Mulier pudore suffundens, cuius actiones probrosæ sint est tanquam putredo ossa subintrans.

## A. ABEN EZRA.

4 *mulier diligens* אשת חיל eseth chail, vox hæc eandem vim habet, quam חילך chailecha, quod diuitias significat; q. d. mulier quæ diuitias congerit est mariti corona, qui illius opera in prætio habetur, atque honore afficitur, quemadmodum diadema regium caput cęteris verendum reddit.

*putredo in ossibus* mulier probrosa maritum suum dedecore afficiens; illa inquam, quæ rem familiarem effusè distrahit est putredo in ossibus, cui nulla proderit medicina.

## LEVI GHERSOM.

4 *mulier diligens* Mulier ergò diligens, & in agendo sollicita corona est viri sui: desidia verò torpens eundem ad exitium propellit, atq; ita in illum se gerit, quemadmodum putredo, quæ ossa absumit. Mulier etiam symbolum erit facultatis, quæ ministra est quædam intellectus, eidemq; suam operam defert, subministrans ex sensibus quę contemplationi vsui sint. Quod si illa vel non obtemperet, vel etiã negligenter se gerat pręposterà, & probrosa eidem erit, tanquam ossium putredo, arcebit enim ab eodem coronidem.

### Vers. V. VI. VII.

5 Cogitationes iustorum iudicia: & ᵃ consilia impiorum fraudulenta.

6 Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorũ liberabit eos.

7 ᵇVerte impios, & non erunt: domus autem iustorũ permanebit.

## VAR. LECT.

ᵃ *Chal. solertia. Syr. molitiones, seu conuersatio.* ᵇ *Chal. subuertuntur impij, & non reperiuntur.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *verba impiorum.* Consilium sermone suo ineunt profligati, vt alios manibus, vel certe periuro testimonio vita spolient.

*os autem iustorum* Cum eorum nefaria consilia iusti intelligunt eos, qui ad necem exquirebantur machinationibus impiorum patefaciendis seruant. Quod si testes sint illos mendacij arguentes elingues reddunt.

7 *verte* הפוך haphoch idem ac כהפוך chaphoch .i. tanquã inopinata conuersione impij susq; deq; conuertuntur.

*& non erunt* pænitus enim absumuntur, vt incolæ Sedom.

*permanebit* stabilis firmaq; durabit.

## A. ABEN EZRA.

Tres hi versiculi vicissim nectuntur. Hæc autem erit explicatio. Cogitant iusti, vt iusta agant, impij autem consilium ineunt, vt eosdem fraudibus circumueniant. Cum autem id præstare nequiuerint intet se verba habẽt de insidijs parãdis in iustorũ sanguinem, eisq; morti tradendis. Verum os iustorum iusta loquentium ab insidiatorum manibus hos subducet.

7 *verte* הפך haphoc Deijciet Deus eos à sedibus suis, domus autem iustorum, qui iusta meditabantur stabilis erit, nec vnquam vacillabit.

## LEVI GHERSOM.

*cogitationes iustorum* Nõ solum autem ea, quibus iusti operam sedulam nauant apta sunt & consentanea, sed etiam quę mente cogitant ad iudicij trutinam exacta sunt.

6 *verba impiorum insidiantur sanguini* Sermones impij ad perniciem spectant, quam sibi pro fine constituerunt, ad sanguinem nimirum insontium profundendum. Secus verò est de iustis, quorũ verba spectant ad seruandos innoxios à sanguinis effusione.

7 *verte* Subuertet Dominus impios, neq; breuissimo temporis interuallo subsistent. Haud ita cum iustis se habebit, illorum quippe domus permanebit, idest eorum posteritas. Neq; verò opus est dicamus, eosdemmet duraturos, stabilesq; futuros, cum etiam horum soboles inconcussa mansura sit, iuxta illud, non vidi iustum derelictum, nec semẽ eius quærens panem.

Vers. VIII. IX.

8 a Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus, & excors est, b patebit contemptui.

9 Melior est c pauper, & d sufficiens sibi, quã gloriosus, & indigens pane.

VAR. LECT.

*a Syr. os prudens laudant mortales. Chal. Vir. laudatur iuxta intellectum. b Syr. despicietur velut stultus. d Chal. abiectus, qui habet seruos. c Syr. sibi vsui est, & seruit.*

SALOM. ISAC.

8 *Doctrina sua noscetur* לפי שכלו יהלל lephi ſiclô iehulal iuxta doctrinam suam celebrabitur. Vnusquisq; iuxta cognitionem rerũ, qua excultus erit præmium reportabit, si nimirum in sapientia multum, vel parum profecerit.

*qui autem vanus* איש נעוה לב is nahauè leu. Qui mentem suam affatim à lege sacra reuocarit contemptui patebit. Vox autẽ נעוה nahaue idem significat, quod illud נעויתי nahaueti idest audire neglexi, vel subtraxi me ab audiendo, atq; etiam eandem vim habet, quam illud נעות בן filij rebelles. Sed enim affirmandum est huc esse cuius mẽs vaga sit, & instabilis ad mentem illorum נע ונד nah vanad .i. vagus, & profugus, quemadmodum dicimus עוה zahaueh à radice עז z ah. Esaiæ.21.v.3 P.reg.20.v.30 Gen.4.v.14.

9 *Melior est pauper* Qui sibi abiectus videtur, & apud se personam serui induit præstat illi, qui sibi gloriosus apparet, sibiq; alicui arti vacare ignominiosum ducit illud iactanter obtendens, se à nobilissimis ortum ducere, hunc enim is exitus manet, vt panis egestate laboret.

A. ABEN EZRA.

Iunguntur hi duo versiculi ad hunc sensum. Propter os prudenter sermonem ferens laudẽ ab hominibus vir consequetur; vecors autem ludibrio habebitur. Qui verò abiectè de se sentit, prudentiæq; suę operâ seruum sibi acquirit potior est glorioso, opibusq; large affluente, ac eas dementer dilapidante, qui mox ad eam redigendus sit egestatem, vt pane indigeat. Gloriosus autem is est, qui multis diuitijs abundat, nam מתכבד mitcabbed rerum copia affluentem, diuitijsq; grauem significat, iuxta illud כבד באד Gen.3.v.11

caued meod diues valde. Vel etiã hoc loco gloriosus cũ paupere, seu contempto comparabitur, q. d. melius agitur cum paupere, & demisso, quam cum glorioso apud se, verum pane indigente.

## LEVI GHERSOM.

8 *Doctrina sua* Vir intelligens iuxtà doctrinam suam celebratur, sapientia enim ab vniuerso hominum genere maximo in pretio habetur, omnesq; illius amore trahuntur, vt ante commemorauimus. Qui autem mente deprauata est, cum nimirum quoad ea quæ mente arripiuntur implicetur erroribus probrum subibit; nec enim pręmissis mordicus adherebit, ac sibi constabit opinionum errore inuolutus. sed expugnabitur facilè, & coniungetur cum aliquis cum eodem disputabit, qua de causa ignominia afficietur.

9. *Melior est pauper* Præstantior est qui sibi abiectus, seruusq; est, vt scilicet opere sollicito remdomesticam gerat, agrosq; colat, vt ex ijs laborum suorum fructus decerpat, quam qui honore excolatur, velitq; sibi a cæteris seruitium exhiberi, cùm panis egestate laboret: demissio enim prioris ad extremum gloriæ vertetur, posterioris verò gloria deniq, in ignominiam cedet.

## Vers. X. XI.

10 Nouit iustus iumentorum suorum animas: a viscera autem impiorum crudelia.

11 Qui operatur terram suam satiabitur panibus: qui autem sectatur b otium stultissimus est. Qui suauis est in vini demorationibus in suis munitionibus relinquit contumeliam. } *desideratur in hebreo, & Syro.*

## VAR. LECT.

a *Syr. impij autem claudunt viscera sua. Chal. miserationes impiorum crudelitas.* b *Chal. vacua. Syr. festinat post vanitatem.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *Nouit iustus* Nouit quid iumento, quidue domesticis sui opus sit.

11 *Qui operatur* Hæc iuxta verborum sensum intelligenda sũt. Allego-

Allegoricè autē indicant assidue in doctrina versari nos oportere, ne rerum obliuio memoriam subeat.

## A. ABEN EZRA.

10 *Iumentorum suorum animas* Nouit quā re indigeant bruta animantia, licet ratione careant. Verum viscera impiorum sunt crudelia .i. misereri aliorum impij nesciunt.

11 *Qui operatur terram* Quoniam homo procreatus est, vt terram colat, atq; alimenta laboribus suis sibi comparet, idcircò ea excolenda panibus saturabitur: qui verò leuibus consectandis tempus terit, excors est.

## LEVI GHERSOM.

10 *Nouit iustus* Animam iumenti sui iustus perspectam habet, necessariaq; alimenta ad corporis conseruationem subministrari curat. Pro anima autem iumenti intelligitur anima materiæ compage constans, viro vt cum brutis conuenit, non vt vir est attributa.

*Viscera autem impiorum* Cū autem impij ergà corpus suum miseratione vtuntur, nè scilicet cupiditates suas cohibeant sæua quędam id est benignitas, cum prauis hisce moribus perdantur.

11 *Qui operatur* Qui terrę colendæ, suisq; negotijs, ac arti operam sedulam nauat ex ea viuendi adiumenta comparabit, quod eodem recidit, ac si diceretur, si quis terrę cultui vacet inde panis copiam ad vescendum percipiet.

*Qui autem sectatur otium* Verū qui vanas, temerariasq; opiniones sectatur, non solum pane egebit, sed etiam vecors, & scientiæ expers erit.

## Vers. XII. XIII. XIV.

12 Desiderium impij ᵃ munimentum est pessimorum: radix autem iustorum ᵇ proficiet.

13 Propter peccata labiorum ᶜ ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia.

14 De fructu oris sui ᵈ vnusquisq; replebitur bonis & iuxtà ᵉ opera manuum suarum retribuetur ei.

## VARIÆ LECTIONES.

ᵃ Syr. *ad malum præstandum*. Chal. *desiderat impius re-*

*tia mali.* b *Syr. geminabit.* *Chal. permanebit.* c *Chal. corruit malus.* *Syr. capietur.* d *Vir probus.* e *Chal. iuxta bona.*

## SALOM. ISAC.

12 *Munimentum* מצוד metsod .i. venatio. Impij hoc maximè optant, vt ijs vescantur, vitamq; sustentent, quæ scelerati per fraudem, & rapinam venati fuerint.

*Proficiet* יתן yten dabit. Proferet quod consentaneum erit; fructum nimirum opportunum.

13 *Propter peccata labiorum* Propter nefariũ crimẽ eorũ, qui per diluuij ætatem illud impiè iactabant, quis Deus est, vt illi seruiamus sceleſti exitio mactati sunt; iustus verò Noe calamitatem euasit.

14 *De fructu oris* Dum adhuc terræ carceribus detinentur ijs bonis vescuntur, quæ mercedis loco sacræ legi operam nauantibus concessa sint; in futura autem æternitate cornu copiæ semper duraturæ ijsdem reseruatur.

cornu copiæ familiaris vox hebreis.

## A. ABEN EZRA.

12 *Munimentum* מצוד metsod .i. de venatione. Impius eadẽ venatione gaudere optat, qua iusti.

*Proficiet* יתן ijtten dabit. Fructum feret, & ramos, ita vt impij venari nequeant. Vel etiam iustus quisq; radices profunde aget soboles verò inuiltur, quæ ex ijs relinquetur.

Infra c. 18. v. 7. 13 *Propter peccata* Propter impietatem labiorum in laqueos incidet improbus, iuxtà illud, os stulti contritio eius.

*Effugiet* Euadet iustus calamitates probitatis suę ope, iuxtà illud multę tribulationes iusto, & de ijs omnibus liberabit eũ Dominus.

Ps. 34. v. 20. 14 *De fructu* ob fructus suos, quod scilicet iusta loquatur quisq; mercedem à Deo reportabit.

## LEVI GHERSOM.

12 *Desiderium* Illud maximè appetunt impij, vt compotes fiant artis fraudulentæ profligatorum, cuius ope violenter alijs diripiendis viribus sunt firmis, vt etiam ipsi robur sibi comparent ad nefarium opus obeundum; iusti verò haud alia re aliena indigent vt corroborentur, cũ horũ radix illud præbeat, quo in rebus suis gerendis, tum quoad mores, tum quoad cõtemplationem firmentur, vt leui attentione perspicuum fit; radix enim, seu origo .i. quę sub sensum cadunt, & primę rerum notiones, ac etiam mentis molitiones abunde in sapientia, & prudentia veritatem suppeditant, quorum attenta meditatiõ est iustorum ars, & opus.

13 *Propter peccata* בפשע bephesah in rebellione. Improbus vir labiorum suorum veneno rebellis est, nec enim sermones suos profert prout æquum esset, ex quo suismet verbis reus fit. Secus vero est de probo, qui calamitatem euadit, quod verborum suauitate, & apta quadam ratione sermonis excellat, vt declaratum est.

14 *De fructu* Ex sermone suo quis ad facietatem fructus demetit, multoq; magis ob rectè facta præmium reportabit, vt consentaneũ est. Hæc autem à Salomone dicuntur, vt intelligamus vnicuique honestæ actioni præmium constitutum esse, si enim quis sermonis sui fructu non caret, multo magis id erit sperandum de eo, quod quis rectè, vel iniquè gesserit.

## Vers. XV. XVI. XVII.

15 Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est audit consilia.

16 Fatuus ᵃ statim indicat iram suam : qui autem dissimulat ᵇ iniuriam, callidus est.

17 ᶜ Qui quod nouit loquitur index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

## VAR. LECT.

*a Chal. importune. Syr. eadem die. b Syr. callidus autem dissimulat ignominiam suam. c Syr. veritatē eorum quæ videntur iustus eloquitur. Chal. qui attestatur veritatem, narrat iustitiam. d Testis fallax fraudulentus est.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *Statim* ביום baiom in die. Ipsomet die, quo fatuus irascitur, furorem suum prodit, amicum suum palam ignominia notans, probrisq; appetens, nec animi sui impetus coercens.

*Qui autem dissimulat* Prudens verò, ac moderatus contumeliam dissimulat, nec in litem, ce [illegible] præcipitat. Medras autem hęc habet. Quo die procreatus est Adam, eodemmet eius noxa patuit, præpotens autem Deus, cum prudentię sit fons, quæ condiderat

rat abolere noluit, sed probrum dissimulauit, sententiamq; suam ad diem vnum ex suis distulit, hoc est vsq; ad mille annos.

17 *Quod nouit loquitur* יפיח אמונה iaphiac e munah .i. vera loquitur, In iudicio verax vera deponit, vt iustum demonstret insontem.

## A. ABEN EZRA.

15 *Via stulti* stultus cum se rectum iter inire arbitretur, arguenti fidem non adhibet: sed sapiens est qui aliorum consilijs acquiescit.

16 *Fatuus statim* ביום baiom ipso die. Quo die stultus cum cæteris versabitur eius ira, qua in alios exardescit dignoscetur.

*Qui autem dissimulat* כוסה coseh tegens. Qui tegit conuicium quo a stulto appetitus est sapiens est, iuxtà illud ne respondeas stulto.

Alia explicatio, qui cõtumeliã subit haud illa tectus, ac quodãmodo idut⁹, sed nudat⁹ est, licet voci ערום harũ seiurek sit adscriptũ.

ערום harum callidũ tum, nudum significat.

17 *Qui quod nouit loquitur* יפיח אמונה iaphiach emunah, loquitur veritatem: Qui vera loquitur in iudicio iusta indicabit: qui verò falsa profatur est fraudator.

15 *Via stulti recta est in oculis eius* Rectum se tramitem inire stultus existimans haud alios consulit, qua de causa eius negotia pessime se habent. Sapiens autem, licet iure niti posset rerum cognitioni, qua excellit, aliorum tamen consilijs obtemperat.

16 *Fatuus statim indicat* Probrum suum stultus euulgat; quo enim die illius sermones audiuntur ira etiam, & querelæ animaduertundetur ob id quod ad ignominiam, contumeliamq; eiusdem redit, dementia huius mores, & consuetudine corrumpente, eodemq; in ipsum Deum ira efferuescente. Cum autem sapienti aduersum quid contigerit ob consilij orbitatem probrum suum occultat, cæterisq; abditum vult, ne ab illis ludibrio habeatur.

17 *Quod nouit loquitur* Qui sermone suo iusta, veraq; profert, ac rite assueuit cum in testem aduocatur, procul dubio veritatis integer erit assertor, neq; ab æquitatis norma recedet: fraudator autem mentiendo assuetus quando ad testimonium ferendum deposcetur iniquitatis, & mendacij amore inflammatus falsa testabitur.

## Vers. XVIII. XIX. XX.

18 Est ᵃ qui promittit, & quasi gladio pungitur
conscientiæ: lingua autem sapientium ᵇ sanitas est.
19 Labium veritatis, ᶜ firmum erit in perpetuum:
qui autem ᵈ testis est repentinus, concinnat
linguam mendacij.



20 Dolus

20 Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

## VAR. LECT.

a *Chal. sunt qui dicant* quasi *gladios tumultuosos. b Syr. Sanat. c Syr. labia veracia recta sunt. Chal. dirigentur. d Chal. festinus lingua testis falsitatis. Syr. in iqua est lingua testis repentini.*

## SALOM. ISAC.

18 *Est qui promittit* בוטה boteh. Quæ vox eandem vim habet, quam illud לבטא leuatteh .i. cum pronunciarit. Leuit. 5.v.4.

*Et quasi gladio pungitur* כמדקרות חרב chemadKeroth chareu idest quasi ense confodiens. Est ergò qui sermonem ferat tanquam gladio confodiens, is enim mortales inter se miscet, illisq; patrandæ necis ausam præbet.

*Sanitas* lingua autem sapientis alterum alteri reconciliantis medicina est ita loquenti.

19 *Firmum erit* solidæ basi nitetur, atq; ad æternitatem durabit.

*Testis autem repentinus* עד ארגיעה had arghiha ad breuitatem Testis fallax temporis momento breuiq; durabit, nam absumetur, nec vllum progressum faciet, cum, vt aiunt, mendacia pedibus trunca sint.

20 *Dolus in corde* Cum autem cogitationes fraudis plenas assiduè verse it nulla lætitia, voluptateq; perfunduntur, vt è contra pacis consilia ineuntes gaudio perfruuntur.

## A. ABEN EZRA.

18. *Est qui promittit* יש בוטה ies botteh, est pronunciator. Series horum cum postremis superioris versiculi verbis copulanda q. d. est, qui proferat verba, resq; diuulget suo periuro testimonio, quod quidem ità noxium, graueq; est, ac si ense transuerberaret.

*Sapientium* Qui adamusim examinant testimonia, & mendacia, in eum prolata, qui confossus fuerat à teste mentiente. Alia explicatio. Pertinent hæc ad eos, qui grauia, difficiliaq; vouent.

19 *Labium veritatis* hoc est eius qui vera testetur.

*Testis repentinus* ארגיעה arghiah. quietem significat, & cessationem q. d. cessare faciam, & abolebo illam, hoc est linguam fallacem.

20 *Dolus in corde cogitantium mala* Qui animo fraudes machinantur, rixas scilicet disseminantes, desumptum ex illis, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.

*Pacis ineũt consilia* qui pacẽ cõsulunt, vt pax inter socios ineatur.

*Gaudium* innuitur salutis gaudium.

## LEVI GHERSOM.

18 *Est qui promittit* בוטה יש ies boteh, est qui loquatur. Est qui sermonem habeat, tantumq; verbis suis detrimenti mortalibus inferat, qu antum qui gladio quempiam trãsuerberet, ob procacis linguæ verba, vel nomen contumeliosum.

*Lingua sapientium* Sapientis lingua tantum abest vt perniciem inferat, vt medicamentum sit, quo arceantur grauissimi morbi, hoc est linguæ dissidia, vel fæditas morum, & opinionum.

19 *Firmum erit* יכון iiccon consentiens aptumq; erit. Quod verũ est semper aptum consentiensq; erit, nec vllo tempore mutatur. Verum lingua mendacis licet aliquando casu quodam veritatem proferat, non durabit tamen nisi ad momentum temporis, quod ita breue est interuallum, vt illo breuius nihil excogitari possit iuxta acceptionem vocis ארגיעה arghihah: velut si ex gratia dicamus medicum ædificare propterea quod Ruben medicum ędificare cõtingat, nam solum mederi medicum vere semper affirmabimus.

20 *Dolus in corde cogitantium mala* Est calliditas, qua quis versutus fiat, vt alijs astute perniciem inferre possit, sed enim fraus quam is molitur in pacis consilia ineuntes, hoc est probos, quorum studia & consilia ad pacem, recteq; ad agendum spectant in eorundem gaudium, & voluptatem redundabit; nec enim detrimentum vllum accipient ex nefarijs machinationibus impiorũ, in quorum caput huiusmodi scelus recidet, Deo iustos in eorum potestatem venire prohibente, qua de causa iustis gaudium continget, gaudium inquam ad ęternitatem duraturum, ex quo fiet vt profligati exitium subeant. Ea etiam erit horum sententia, mentem nefaria machinantium assidue cum fraude, doloq; detineri ad malum inferendum in animo autem consulentium pacem semper gaudium residere: quamobrem in scelesti animo fraus, in iusti autem mente lætitia stationem semper habet. Malum ergo improbo, gaudium autem iusto semper coniunctum esse poetica elegantia demonstratur, quod verum esse patet ex ijs; quæ antea declarauimus.

### Vers. XXI. XXII. XXIII.

21 Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.

22 Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.

23 Homo versutus [b] celat scientiam: & cor insipientium [c] prouocat stultitiam.

## VAR. LECT.

*a Syr. non est bonum iusto aliquid iniustum. Chal. non decet iustum aliquid iniquum. b Syr. Sedes est scientiæ. c Chal. repetit. Syr. inuocat malum.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *Non contristabit* לא יאנה lò ieunch .i. non occurret *malum* און auen .i. scelus. Non obstringetur iustus noxa, nisi sit conscius.

*Meas interpretis est, nō patietur iusto malum.*

23 *Celat scientiam* Prudens licet sapientia præditus sit, animo demisso est, multoque magis vecordem sermonem occultat.

*Prouocat* יקרא ijKrà prædicat. Sublimi voce demens stultitiam suam prædicat.

## A. ABEN EZRA.

21 *Non contristabit* לא יאנה lo ieuneh, quod eandem vim habet, quam illud אנה לידו innah leiado .i. occurrere fecit in manus eius, quod causam, occasionemq; significat.

*Impij autem* Licet ij cogitationibus nefarijs scateant, non poterunt tamen scelus aliquod, seu damnum iusto procreare, atq; imponere. Alia explicatio. Impij replebuntur malo, vbi calamitates innuuntur, quibus sæpissimè obnoxij erunt.

22 *Labia mendacia* .i. testis iniquus.

*Qui autem fideliter agunt.* Hi sunt iudices, quos Deus charitate amplectitur, cum fidem fallacibus testibus adhibere noluerint. Vel etiam hi fideliter agunt, qui iniqua testari nolunt.

23 *Celat scientiam* abdit scientiam in corde, ne illam obliuioni tradat. Cor autem stulti prodit, prædicatq; stultitiam suam, iuxtà illud, dicet omnibus quod stultus est.

## LEVI GHERSOM.

21 *Non contristabit* לא יאנה lo ieiuneh non accidet. Non continget iusto res vlla perniciosa, Deo illum subducente à calamitate, quam illi inferre scelerati cogitabant, ne scilicet ratione aliqua lædatur. Eosdem etiam illæsos seruabit Deus à morum prauitate, &

opinionum, ob peculiarem prouidentiam.

*Replebuntur malo* Profligati malis omnibus patebunt, ac omnibus rationibus ærumnis replebuntur, Deo peculiari cura non agente, vt improbi à malis subducantur.

Cum Deus solē suum oriri faciat super bonos, & malos caute intellige.

22 *Labia mendacia* Hæc Deo summoperè sunt inuisa, cum per ea ad grauissima, ac penè incredibilia mala adducamur, vt supra memoratum est in illis. Vir Belial &c. & sex odit Deus &c.

*Qui autem* Placent Deo quàm maximè qui veraces se præbent in suis actionibus: neq; verò hoc loco dictum est labia veritatis, cum haud satis sit, vt verba veritati congruant, nisi etiam actiones eidem conformentur.

23 *Versutus* Prudens scientiam, cuius compos factus fuit in contēplatione occulta donec ei cōstet eam verā & ab errore alienam esse, ne indè ignominiam reportet. E contrà verò stultus statim alijs suæ dementiæ argumentum prędicat, nec probrum animaduertit, quo indè notatur.

## Vers. XXIIII. XXV.

24 Manus fortium dominabitur: quæ autem [a] remissa est, tributis seruiet.

25 Mæror in corde viri humiliabit illum: & sermone bono lætificabitur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. fraudulenta. b Syr. formidolosi sermo cor viri perturbat. Chal. verbum timoris in corde viri terrorem gignet.*

## SALOMON ISACIDES.

24 *Fortium* hoc est iustorum *dominabitur* i. diuitem reddet.

25 *Humiliabit illum* ישחנה iaschennah, idem ac [illegible] iaschennah, i. eum e menets statione dijciet.

*& sermone bono*. Si in lege sacra operam collocet, ab ea mæror ille, qui in corde radices egit, impedicitus fiet, nam prorsus depelletur: verū iuxtà illos, qui ישחנה iaschennah alloquendi vim habere interpretantur, ea erit sententia: bona verba, quibus quis mærentem solatur amicum, animum exhilarabunt.

## A. ABEN EZRA.

24 *Manus* Vox hæc bis vsui est *fortium* חרוצים charutsim, quod desumitur ex illis אז תחרוץ az techarets, tunc te mouebis, discursationem, motumq; significat. q. d. eorum manus dominabitur, qui sedulo se commouent, ad ea quæ sunt necessaria vitæ comparanda. San. 2. cap. 5. v. 24.

*remissa* רמיה remiah, fraudatrix. Manus igitur a'ijs fraudem faciēs tributum solertibus persoluet. Vel etiam vox חרוצים charutsim eos significat, qui auro affluant, quod appellatur חרוץ charuts.

## LEVI GHERSOM.

24 *Fortium* חרוצים charutsim .i. solertium. Manus solertium dominabitur; ij enim accurata diligentia facultates sibi comparant quibus ad imperium in alios exercendum robur quærunt.

*quæ autem* Diuersa prorsus ratione a solertibus se habet remissa manus, hoc est desides viri; illi enim torpentes desidia nulli arti vacant, pro certo sibi statuentes ex desidia alimenta se habituros. Vocem etiam חרוצים charutsim iustos significare dicemus, quorum actiones vniuersæ, ex iustitiæ, æquitatisq; norma desumptæ sint, ex quo fraudem facientibus aduersantur.

25 *Meror in corde* Quod si alicuius animum mærore affici cōtingat studium singulare adhibendum est, quo huius vis, impetusq; retundatur, & aboleatur; cum nihil inde emolumenti, detrimentumque grauissimum accipiatur, maximeq; sapiente indignum sit mærori succumbere; stultum enim est ob id, quod præterierit excruciari; nec ob illa quæ futura sunt grauius nos angi decet, in Deo enim mortalis spem suam collocet opus est. Neq; verò doloris sedandi ratio deest, si enim quis bona verba mente admittat mæror voluptate delinitur .i. qui mærore se prosterni patitur, ad sensum illorum faciem eius precedet egestas. Illa etiam horum mens erit. Si quando res mæsta animum occuparit, is gaudio refrigerandus est; ex gaudio enim efficitur, vt contineatur virtus cordis, ne calorem omnem profundat. Monemur autem hisce verbis mortalem seu ira, seu gaudio immoderatè haud affici oportere.

## Vers. XXVI. XXVII. XXVIII.

26 * Qui negligit damnum propter amicum, iustus
est, iter autem impiorum decipiet eos.
27 Non inueniet fraudulentus lucrum: & substan-
tia hominis erit ⁎ auri pretium.
28 In semita iustitiæ vita: iter autem ⁎ deuium du-
cit ad mortem.

## VAR. LECT.

*a Syr. iustus dat bonum consilium amico suo. Chal. melior est iustus socio suo. b Syr. Chal. non obuia fiet venatio viro doloso. c Chal. aurum preciosum. Syr. Substantia preciosa homo electus. d Chal. patrum nostrorum forte error in Bib. reg. iracundorum.*

## SALOM. ISAC.

26 *Qui negligit* יתר iather condonans. Probus amici prauis moribus parcit erroresq; condonat.

*Iter impiorum*, i. praua doctrina, qua ad nefarie agendum sunt imbuti perditi in errorem trahentur.

27 *Non inueniet fraudulentus lucrum* לא יחרך רמיה צידו lo iacharoch remiah tsedò .i. non assabit fraudator venationem, quod perinde est, ac si diceretur; iter impiorum hos in deuia, erroresq; deducet, ità vt torrere nequeant venationem, quam sua fraude adepti erant: non assare autem idem significat, ac haud illis fraus fæliciter succedit; quemadmodum torrere ad ignem cum de venatione sermo est in aucupio volucrum, qui ad ignem versentur, rem prosperè successisse demonstrat.

*Et substantia* והון אדם יקר חרוץ vehon adam iakar charuts. In hoc versiculo desideratur vox aliqua ad hanc rationem; Substantia viri, supple qui est sollicitus, est honorifica .i. diuitię probi viri sunt gloriosę, nam חרוץ charuts eum significat, qui veracem se ęquumq; præstet, iuxtà illud, manus autem fortium ditat.

28 *Iter autem deuium* דרך נתיבה אל מות derech nethiua al maueth hoc est iter, semitæ supple iustitiæ non est mors, quod nimirum semita hæc morti non sit obnoxia.

## A. ABEN EZRA.

26 *Qui negligit* יתר iather, Est nomen exuberantiam, copiamuè significans. q. d. maior est rerum copia iusto, quam fit eius socio.

*Iter impiorum* nefariorum obliqua via eosdem in errorem agit; errant enim cum a recto tramite deuiarint.

27 *Non inueniet* לא יחרך lo iacharoch Non assabit dolosus, neque elixabit venationem suam, illi enim surripietur.

*Et substantia hominis* Cum alijs etiam hæc construenda, atq; ita exponenda. Substantia autem hominis, quæ honesta ratione, non furto quæsita est, illa inquam est substantia hominis solertis negotiationi incumbentis, vt victum sibi paret, nec fraudem facientis.

28 In

28 *In semita* בדרך bederech Propter semitam iustitiæ assequetur iustus vitam, quæ animo attribuitur: vel etiam vitam ad diuturnum tempus protrahet.

*Iter autem deuium* דרך נתיבה אל מות derech natiuah al maueth .i. via semitæ, supple iustitiæ, non est mors, neq; enim anima cum corpore interibit: Aut etiam mortem impijs similem non obibit.

## LEVI GHERSOM.

26 *Qui negligit* יתר מרעהו iateher merehehu .i. proficit ex amico. Iustus arripit ab amico præstantiam, cum ab eo præstantissima addiscat, quibus virtutibus absolui queat. Secus autem contingit scelestis, qui a socijs non nisi vitia sibi desumunt, vt Ex. gra. si quis aliquem improbitate laborare animaduertat, & feliciter ob impietatem proficere, ex hoc ansam arripiet deflectendi à via, quam inire destinarat, cum forte iter ingressus esset, quo ad optatum finem perduceretur. Verum permittuntur hæc a Deo ob illorum consilia dementiæ plena, tum quod per vias incertas, & inaccessas deuiarint.

27 *Non inueniet* Fraudator haud manu sua venationem torrebit .i. haud ea vescetur, nec eam sibi ad vescendum parabit, quod illi ab altero surrepta sit.

*Substantia hominis* Honorifici viri, & gloriosi, iusti nimirum diuitiæ erunt aurum, quod omnium facultatum est præstantissimum.

28 *In semita* ineunda semita rectam vitam nullis finibus circumscriptam adipiscemur.

*Iter autem* Haud huius itineris semita ad mortem adducit; vita enim quam hac terenda quis adeptus sit haud vnquam mortis vim experietur.

# CAPVT DECIMVMTERTIVM.

### Vers. I.II.III.

1 Filius sapiens ᵃ, doctrina patris: qui autem ᵇ illusor est, non audit cum arguitur.

2 De fructu oris sui, homo satiabitur bonis: anima autem præuaricatorum ᵈ iniqua.

3 Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem ᵉ inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

VAR.

# VAR. LECT.

*a Syr. patri suo auscultat. Chal. suscipit doctrinam patris. b Syr. improbus, qui non recipit obiurgationem peribit. c Syr. vir probus. d Syr. disperdentur. Chal. perditione. e Chal. qui aperit labia sua, multus terror imminet ei. Syr. efficit confractionem sibi.*

# SALOMON ISACIDES.

1 *Filius sapiens doctrina patris* Desideratur vox aliqua, filius nimirum sapiens, supple amat, rogatq; patris castigationem. Alij etiam inquiunt propter parentis institutionem sapiens euadit filius.

*Qui autem illusor* non audit is cum arguitur, quod castigationem non admittat.

2 *De fructu* Vescetur aliquis bonis ob præmium, quod reportabit vitam adhuc mortalem trahens, propterea quod in sacra lege se se exerceat, cui præterea venturo sæculo rerum omnium affluentia reseruatur.

*Anima autem* Vota autem improborum nihil aliud sunt quam iniquitas, iuxta illud si placet animæ vestræ: i. si vultis, & cupitis: item ne tradas me in animam tribulantium me, i. ne me illorum voluntati permittas.

Gen. 23. v. 8. ps. 27. v. 12.

3 *Inconsideratus ad loquendum* פשק שפתיו posek sephathau Qui aperit os suum, vt assidue effutiat quæcumq; in mentem veniunt, nā פשק posek est eiusdem significationis cuiusmodi illa, pedes tuos dilatabis.

Ezech. 16. v. 25.

# A. ABEN EZRA.

1 *Doctrina patris* Hunc pater erudit, quem institutionem admissurum agnoscit, quod sapientia præditus sit.

*Qui illusor* Hic parentis increpationem non audiet, qui ideò illum erudire negat, vel quod subsannandi vitio laboret, vel quod castigationem non admissurum animaduertat, libenter, nec ijs, quibus obiurgatus, eruditusq; sit obtemperaturum.

2 *Satiabitur* יאכל iocal, comedet, quæ vox duplici loco adhibenda hac ratione. Ex fructu oris sui quisq; bonum comedet; boni enim merces illi rependetur: anima autem perditorum a manu scelesti iniquitatem comedet: aut eodem scelere quo se obstringit petetur.

3 *Qui custodit os* Qui illud cohibet ne praua loquatur se calamitati subducet.

*Inconsideratus* פשק posek sephatau Qui aperit labia sua desumitur-

que

que ex illis dilatasti pedes tuos, atq; ita intelligendum. Qui labia diducit ad rem, quæ minus honesta sit pernicie mulctabitur. Ezech16.25.

# LEVI GHERSOM.

1 *Filius sapiens* Paterna institutio, qua filium suum à teneris instruit origo est, vt filius sapiens sit, illa enim in primis ad sapientiam comparandam conducit.

*Qui autem i lusor* Ideò autem quis illusor est, nec se ad sapiētiæ studium, virtutumq; coronidem obtinendam conuertit, quod parenti arguenti non auscultet, vt accidit Adoniæ filio Haghiton, de quo habetur, ne verbo quidem increpans perculit, nec corripuit eum pater suus aliquando dicens quare hoc fecisti?

2 *De fructu* Qui sapienter loquetur sermone suo quodammodo pascetur; cum enim aliquid sermone suo profabitur contemplatio absolutior erit; multo verò magis fructus percipiet mentis suæ, a qua velut fonte sermo dimanat. Fructus verò animi rebellium est iniquitas, cum quęcunq; animo versant, & conantur ad nefaria gerēda spectent. Non est autem facta oris mentio in hisce, quod machinationes suas occultent; in quo quidem mirum in modum sapientes ac contumaces inter se differunt.

3 *Qui custodit* Qui os suum custodit, coercetq; a loquacitate, se ipsum à quàm plurimis ærumnis seruat, cum verborum licentia sæpissimè maximas pariat calamitates, quas non nisi silentij ope mortalis scit euadere.

*Inconsideratus*, Qui verò os aperit, vt quę silere oporteret profundat, sibi ipsi sępe numero exitium accersit.

## Verſ. IV. V.

4 Vult, & non vult piger: animaautem [b] operantium impinguabitur.

5 Verbum mendax iustus detestabitur. impius autem confundit, & confundetur.

## VAR. LECT.

a *Syr. in omni tēpore in desiderijs iacet qui opera non facit Chal. desiderat anima pigri aliquid, & non obueniet ei.* b *Syr. Chal. validorum.* c *Syr. confundetur, & erubescet.*

# SALOMON ISACIDES.

Vulgata lectio optima nam non est animus nolle significat. 4 *Et non vult* ואין נפשו veain naphso .i. & non est anima eius. Desidis animus bona omnia appetit, nec illis potiri potest.
*Anima operantium* Probi affluent rerum copia, qua alantur: atq; hęc ad litteræ sonum intelligenda. Allegoricè autem ita exponito. Gloriam sapientię operā dantis iners videbit, eamq; sibi deposcet, sed obtinere nequibit.

5 *Verbum mendax* Iustus detestatur quod mendacium adiunctū habet, sed sceleratus illud amplectitur, atq; ita pudore, ignominiaq; cęteros suffundit.

# A. ABEN EZRA.

4 *Vult* Desiderat piger cibum. *non vult* ואין נפשו veain naphsò non est animus eius. i. nec desidi rei alicuius copia suppetit.
*Anima operantium*, anima diligentium, qui res sedulò gerunt pinguedine saturabuntur.

5 *Verbum mendax* .i. periuri testis sermonem detestatur iustus.
Gen.c. 34. v. *Confundit* יביש iabis .i. impius detestatur iustum tanquam rem ignominiosam, iuxtà illud להבאישני lehabiśiani ignominiosum me reddidisti. q.d. iustum ignominia suffundit, nec in precio habet.

# LEVI GHERSOM.

4 *Vult* Inertis animus diuitias, variaq; sapientię genera appetit, sed horum compos fieri nequit, desidia qua laborat hęc ab eodem arcente.
*Anima operantium* Verum diligens rem agentium cura potissima causa est, vt diuitię, absolutioq; virtutum obtineatur.

5 *Verbum mendax* Virtutis amator mendacem sermonem detestatur; illius enim amor longè virtutum cumulum arcet, vt diximus; iniquus autem ita illo vehementer delectatur, vt licet indè ignominia sępe notetur, & sępe probra grauissima subeat, mendacium tamen auersari nolit.

## Vers. VI. VII. VIII.

6 Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

7 Est quasi diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.

8 , Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ : qui autem
pauper eſt, increpationem non *f* ſuſtinet.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. eum qui innocens eſt in via. Chal. qui ſimplices ſunt in via. b Chal. impius autem inſtabilis erit propter peccata ſua. Syr. peccator autem a ſuis criminibus perditur. c Chal. eſt qui ſeipſum diuitem facit, & nihil habet. Syr. ſunt qui ſeipſos ditant, & nihil habent. d Syr. ſunt qui ſe pauperes faciunt, & multum poſſident. Chal. eſt qui facit pauperem animam ſuam. e Syr. ſalus animæ viri, diuitiæ eius. f Chal. non recipit.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *Peccatorem* חטאת chattath peccâtum, idem ac peccatorem; cū enim impietate is planè inſtructus, & abſolutus ſit, peccati appellationem iurè obtinet. Quarè iuxtà ſonum verborum hic erit ſenſus; peccatorem iniquitas ſupplantat .i. cum ſuſq; deq; vertit, & deturbat, סלף ſiluph autem tranſuerſum agi, atq; impingere ſignificat, nō diſſimili ratione dicendi ab illis, ſtultitia hominis ſupplantat greſſus eius .i. calamitates in eum adducit.

peccator peccati appellationem habet

hic.c.19.v.3.

7 *Eſt quaſi diues* מתעשר mithaſer. Eſt qui ſe diuitem oſtentet, cum rebus omnibus ſit deſtitutus. Aliter etiam expones. Eſt qui diuitijs maximis affluat, qui in negotij exordio nulla prorſus rei ſumma prę ditus eſſet : & alius qui á maximis diuitijs in ſummam egeſtatem decidat. Aliter etiam expónito. Eſt qui diteſcat furto, à pauperibus bona ſubducens, qui tandem rebus omnibus expoliatus erit.

*Eſt quaſi pauper* quod bona ſua profusè in indigentes erogarit, verùm huic ampliſſimæ facultates reſeruantur.

8 *Redemptio animæ* diuitijs ſuis vir animum ſuum redimit, quod illas in pauperes eroget.

*Qui autem pauper eſt* Illud etiam accedit, cum pauperi eas liberaliter impendit nulla increpatione in illum vti, neq; eundem pudore ſuffundere. Placet etiam alia exponendi ratio.

*Redemptio animæ viri ſunt diuitiæ* .i. ſacra lex.

*qui autem pauper eſt* quo ad res legis

*increpationem non ſuſtinet* .i. cauere ſibi neſcit, cum reprehenſus, inſtitutuſuè non ſit. Medras Aghada hæc habet. Pertinent hæc ad dimidiū ſiclum, quod in ſacra lege præceptum erat, quod quidem

pauperi, ac diuiti pari erat debito soluendum; ne scilicet inops cō uitium, obiurgationemq; audiret a diuite maiorem se partem in communi omnium sacrificio habere iactante.

## A. ABEN EZRA.

6 *innocentis viam* Virum innocentiæ viam prementem *peccatorem* חטאת chattath peccatum .i. peccato obstrictum supplantat, eumq; in obliquum trahit.

7 *Est quasi*. 8. *Redemptio* Iunguntur hæc duo. Est qui ad diuitias prouehatur cum nihil antea haberet: & est qui ad inopiā relabatur cum ante diuitijs instructus esset, neq; alter alteri conditione superior est, si enim diues propter suam opulentiam in vincula conijciatur, vt se redimat diuitias effundet, Verum inops vocem exactoris, prā fectiq; non audiet.

## LEVI GHERS.

6 *Iustitia custodit* Cōsuetudo igitur, qua quis iuste se gerendo assueuit probo conseruabit viæ rectitudinem, quam in singulis rebus exposcit; ille enim integritatis semitam terit propter iustitiæ morem, cuius est tenacissimus. Secus verò se habet, qui impietati assueuit; ab illa enim supplantatur, tranuersusq; agitur ab ijs ad quæ tendebat, ita vt animo destinata præstare nequeat; quod quidem optimo iure illi contingit ob impietatem, cum præterea perditorum machinationes semper Deus irritas reddat, probis ab illorum potestate subducendis, vt in libro Iob. explicauimus.

7 *Est quasi pauper* Mortalium alij se diuites ostentant, cum tamen rerum omnium inopia laborent; alij etiam se inopes præseferunt, qui ingentibus diuitijs domum refertam habeant. Idem prorsus cōtingit in sapientiæ negotio, quibusdam sapientiam suam venditantibus, cuius omnino sint expertes; quibusdam verò ea se carere prædicantibus, qua in primis sint exculti. Quare declarat hic sapiens præstantissimam esse conditionem eius, qui se inopem affirmet, cū diuitijs polleat; ita enim à quamplurimis ærumnis in diuitem impetum facientibus se subducit; quod idem est ac indigentem nullius increpationem sustinere.

8 *Redemptio animæ* Cum multi sint diuitis hostes, quod auide eius facultates appetant hic se ipsum redimit munificè in illos se gerendo, quos ita sibi pacatos, beneuolosq; reddit. Quæ cum ità sint, qui diuitias iactat, quibus caret, sibi graue discrimen, & increpationem procreat, cum auri, argentiq; quibus se redimat copiam non habeat; Insignis pariter ignominia redundabit in uanum iactatorē diuitiarum sapientiæ, quibus prorsus expoliatus sit; vt è contrà nō nisi gloriam reportabit, qui se indigentem simulabit, cum tamen insignem sapientiæ cumulum obtineat.

Vers.

## Verſ. IX. X.

9 Lux iuſtorum [a] lætificat : lucerna autem impiorum extinguetur.

10 [b] Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſilio, [c] reguntur ſapientia.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. exultabit. b Chal. attamen in ſuperbia venit contentio. Syr. Vir improbus cum contumelia malum operatur. c Chal. ſapientes ſunt.*

## SALOM. ISAC.

9 *Extinguetur* ידעך ijd hach. Vox hæc ſubſiliendi vim habet, quod flamma efferatur quando abſumitur.

10 *Inter ſuperbos* רק בזדון raK bezadon .i. ſolum ob faſtum rixa, ac diſſenſio ſeritur.

*Qui autem agunt* את נועצים eth hanohatſim .i. cum ijs, qui res conſulto agunt ſapientia eſt: hæc enim cum illis diuerſatur.

## A. ABEN EZRA.

9 *Lux iuſtorum* Metaphorica ſunt hæc, cum .n. in lucē prodit exultat, ad normam illius, exultabit vt gigas: lux autē iuſtorum lumini venturi ſæculi ſimilis eſt, aut ſalutis ſplēdori, iuxtà illud habitātibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Alia etiam explicatio eſt adhibenda, lucis enim, & lucernę vocibus animum innui veriſimile eſt. Comparatur autem anima iuſti, luci ſolis exorientis; impij verò lucernæ, quę lucis firmitate caret, ac abſumitur. Pſ. 1.9 v.a. Iſaiæ. 9.v.2.

*Lætificat* ישמח ſumitur actiuè, idem ac exultat iuxtà illud exulta anima mea.

*Lucerna impiorum extinguetur* quoniam immatura ętate obibunt, cui conſentiunt illa lucerna Dei ſpiraculum hominis. hic 20.v.2.

10 *Inter ſuperbos* רק בזדון raK bezadon tantum propter ſuperbiam Solum propter elationem, qua in ſocium tumidè ſe gerit ſuperbus lites, iurgiaq; ſerit. q.d. à faſtu lites oriri.

*Qui autem agunt* Qui conſilium ineunt, nè ſuperbè ſe gerant cum iis ſapientia eſt, vbi את eth idem eſt ac עם him .i. cum

## Castigatio.

Errat turpissime animos hominis Dei partes esse existimans.

## LEVI GHERSOM.

9 *Lux iustorum*, Lux iustos lętitia semper perfundet, cum ea obtinebunt, in quibus singularem laborem impendunt, queq; ingenii sui uiribus assequuntur: absolutio autem huius lętitię erit postquā animus corporis ergastulis soluetur.

*Lucerna impiorum* Nefariorum consilium, quo versutiam, calidasq; artes adipiscuntur, quibus perditè agere queant, lucerna inquam illa extinguetur, & absumetur.

10 *Inter superbos* Qui cum superbis consuetudinem init prauum hunc morem ex illis arripiet, vt iurgia, dissidiaq; inter mortales disseminet. Qui verò versatur cum prudentibus cuncta maturè, cō sultoq; gerentibus, ex illis non nisi sapientiam hauriet. Is etiam erit sensus: Qui cęteros ad iurgia inflammat inter superbos tantum reperitur, cū fędus hic mos sit ex eorum genere, quę ad superbiam informant: sapientia verò excultus, inter eos versatur, qui matura consultatione sua agunt; sapientię enim solemne est, vt in negotiis aliorum consilio vtatur, quo consulta ritè succedant.

## Vers. XI. XII.

11 ª Substantia festinata minuetur: quæ autem ᵇ
paulatim colligitur manu, multiplicabitur.
12 ᶜ Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitę
desiderium ᵈ veniens.

## VAR. LECT.

a *Chal. Opulentia iniquitate possessoris acquisita minuetur. Syr. ex iniquitate.* b *Syr. quæ autem iuste congeritur. Chal. & qui congregat, & dat pauperi.* c *Syr. melior est qui iuuare incipit, quam qui spem suspendit. Chal. melior est qui proijcit sarculum. Sed arbitror esse errorem interpretis in Bib. Reg. nam pro* מכריב *est* מתחיל *.i. incipiens.*

*Chal.*

d Chal. adducit. Sed forte est error interpretis in Bib. Reg., nam est veniens.

## SALOM. ISAC.

11 *Substantia festinata* Qui studia sua congestim, & desultoriè agit *minuetur* hoc est ea paulatim obliuioni traditis.

12 *Spes, quæ differtur,* Qui in socio suo spem collocat, qui ne quidem minima præstet.

*Affligit animam* מחלה machalah Animo suo ægritudinem infert, nec enim vox machalah est nomē substantiuum vt in illis auferam infirmitatem de medio tui, sed est ad normam illorum ... nahalath garah .i. participij vim habet. Exod. 23. v. 25.

13 *Lignum vitæ* Desideratur aliquid in his verbis q. d. desiderium cuius compos factus sis, æstimatur quàm lignum vitale. Expectatio qua Deus Israelitas præstolatus est, vt resipiscerent, quod tamen illi contumaces præstare noluerunt, hæc deniq; in plagam cordis eorum conuersa est. Quando autem eorum vota ex sententia successerunt, quod Dei voluntati obsequeretur, id illis fuit tanquam arbor vitalis.

## A. ABEN EZRA.

11 *Substantia festinata* Quæ rapina furtoq; sublata sunt, haud diutius durabunt.

*Quæ autem colligitur manu* Labore, operaq; manuum partæ facultates amplæ, splendidæq; erunt, nec dissimile est illud, benedicat te Dominus in pedibus .i. propter laborem pedum.

12 *Affligit animam* מחלה machalah morbum parit. Cuius spes protrahitur, Deo illam procrastinante, itaut voti compos fieri nequeat, huius animus ægritudine afficietur.

*Lignum vitæ* Velut salubre lignum erit votum desiderantis, cum illud adeptus fuerit, hic autem non alius est quā qui colligit manu.

## LEVI GHERSOMITES.

11 *Substantia festinata* הון מהבל hon meheuel substantia ex vanitate. Facultates quæ ex rebus vanis congeruntur valdè minuentur.

*Colligitur* q. d. annonam quam in horreo recondideris, ex minutissimis granis constare, ex quibus deinde maximi aceruli fiunt, qua de causa qui simul congerit singulas, variasq; partes laborum operumq; suorum, magnas diuitias acquirit. Vtilis ergo inprimis est hæc admonitio ei, qui ingentes diuitiarum cumulos

coacer-

coaceruare studet, ne partem aliquam licet tenuissimam facultatis contemnat, sed huius tenax hanc cæteris similibus partibus addat; inde enim paucis pauca addendo multum fiet incrementum.

12 *Spes quæ differtur* Diuturno tempore protracta spes, cū quod speratur non obtinetur, animo affert ægritudinem optatæ rei spe semper laboranti.

*Lignum vitæ* Cum quis facile speratæ rei compos fit, voluptate perfunditur singulari, ac si id arbor vitalis esset.

## Vers. XIII. XIV.

13 Qui a detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, b in pace versabitur. Animæ dolosæ errant in peccatis: iusti autem misericordes sunt, & miserantur. } *Desiderantur in hebræo.*

14 Lex sapientis, fons vitæ, c vt declinet a ruina mortis.

## VAR. LECT.

*a Chal. qui contemnet verbum, detrimentum patietur ab eo Syr. destruetur ab eo b Chal. bonis compensabitur. Syr. liberabitur.* Mox addit *Viro fraudulento non erit bonum, & viri sapientis cuius opera recta sunt, etiam via eius ponetur in capite. c Chal. a laqueo Syr. ijs qui declinant a laqueo mortis.*

## SALOM. ISAC.

13 *Qui detrahit alicui rei* בז לדבר baz ledabar qui verbum contemnit. Qui ne minimum quidem sacræ legis verbum contemnit, hunc exitum habebit, vt idcirco miserrimus fiat.

*In pace versabitur* ישלם iesulam, mercede afficietur. In Medras autem psalmorum, illa qui detrahit &c. ad Dauidem spectare declarantur, qui ita Deum sit alloquutus: Orbis vniuersi rector, quis fructus constat ex amentibus, quos condidisti? Responditq; Deus, ita viuas, vt te etiam dementis personam tandē gerere oportebit, quod quidem contigit cum oblatus regi Achis se stultum simulauit,

uit, defluebantque saliuæ in barbam eius. 1 Reg.c.21.v.13.

14 *Fons vitæ* lex enim mortis pedicas cauere docet.

## A. ABEN EZRA.

13 *Qui detrabit* בז לדבר baz ledauar, Qui contemnit verbum .i. correptionem, & institutionem, eius consilia infelicem successum habebunt, & ruent.

*Qui timet præceptum* Qui Deum veretur, eiusdem etiam præcepta reueretur.

*In pace versabitur* Sedebit in pace, & tranquillitate fruetur.

14 *Lex sapientis fons vitæ* quoniam mortis laqueos euitare docet; impij verò illaqueantur.

## LEVI GHERSOM.

13 *Qui detrabit* בז baz qui contemnit. Qui malum sibi proximè impendens contemnit, neq; consilium de illo arcendo inire studet idcircò exitium subibit, extremaq; patietur. Quamobrem summoperè dedecet, aliquem rem vllam negligere, atq; ideò improuida consultatione ineunda negligenter agere.

*Qui autem* Qui diuina præcepta reuerentia prosequitur, eadem tum animo consignans conseruanda, tum re ipsa præstanda, solus pace, tranquillitateq; fruetur; impendentia etiam sibi damna contemnens, quod in Deum spem suam reiecerit.

14 *Lex sapientis* Hæc sapienti vitæ fons est, quod ex illa vitæ immortalitas dimanet, mortisq; ruina vitetur; præterquam quod Deo sapiens ob illam peculiari curæ est.

## Vers. XV. XVI.

15 ᵃ Doctrina bona dabit gratiam: ᵇ in itinere con
temptorum vorago.
16 ᶜ Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, ᵈ aperit stultitiam.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. intellectus bonus.* b *Chal. Via fortis direptorum peribit. Syr. iter impiorum ad perditionem.* c *Chal. omnis astuti opus ex scientia. Syr. cum scientia omnia callidus*

*dus agit.* d *Chal. sibi expandit stultitiam suam. Syr. vaniloque sermocinatur.*

## SALOMON ISACIDES.

15 *Vorago* איתן ethan difficultas. Grauis est hæc contemptorum via, tum illis ipsis, tum cæteris.

3.Reg.c.1.v.2 16 *Astutus* Prudens res suas maturo consilio agit, quemadmodum cum Dauide factitatum est: quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem.

*Qui autem* Pertinent hæc ad Assuerum iuxtà illud, & mittantur qui considerent per vniuersas prouincias puellas pulchras &c. constabat enim haud illum vniuersas accepturum, quamobrem qui vnicam tantum puellam haberet illam abscondebat.

## A. ABEN EZRA.

15 *Doctrina bona* שכל טוב sechel tou, intellectus bonus. i. qui recte agendo sapienter se gesserit, gratiam inibit a Deo, & a cæteris à quibus conspectus fuerit.

*vorago* איתן ethan, fortis, dura. Ita obstinati erunt contemptores, vt quamuis sapiens omnes artes sapientię adhibeat, eos a criminosa via reuocare nequeat.

16 *Astutus*, Qui ob prudentiam, quam animo largè fouet opus suum ad scientię pręscriptum pręstat.

*Qui autem fatuus est*, Hic dementiam suam ante omnium ora patefacit. Alia explicatio astutus omnia facit cum scientia. i. propter scientiam q. d. sapiens prudenter agit, vt scientia imbuatur.

## LEVI GHERSOM.

15 *Doctrina bona* שכל טוב sechel tou, bonus intellectus. Bonum ingenium, quo sapiens excellit, gratiam illi conciliabit apud cęteros mortales, vt consuetudinis huius suauitate allecti eiusdem semitam ingrediantur.

*Vorago* איתן ethan .i. grauis, quod graue asperumq; sit huiusmodi iter terere, ac si sentibus, sapidibusq; obsitum esset, atq; ideo dicitur robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum.

16 *Astutus*, Qui prudentia excellit omnia sua scienter agit, vt ideò obtineat quę expetit: stultus autem in omnibus suis negotijs dementiam suam prodit, cum nullam agendi rationē aggrediatur pro vt consentaneum esset; qua de causa, quæ appetit longe arcentur.

Vers.

## Verſ. XVII. XVIII. XIX.

17 Nuncius impij cadet in malum: legatus autem
fidelis ᵃ ſanitas.
18 ᵇ Egeſtas, & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam: ᶜ qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur.
19 Deſiderium ᵈ ſi contempleatur delectat animam: ᵉ deteſtantur ſtulti eos, qui fugiũt mala.

## VAR. LECT.

*a Chal. medicina. b Chal. pauper, & qui ignominioſus eſt deſerit diſciplinam. Syr. paupertas, & tribulatio diſciplinam irritam reddunt c Chal. qui cautus eſt in reprehenſione. Syr. qui cuſtodit correptionem. d Syr. deſiderium honeſtum e Chal. abominatio ſtultorum recedere a malo. Syr. inquinatio iniquorum diuulſa a ſcientia.*

## SALOM. ISAC.

17 *Nuncius impij cadet in malum* velut Balaham, qui dixit vade cum viris iſtis, qui quidem impiè ſe geſſit, nefaria conſulens Balacho, atq; ideò enſe vitam finiuit.

*Legatus autem fidelis* Hic fuit magnus parens Moyſes.

10 *Deſiderium ſi compleatur*, Cum quis optata conſequitur, voluptate animus inde perfunditur; quamobrem auerſantur impij, vt a malo recedant; cum deſiderijs ſuis explendis maximam delectationem ſentiant.

*Si compleantur*. נהיה nihiah, quod effectum eſt, ab היה haiah, fuit. Aliam etiam ineamus explanationem. Deſiderat quam maximè Deus, vt eius voluntati morem gerant Iſraelitæ, quod ſi contingat, voluptate perfunditur, ſed enim impij maximè deteſtantur, vt repudiata impietate Deo obtemperent. tum Iſraelitæ, tum cæteri.

## A. ABEN EZRA.

17 *Nuncius impij* Si nuncius ipſe prauus ſit, in malum cadet.

*Legatus autem fidelis* אמונים emunim, eſt nomen ſubſtantiuum, veritatemq; ſignificat, hoc eſt legatus verax medelam afferet ei, a quo deſtinatus fuerit.

18 *Egeſtas & ignominia* Diſciplinam auerſanti vtrumq; continget, vt & indigeat, & ab alijs contemnatur.

*Qui autem acquieſcit* Qui autem arguentis obiurgationem admiſſerit, honore afficietur, Deo illi honorem impendente, iuxtà illud, quicunq; honorificabit me, glorificabo eum.

1.Reg.2.v.30. 19 *Deſiderium* Connectitur cum ſuperiori verſiculo hac ratione, Qui in votis habet, vt increpationes obſeruet id illi perindè eſt, ac ſi huiuſmodi deſiderium animum deliniret, voluptateque perfunderet.

*Qui fugiunt mala* סור מרע ſur merah, deteſtantur ſtulti auerſum a male agendo, ubi סור eſt participium paſſiuum.

## LEVI GHERSOM.

17 *Nuncius impij,* Qui deplorati legatus eſt ob hunc, cui vt domino ſuo ſeruitium defert calamitates experietur, ac exitium ſubibit.

*Legatus autem fidelis* Qui viri fidelis eſt nuncius tantum abeſt, vt hiſce malis ſit obnoxius, vt potius alteri medelam afferat, illumq; à malo ſubducat, ad quem hac de cauſa ab altero legatus fuerit.

18 *Glorificabitur* A mortalibus honore afficietur increpationem admittens ob ſingularem morum ſuauitatem; cum id præterea ad ſapientiam in primis conducat: qui verò ſapientia excellit maximo in honore habetur, iuxtà illud gloriam ſapientes hæreditabunt.

19 *Deſiderium ſi compleatur* תאוה נהיה tahauah nihiah cupiditas debilitata. Cum cupiditas debilitatur, & edomatur intelligens facultas delectatione perfunditur, propterea quod imperium ſuum in animam ſentientem exerceat, quod quidem ſtultis eſt valdè inuiſum; ægrè enim ferunt, & ſe à male agendo contineri deteſtatur.

### Verſ XX. XXI. XXII.

20 Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: a- amicus ſtultorum, b ſimilis efficietur.

21 Peccatores perſequitur malum: & iuſtis retribuentur bona.

22 Bo-

22 Bonus relinquit hæredes filios,& nepotes: & custoditur iusto ᶜ substantia peccatoris.

## VAR. LECT.

*a Chal. qui habet societatem cum stultis b Chal. malum erit ei. Syr. lædetur. c Syr. peccatorum diuitiæ, quas non vidit orbis.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *Amicus stultorum* רועה roheh Qui stultis se addit socium, vt cum ijsdem amicitiam, societatemq; ineat.

*Similis efficietur* ירוע ierohah .i. effringetur & collidetur.

21 *Peccatores persequitur malum.* Perditum ità impietas insectatùr, vt illum tandem è medio tollat.

22 *Bonus relinquit hæredes filios* Probus nepotes suos meritorum suorum, & diuitiarum hæredes facit: improbus autem suæ posteritati hæreditatem relinquere nequit, quod illius facultates, & bona iusto reseruentur, vt testantur illa, constituit autem Ester Mardocheum super domum Aman. Ester.c.8.v.2

## A. ABEN EZRA.

20 *Amicus* רועה roheh, desumptû ex illo רעך rahach amicus tuus.

*similis efficietur* ירוע ieroha .i. conteretur.

21 *persequitur* תרדף teraddeph, verbum actiuum transitiuum .q. d. scelus quod perpetrat impius, hoc efficit, vt illum cæteri insectentur.

*Retribuentur bona* Ijs qui iuste se gesserint rectè factorum præmia Deus elargietur.

22 *Bonus* Probus hæreditatem nepotibus suis relinquit: scelestorum autem diuitias iustis Deus reseruat, iuxtà illud præparabit quidem, sed iustus vestietur illis. Iob.c.27 v.17.

## LEVI GHERSOM.

20 *Qui cum sapientibus graditur* Qui sapientes sequitur, eorumq; societatem quærit, procul dubio sapiens euadit ex ijs, quæ a iustorum sapientia didicerit: quin iustis retribuentur bona .i. concedet Deus maximum bonum, sapientiam nimirum: qui autem cum improbis ambulat, eorumq; societatem init, excidium non effugiet.

21 *Peccatores* Ita pernicies calamitasq; scelestos consectatur, vt ad sedem, quam illi colunt se transferat. Secus verò virtute prædi-

tis accidit, nam Deus præ sua peculiari prouidentia bona illis impendet, ita vt ad illorum locum hæc se conferre videantur.

22 *Bonus relinquit* Integer vir diuitias suas non solum ad filios, sed etiam ad nepotes hæreditario iure transmittet. Criminosus autem non modo opes suas nepotibus, sed ne filijs quidem relinquit, cum illius facultates iusto reseruentur.

## Vers. XXIII. XXIV. XXV.

23 [a] Multi cibi in noualibus patrum: & [b] alijs congregantur absq; iudicio.

24 Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, [c] instanter erudit.

25 Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum [d] insaturabilis.

## VAR. LECT.

*a Chal. multus cibus euenit pauperi. Syr. multi anni diuitias profligant, & homines penitus perierunt b & est qui præter ius mortē oppetit. c Syr. diligenter. Chal. mane quæret ei eruditiouem, d Syr. indigebit.*

## SALOMON ISACIDES.

22 *Multi cibi in noualibus* רב אוכל ניר ראשים rau ochel nir rascim. In magna Masarà triginta tribus vicibus vox רב rau reperitur affecta Camets sed hoc loco scribitur cum Cateph Camets coniungiturq; cum voce אוכל ochel per machaph. Vox autem אוכל ibidē insignitur patach cum accentu in penultima ad normam illorum, & collegit vniuersum אוכל ochel, cibum.

Voces harū vocalium sunt more rabinico. Gen. 41. v. 35.

Quare iuxtà huiusmodi vocales adscriptas ea erit interpretandi ratio. Multus prouentus orbi conceditur ob pauperes q.d. insignis legis cognitio ortum habet ex discipulis in lectione sacra dubia acutè excitantibus, a quibus eorum præceptores acuuntur.

*Et alijs congregantur* ויש נספה veies nispeh. Multi etiam ex illis exitium subeunt.

*Absq. iudicio* quod iudicio careant, hoc est non assuescant pro vt æquum esset. Quod si hæc ad fructus, ac annonam referantur ità interpretaberis, Quorumdam prouentus imminuuntur, quod Domi-

no decimas non exhibeant, neq; etiam in pauperes erogent quod consentaneum esset. Rabbini etiam antiquiores interpretantur illa ויש נכפה veies nispeh pertinere ad Angelum mortis ministrum, quod nomina permutet, ac immatura internitione mortales deleat. Quod si ita esset huius versiculi vltima non responderent primis.

fabula hæc de Angelo plane ridicula.

24 *Qui parcit virga*, Qui á filio castigando se cohibet ad extremum eundem odio prosequetur, quem deniq; in prauos mores degenerantem inueebitur.

*Constanter erudit* שחרו מוסר sicarò musar .i. assiduè singulis matutinis temporibus natum instituit, quem in amoribus habet.

25 *Replet animam suam* לשובע נפשו le suuah naphso .i. ad saturitatem animæ suæ, cum saturo similis videatur.

## A. ABEN EZRA.

23 *in noualibus patrum* ניר ראשים nir rascim, aratio pauperum, Ierem. 4. v. 3.
vbi ניר est verbale, ad normam illorum ניר לכם ניר niru lachem nir,
arate vobis arationem, atq; hæc erit vis. Multus cibus erit pauperi- hic cap. 12. v.
bus, quando terræ semina credent, eandemq; colent, iuxtà illud, 11.
qui operatur terram suam, satiabitur panibus.

*Et alijs congregantur* ויש נכפה veies nispeh, Et est vir qui absumatur, eo quod careat peritia, iudiciouè arandi, & seminandi, iuxtà illud, erudit illum ad iudicium, vbi de seminandi ratione sermo est. Esa. 28. v. 26.

24 *Instanter erudit* שחרו sicharò singulis diebus illũ mane erudit.

25 *Iustus comedit* ad satietatem.

*insaturabilis* תחסר techsor deficiet .i. venter impiorum cibo carebit, ac saturari nequibit.

## LEVI GHERSOM.

23 *Multi cibi* Multa annona suppeditatur, quod pauperes terrã colant; cum enim illi ea aranda laborant, agrorum domini licet nullum laborem impenderint, fructibus hisce gaudebunt.

*Et alijs congregantur* ויש נכפה veies nispeh, & est vastatus. Inter mortales pariter est qui immeritò nefarie mactetur malo, cum nihil commiserit, propter quod ita iniuriosè sit excipiendus; quod quidem sæpè contingit. Ea etiam erit horum sententia. Cum vbertate fructuum gaudemus, acceptum id habendum pauperibus terram colentibus, diligenterq; arantibus; cumq; tanta sit copia, ij ad satietatem comedent. Quamobrem fruentur illo bono cum iudicio: sed cũ rerum egestas erit, absumetur vir absque iudicio, iuxta explicationem ante allatam.

24 *Qui parcit virga*, Qui virgam cohibet a verberãdo filio vt ità

rectè

rectè instituatur, illũ odit, cum ideò eruditionis expers futurus sit.

*constanter erudit* שחרו sicharò, Eum maturè, ab ineunte nimirum ętate erudit, vt ità institutus honestis eiusdem moribus imbuatur

26 *Iustus comedit* Probus ad animi satietatem comedit, cum ciborum copiam habeat, tum ob peculiarem Dei prouidentiam, tum quod solers sit in opportunis alimentis aptè comparandis.

*venter autem* Impij alimentis carebunt; cum violentiæ suæ fidãt, ac ex rapinis cibos se habituros sperent.

# CAPVT DECIMVMQVARTVM.

## Vers. I.II.III.

1 Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructam quoq; manibus destruet.

2 Ambulans recto itinere, ᵃ & timens Deum, ᵇ despicitur ab eo, qui infami graditur via.

3 In ore stulti ᶜ virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.

## VAR. LECT.

*a Syr. timet Deum b Chal. qui calumniator est in via sua contemnit eum .i. Deum. c Chal. virga & tribulatio Syr. stimulus, & contumelia.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *Sapiens mulier* חכמות chachmoth. Vox hæc insignitur vocali pathach, cum non sit nomen substantiuum, nam significat, sapientia, qua mulieres pollent domum ædificari; illa enim huiusmodi sapientis opera stabilis conseruatur, vt constat de vxore On filij Palach, quæ domum suam restaurauit, vt narratur in capite Chelech.

Fabulantur On a Chore ad mali societatem vocatum, eiusq. vxorẽ domi esse negasse, statimq; discedentem Chore a terra absorptũ.

*Insipiens* fatua verò opera sua domum demolitur cuiusmodi fuit vxor Coreh.

2 *Ambulans recto itinere* Rectum iter ingreditur qui Deum veretur.

*qui infami* נלוז neloz. Qui deuium & obliquum tramitem init Deum contemnit.

2 In

3 *In ore stulti* Baculum elationis ore gerit stultus, vt constat de Pharaone, qui dixit quis Deus est, vt eius voci audiam.
*custodient eos* hoc est sapientes.

## A. ABEN EZRA.

1 *Sapiens mulier* Mulieris sapientia domum construit, quemadmodum fatua eandem opera sua vastat, & diripit.

2 *Recto itinere* בישרו beiosro in rectitudine eius, quod idem est ac recto tramite.

*despicitur* בוזהו bozehu, Qui perditam viam terit despicit verentem Deum.

3 *Virga superbiæ* Innuitur lingua, quæ virgæ comparatur q. d. in ore stulti est virga, lingua nimirum, qua ob verborum arrogantiam cæduntur.

*labia autem sapientium* qui haud arroganter locuti sint.

*custodiunt* תשמורם tismurem .i. custodiet, hoc est vnumquodq; labium custodiet eos.

## LEVI GHERSOM.

1 *Sapiens mulier* חכמות נשים cachmoth nascim, sapientes mulierũ .i. vnaquæq; mulier sapiens sua sapientia domum ædificat, quod illam sartam tectam tueatur, diuitiasq; conseruet, quibus referta est domus.

*insipiens* Hæc ergo domum suam diripit, quod domesticæ rei nullam curam gerat. Pertinent etiam hæc ad mulierem sapientem, hoc est facultatem, quæ intellectui operam suam defert, vt contemplationibus domus ædificetur; hæc enim maximè confert ad contemplationem absoluendam. Verum stulta mulier nihil ob id excitatur, sed manibus suis euertit quod ab intelligente facultate strui oporteret.

2 *Ambulans* Qui rectum iter capit, Deum timet; ad id autem ab ipsomet Deo instituitur, tum sacrosancta lege, tum peculiaribus præceptis: qui verò deflectit ab huiusmodi recto calle Deum contemnit.

3 *In ore stulti* Ore stultus superbiæ baculum gerit, quo ad exitiũ adigatur: secus autem se habent sapientis instituta; cum enim se cæteris demittat, eosq; sibi beneuolos, & pacatos reddat eorumdem opera ab vniuersis calamitatibus seruatur.

## Vers. IV. V.

4 Vbi non sunt boues præsepe * vacuum est; vbi

autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.

5 Testis fidelis non mentitur: ᶜ profert autem mendacium dolosus testis.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. præsæpia munda b Chal. multitudo frugum in fortitudine bouis c qui loquitur mendacia.*

## SALOM. ISAC.

4 *Præsepe vacuum est* Quando non sunt boues ne paleæ quidem in eo reperiuntur.

*vacuum* בר bar mundum, & vacuum q. d. vbi desunt discipuli sapientia insignes, deest declaratio & perspicuitas, quæ opportuna esset.

5 *Profert mendacium* assidue mentitur testis dolosus.

## A. ABEN EZRA.

4 *Vbi non sunt* Hoc versiculo ad terram excolendam hortatur; atq; ita hæc erunt exponenda. Propterea quod desint boues, præsepe vacuum, & mundum relinquetur, ibidemq; nullius rei copia erit. Libet etiam aliter interpretari. Vbi non sunt boues vnica est apotheca frumenti, nam בר bar frumentum significat iuxta uim illorum לשבור בר lisbor bar, ad vendendum frumentum, prouentum nimirum paleis expurgatum. Gen. 42. v. 3.

*vbi autem* Verum horrea multa bouum robore tritico replentur, quod inprimis mihi arridet.

5 *Testis fidelis* עד אמונים hed emunim, testis veritatum, qui vera loquetur.

*non mentietur* quando opera illius quis indigebit.

*Profert mendacium* non dispari ratione periurus testis mendacia proloquetur.

## LEVI GHERS.

4 *Vbi non sunt boues* Ex eo quod aliquid adsit, vel desideretur quippiam aliud consequi contingit: velut si desint boues, horrea annona refecta esse, quæ a bobus absumitur: quod si etiam ijdem adsint magna erit annonæ vbertas, cum magna frugum copia

bouum

bouum labore suggeratur. Illud etiam verisimile est hisce verbis insinuari, si desint boues, qui in præsepio mundo saginentur, tunc esse nihilâm frugum copiam ob bouum robur. Monemur etiam facultatem animi materiæ compage constantem, quando illius operæ intellectui non deseruiet, vesci prouentu, & fructibus eiusdem; animumq; summa pernicie affici, cum quæ ad sapientiam obtinendam disposita sunt cupiditatibus terrenis explendis deseruiant. Quod si huius industria intellectus seruitiiti desudet hac opera, & robore magnum fructum reportabimus quoad illa, quæ sub cōtemplationem cadunt.

5 *Testis fidelis* Qui non mentitur, ac mendacia auersatur, velit nolit fidus veraxq; testis erit, cū rogabitur vt aliquid testetur, qui vero mendacia effutit, est mendax testis.

## Vers. VI. VII. VIII. VIIII.

6 Quærit *a* derisor sapientiam, & non inuenit: do-
ctrina prudentium *b* facilis.

7 Vade *c* contra virum stultum, & nescit labia pru-
dentiæ.

8 *d* Sapientia callidi est intelligere viam suam: &
*e* imprudentia stultorum errans.

9 Stultus *f* illudet peccatum, & inter iustos mora-
bitur gratia.

## VAR. LECT.

*a Syr. improbus. b Syr. inuenitur. Chal. vilescit. c Chal. vade per viam aliam a facie stulti, quia in labijs eius non est scientia d Syr. solers in sapientia sua intelligit viam suam, e Syr. via stulti in errore.* Mox addit *domus iniquorum quærunt recte munditiam, & domus iustorum eam recipiunt. Chal. stultitia vecordium fraudulenta. f Syr. stulti faciunt peccatum & recti beneplacita. Chal. stulti ponunt comparationes in peccato.*

## SALOM. ISAC.

6 *Quærit* Quando sapientia opus habet animum suum ea expoliatum derisor experitur.

7 *Vade contra* Adde te socium stulto, ne finis tui sis conscius, ne scilicet sapientiam calleas.

8 *Sapientia callidi* Prudentis sapientia in eo sita est, vt instituta sua perspecta habeat, hoc est suos mores, viuendiq; consuetudinem ad lancem libret.

*& imprudentia stultorum errans* אולת כסילים מרמה iueleth chesilim mirmah, stultitia vecordium dolus. Eorum ergo dementia haud aliud est, quam fraus, & dolus, quem mente reconditum seruant, à quo deniq; ad vecordiam traducentur.

9 *Stultus illudet peccatum* אוילים יליץ אשם euilim ialits asam .i. pro stultis mulcta intercedit; cũ.n. crimina incurrant opus est, vt in illũ quem crimine pet[...]erunt diuitias profundat. Mulcta ergò pro ipsis intercedet, facultatibus suis pro offensa erogatis, vt de Philistæis legimus, quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? responderuntq; illi iuxta numerum prouinciarum Philistinorum quinq; anos aureos facietis &c. & dabitis Deo Israel gloriam si forte rele-
1. Reg. 6. v. 4 uet manum suam à vobis.

*inter iustos morabitur gratia* Deus enim illis placidus, atq; exorabilis erit.

## A. ABEN EZRA.

6 *Quærit derisor sapientiam*, vt ea imbuatur

*& non inueniet* Quod in derisionis, subsannandiq; arte occupetur illius cognitionem adipisci nequit.

*Doctrina prudentium facilis* Prudentes facile doctrinam arripiunt, vt suprà memoratum est, & scientia animam tuam oblectabit.

7 *Vade contra virum* מנגד minneghed. Cum hæc dictio mem adiũctum habet longe recedere significat: quod si eidem adscribatur Lamed rei propinquitatem, seu ad rem accessum significat: mem ergo duplici vi ui est. Id ergo perinde est ac si diceretur, abscede à stulti conspectu, ac procul esto à stolido, atq; scientiæ experte, nam labia prudentiæ scientiam significant: procul inquam esto à viro, quem sapientia haud præditum agnoueris.

8 *Intelligere* הבין hauin, quod est verbale infinitiui q.d. etenim sua sapientia id reportabit, vt viam sibi consentaneam agnoscat.

*errans*: מרמה mirmah Amentium vecordia fraudem parit; meditãtur enim assiduè, vt alios fraude circumueniant, perniciem illis parientes.

9 *Illudet peccatum* יליץ אשם ialits asam locutionem significat, eadem

dem ratione qua illud, המליץ hamelits .i. per interpretem loquere- Gen.42.v.23
tur. Sententia ergo erit, stultus quisq; ad peccatum perpetrandum loquetur ad mentem illorum, peccata sua sicut Sedom annunciauerunt.

*gratia* .i. beneuolentia, vt nimirum vnusquisq; amicum suum beneuolentia complectatur. Alia explicatio. Quãdo hostiam pro peccato faciet, deludet, dicetq; se nihil indè emolumenti habiturum; ideò nec illam adducit; excors enim haud peccatum formidat, qua eadem ratione se gerit in reliquis à Deo statutis. Verum apud rectos hostia pro delicto est diuinæ beneuolentiæ cõciliatio, cum per eam a suis noxijs expientur. Explicare etiam hæc ità poteris. locãtur in peccato & ideò haud graue arbitrantur, vel scelus, rapere, inique cæteros opprimere, sceleribusq; se contaminare. Verum inter integros non nisi Dei, hominumq; beneuolentia reperitur, quæ est recta via, atq; ideò ponitur gratia seu beneuolentia absolute.

## L E V I G H E R S O M I T E S.

6 *Quærit derisor* Licet derisor scientiam appetat non tamen eius compos esse potest: secus verò id prudenti facillimum est, cum altiorem indaginem adhibeat in rebus sapientiæ, in rerum nimirum sacrarum cognitione, seu Angelorum diuinæ seruituti adstantium.

7 *Vade contra virum* מנגד minneghed, longe te remoue a vecorde ne cum illo societatem contrahas.

*nescit labia prudentiæ* neq; enim percipies labia scientiæ, seu scientiam, illius societate te ab illa arcente.

8 *Intelligere viam suam* Solertis sapientia in eo maximè sita est, vt perspectas habeat vias, quas instituat, quomodo scilicet sapienter se gerat in ijs institutis, & gradibus quibus iuuetur ad optata sua obtinenda.

*imprudentia stultorum errans* מרמה mirmah fraus. Amentium verò stultitia est fraudis cognitio, nec enim rite se gerere student, vt rectum ordinem ineant, quo votorum suorum metam attingant; quin in eo versantur assiduè, vt nefaria perniciosaq; machinentur; fraus verò, & supplantatio ex eorum sententia certissimum adiumentum afferre videntur, vt ad eorum quæ optant culmen accedant. Hi ergo suas rationes agendi non intelligentes ad destinatam metam non pertingunt.

9 *Illudet* יליץ ialits loqui faciet. Crimen in causa erit vt stulti loquantur, cum enim viderint se non assequutos quód cupiebant, idq; a suis piaculis effectum inter se sermones habebunt, & conquerentur, mirati quanam in re peccarint, & causas, quas explorauerint patefacient. atq; equidem noxam subijsse se animaduertent, cum causarum vitia labesq; contemplati fuerint.

14.19 *Inter iustos morabitur gratia* Inter iustos illud celebrabitur, & prædicabitur, quæ optabant feliciter successisse, cum adminiculis opportunis vsi sint; id enim maximè confert vt optato fine fruantur; cum præterea accedat, eos diuina ope iuuari.

## Vers. X. XI.

10 Cor ª quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.

11 Domus impiorum delebitur: tabernacula verò iustorum ᵇ germinabunt.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. cor intelligens omni tempore mæstum sibimet mæstum est b Syr. exultabunt.*

## SALOM. ISAC.

10 *Amaritudinem animæ suæ* Laboris sui conscius est quem ob legis studium exantlauit. Quamobrem quando futuro æuo præmia reportabit, gaudio eius non miscebitur extraneus. Alia ratione hæc interpretemur. Mærore angebantur Israelitæ cum captiuitate premerentur, ac etiam necarentur ob sanctimoniam retinendam, verum postmodum illorum lætitiæ extraneus non se immiscuit.

11 *Domus impiorum* domus Esau delebitur.

## Castigatio.

Vocantur ab Hebreis Christiani nomine Esau. Errat ergo turpissime, nam Christiani nominis vsq; ad finem cum Christo erimus.

## A. ABEN EZRA.

10 *Animæ suæ* Sermo est de facultate animi, qua concupiscimus. *non miscebitur* יִתְעָרַב ijthareu, quæ vox eandem habet significationem, quam illa עָרֵב lereb rau q. d. consentaneum est, vt mens corpus suum mærore ac molestia afficere, ieiunijs castigare, & ab huius seculi delicijs retrahere studeat; gaudio autem, quo perfundetur nō miscebitur extraneus, hoc est imbecillitas, & labor voluptati eius non miscebitur; voluptas autem hæc pertinet ad futurum seculum,

quam

quam nullus dolor perturbabit: vel intelligetur salutis voluptas iuxta illud lætatus sum in salutari tuo.

11 *Tabernacula iustorum* Qui ædium ædificatione non delectātur velut impij ac abhorrent ab huius sæculi desiderijs, & tentoria incolunt, eos Deus tanquam arborem efflorescentem stabiliet.

## LEVI GHERSOM.

10 *Cor* Mens noscit amaritudinem animæ .i. defectionem & cōtumaciam facultatis, quæ cum brutis communis est, quod anima quædam sit homini quodammodo aliena; sed enim non immiscebitur illius gaudio extranea aliqua vis, cum in contemplatione aliquid inuestigarit.

11 *Domus impiorum delebitur* Licet scelesti domus firmissimo opere ædificata sit, abolebitur tamen & corruet, haud Deo curante, vel aduersa euadet, quin idem sibimet infortunia, & calamitates suis nefarijs actionibus accerset: tentorium verò iustorum licet imbecilli opere constructum sit, stabile tamen durabit, fructusq; proferet.

## Vers. XII. XIII.

12 Est via, quæ videtur homini iusta: a nouissima autem eius deducunt ad mortem.

13 b Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. via eius mortis semitæ. Chal. finis eius est via mortis.* b *Syr. etiam in risu dolebit cor.*

## SALOMON ISACIDES.

12 *Est via* Est qui rectam viam suam arbitretur, licet crimine se obstringat: iactat tamē nullum subesse scelus, vel noxam. Vel etiam. Inertis via recta videbatur Esaù, qui erat agricola, sed nouissima eius &c.

13 *Risus dolore miscebitur* Risus etiam, quo cum nefarijs dum vitam trahunt corridere videntur, in postremum, futuro nempe æuo illorum corda excruciabit; iuxta illud à Deo pronuntiatum. Vos clamabitis præ dolore cordis. Alia etiam explicatio. Tanquam per risum Esa. 65. v. 14

scele-

scelestus impietate se contaminat, sed ad extremum cordis dolore, cruciabitur.

## A. ABEN EZRA.

12 Nectuntur hi duo versiculi ad hanc explanationem. Est via recta homini proposita, præcepta nimirum diuina, Quod si is ab hac semita declinarit iter mortis ingredietur.

13 *Risus* נִשְׂחָק gam bischoch, etiam in risu. Dictio etiam declarat quantum magis a via recta declinarit ad hunc sensum. Etiam propter risum eius cor dolore afficietur, qui hisce operam dabit, Deo illos dolore torquente nouissimaque gaudij ob redditum emolumentum tristitia occupabit.

## LEVI GHERSOM.

12 *Est via* Est qui se probum arbitretur, propterea quod veritatis lucem non aspiciat, qui tandem animaduertet extremum illud sibi reseruari, vt tramitem ineat quo ad interitum deducatur, licet in illo natura sua nullum sit vitium, aut scelus.

13 *Risus dolore* Vis huius prouerbij est, arbitrari quempiam in actionibus ridendi & diffidiæ nullum subesse crimen, dolore tamen cor premi, quod hæc sint causa, vt mens perfectione careat, qua eadem de causa extrema huius lætitiæ à mærore excipientur.

## Vers. XIV. XV.

14 Vijs suis replebitur ᵃ stultus, & ᵇ super eum erit vir bonus.

15 Innocens credit omni verbo: astutus ᵈ considerat gressus suos.

Filio doloso nihil erit boni: seruo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via eius. } *Desiderantur in hæbreo.*

## VAR. LECT.

a Chal. euanidus corde. Syr. qui temerarius est in corde suo b Syr. vir probus saturabitur timore animæ suæ. c Chal. insipiens d Chal. attendit ad bonum suum. Syr. discernit bonum a malo.

SALO-

## SALOMON ISACIDES.

14 *Stultus* Pertinent hæc ad Eſaù.

*Vir bonus* Hic eſt Iacob.

*Stultus* סוג לב ſug leu .i: impius non diſsimili ſentẽtia ab illis סיגים כסף cheſeph ſighim, argentum ſcorijs plenum; quaſi cor ſceleſti ſit ſcorijs plenũ, ſeu ſint ipſæ ſcoriæ, סיג ſigh ergo ſignificat ſcorias, סוג ſug autem argentum ſcorijs mixtum.

*Et ſuper eum erit vir bonus* Iuſtus iniquo ſuperior erit.

15 *Innocens* qui ſibi imponi facilè patitur

*credit omni verbo* ideſt verſipelli fidem adhibet.

*Aſtutus conſiderat* Prudens cauet ne litibus & diſceptationibus ſe implicet, moras enim nectit donec de æquitate certus ſit.

## A. ABEN EZRA.

14 *Vijs ſuis replebitur* Duplici loco hæc vſui ſunt.

*Stultus* סוג לב ſug leb, ſug vero eſt participium ad formam מול mul & eandem vim habet quam סור ſur .i. auerſus; ſcientia porro cordis appellationem habet. Quare hæc ita expones. Vijs ſuis, vanitate nimirum ſatiabitur vir & qui ſapientiæ eſt auerſus; Deus enim actionibus eorum paria rependet, & illorum quæ geſſerint fructus comedendos præſtabit.

*ſuper eum* מעליו mehalau de folijs eius, iuxta illud עלה זית hale zait Gen. 8. v. 11. folia oliuæ. Comparat autem eius actiones rectas quoad præcepta leuiora folijs, & quod difficiliora fructibus, hac ratione: Ex folijs etiam ſatiabitur vir integer, ſacietas autem eſt rectè factorum merces. Alia explicatio.

*ſuper eum* מעליו mehalau .i. ſeipſo.

15 *Innocens* fatuus.

*credit omni verbo* vt à recta via deflectat.

*Aſtutus conſiderat* Prudens verò circunſpicit greſſus ſuos opportunos, & rectos; ſemitam videlicet a qua non recedat; quamobrem mox ſubditur ſapiens timet.

## LEVI GHERSOM.

14 *Vijs ſuis replebitur* malis ſaturabitur.

*Stultus* cuius mens à recto tramite deuiat.

*Super eum* מעליו mehalau .i. ab ipſo. Ab illo deflectet probus, ne ſimul cum eodem perniciem incurrat ab vniuerſa eius crimina.

15 *Innocens* Facilis vir verbis omnibus credit; quarè ab omnibus facile abripitur, haud attentius ſpectans præſtare aliquid conſentaneum ſit nec nè, neq; prudentiæ norma vtitur ad optatum finem obtinendum.

*Aſtutus*

*Astutus* Qui vero prudenter agit rimatur gressus suos; rationes nimirum agendi opportunè, ne sint uacuæ, quaue ratione ad optatam metam perueniendum sit.

## Vers. XVI. XVII.

16 Sapiens timet, & declinat a malo: stultus a transilit, & confidit.

17 b Impatiens operabitur stultitiam, c & vir versutus odiosus est.

## VAR. LECT.

a *Syr. commiscetur in eo confidenter. Chal. stultus feruet in stultitia, & confidit in ea. b Syr. leuis quodcunque facit non consultat. Chal. Qui præceps est in spiritu suo reputatur stultus. c Chal. odio prosequitur differentem consilium suum.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *Sapiens timet* pœnas & supplicia.

*declinat a malo* calamitati se subtrahit.

*Stultus transilit* מתעבר mithabber sese munit & corroborat, vt per vim, & scelus prætergrediatur

*& confidit* בוטח boteach labitur, & in terram decidit Non desũt qui hoc loco confidendi acceptionem propriam esse velint quod arti suæ fidat, atque hinc iactabundus inquiat nullo premar malo aut calamitate.

12 *Impatiens* Qui impatienter præcipitat ad iram suam vltione effundendam.

*versutus* Qui praua consilia animo versat.

## A. ABEN EZRA.

Hi duo versiculi connectuntur q. d. qui Deum veretur crimina deuitat: stultus autem in alios ira correptus exardescit, ac se victoriam relaturum confidit. Impatiens autem, & singulis momentis ira excandescens stulte agit.

*versutus* Qui cogitatione machinatur nefaria Deo infensus erit.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

16 *Sapiens timet* Trepidat sapiens in negotijs, ac pauet, qua de causa seipsum a clade tutum conseruat: vecors autem iras exercet, & ad iras prouocat, quos iurè formidare debet, nihil inde damni sibi illatum iri confidens: quamobrem turpi hac consuedine varijs grauibusq; calamitatibus vexatur.

17 *Impatiens* Qui non nisi celeriter, & in transcursu res perpendit, nihil in ijsdē immoratus stulte agit, nam e demētiæ legibus est, vt opportuna remedia reijciantur.

*versutus* Cogitabundus, qui totus est in animi machinationibus & longo temporis interuallo cunctatur, præstandum aliquid sit nec nè.

*odiosus est* Cū quæ viri ab eo exigunt ægrè tantū obtineant inuisus est; quod quidem contingit quod semper aliqua cogitatio in mēte versetur postulatis repugnans, ita vt difficulter postulata concedat. Huiusmodi præterea cūctatio efficit, vt permulta eius negotia pessumdentur, qui enim anxius perpendit in singulis rebus consentaneum ne sit vt aliquid præstet, hac ratione prætermittit quæ maximè agi oporteret. Consentaneum ergo est, vt mortalis quidem vigilet, sed ne totus in cogitatione defigatur, atq; opus est ne vel plus æquo in consultatione immoretur, vel nulla circumspectione ac consultatione in negotijs vtatur.

### Vers. XVIII. XIX.

18 a Possidebunt paruuli stultitiam; & b expectabunt astuti scientiam.

19 c Iacebunt mali ante bonos; & impij d ante portas iustorum.

### VAR. LECT.

*a Syr. hæreditabunt stulti vecordiam. b Chal. corona astutorum est scientia. Syr. prudentes diuidunt scientiam. c Syr. cadent. Chal. corruunt. d Chal. impij obstupescunt in portis iustorum. Arbitror errorem interpr. in Bib. Reg. nam est, vt testatur syrus codex, venient impij ad portas iustorum.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *Expectabunt* יכתירו iachtiru .i. capiti suo scientiæ coronam nectent, & deniq;
19 *Iacebunt mali ante bonos* futuro nimirum æuo.

## A. ABEN EZRA.

Hi duo versiculi coniungendi q.d. stultitia eorum est hæreditas.
18 *Expectabunt* יכתירו iachtiru .i. coronabuntur Sapientes scientiæ diadema acquirent, & ad honores euehentur, atq; ideò iacebunt mali, Hoc est fatui succumbent quando a prudentibus, probis nimirum increpabuntur: voces autem impij, & iusti bis vsurpantur.

## LEVI GHERSOM.

18 *Paruuli* Qui se facile circumueniri, decipiq; patiuntur hæreditatem stultitiæ adibunt, cum nullam prorsus solertiam adhibeant, quæ ad finem aptè assequendum commoda sit, sed præcipites, quæ primo occurunt ampleċtuntur: prudentes verò cunċtantur, vt scientiam adipiscantur .i. attentè, animoq; mirum in modum sedato cunċta circumspiciunt, vt tandem intelligant, quid præstandum sit, quæuè ratio ineunda, vt rebus potiri possint.
19 *Iacebunt mali ante bonos* Testantur hæc quantum impijs virtute præditi præstent, cum videas iniquos spectante iusto deijci, atq; iniqui ante iustorum portas reperiantur.

## Vers. XX. XXI. XXII.

20 Etiam ᵃ proximo suo pauper odiosus erit: amici veró diuitum multi.
21 ᵇ Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.
Qui credit in Domino misericordiam diligit. } *Desiderantur in hæbreo & sy. rp.*
22 ᶜ Errant qui operantur malum: ᵈ misericordia, & veritas præparãt bona.

VAR.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. socio suo.* b *Chal. contemnit socium suum peccator* c *Syr. errant iniqui cum male agant. Chal. Peruersi errant qui cogitant malum.* d *Syr. misericordes & iusti faciunt omnia bona.* Mox addit *facientes mala misericordiam, et fidem non intelligunt: misericordia autem, & fides cum facientibus bonum. Chal. his qui cogitant bona.*

## SALOMON ISACIDES,

20 *Etiam proximo* nigam, etiam socio suo inuisus est pauper, & à terra natus, qui ritè se conformare nescit.

## A. ABEN EZRA.

Hi tres versiculi inuicem pendent.

20 *Etiam* Additamentum significat, nectiturq; cum superioribus & vir versutus, hac ratione: Quemadmodum odio habetur qui cogitatione malum fabricatur, ità etiam socio pauper inuisus erit propter inopiam: amici verò diuitum multi propter eorum affluentes diuitias. Qui verò contemnit socium, cui iure honor deferendus esset noxa se obstringit.

21 *Beatus erit,* Beatus beatorum ore prædicabitur.

22 *Qui operantur malum* חורשי רע chorese rah qui male seminant. Verè in errore versantur, qui male seminant prauis suis actionibus, cum enim quis perperam seminat a recto itinere deflectit.

*misericordia & veritas* Hæ præstò erunt præclara animo versanti.

## LEVI GHERSOM.

20 *Etiam proximo* Diuitiarum, vel scientiæ egestate laborans etiam socio suo inuisus erit: sed qui diuitijs, vel scientiæ facultatibus pollet multorum amicitia gaudebit; diuitijs enim conferendis multos sibi amicos conciliabit: quod idem contingit scientia alijs communicanda.

21 *Qui despicit* Qui ità alios despicere solet, vt ex hac turpi consuetudine ad amicum etiam contemnendum progrediatur, piaculum incurrit.

*Qui autem miseretur* Beatissimus erit qui miserebitur coramque

geret indigentium & abiectorum.

22 *Qui operantur malum* חרשי רע chorese rah, machinantes malum. Qui nefariè machinātur deuio itinere feruntur, cum multi eorum conatibus obsistant, nè vota feliciter succedant.

*misericordia & veritas* Qui egregia animo moliuntur viæ pietatis, & veritatis insistunt, veritatis vero voce ita illos iter instituturos insinuatur quemadmodum arbitrabantur: misericordia autem maioribus eosdem bonis cumulabit, quam animo reputassent ob diuinam opem, quæ præsto adest, eosdemq; amicissime comitatur.

## Vers. XXIII. XXIV.

23 ᵃ In omni opere erit abundantia; ᵇ vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

24 Corona sapientium, diuitiæ eorum ᶜ fatuitas stultorum imprudentia.

## VAR. LECT.

*a Chal. in omni quod sollicitum te facit erit tibi commodum. Syr. In quacumque re sollicitus fueris erit gaudium voluptatis: qui autem in domo sua egenus est quietus erit, & iucundus. Omnem dolorem sanat Dominus. b Syr. sermo labiorum iniqui eis egestatem parat. Chal. labia superflua in egestate erunt. c Chal. decus. Syr. conuersatio, vel conuersio.*

## SALOM. ISAC.

23 *In omni opere bono* Quacunq; in arte quis laboret, insignis fructus constabit laboris.

*verba plurima* Verba varia, & nullius ponderis ad egestatem tantum pariendam faciunt.

24 *Corona sapientium diuitiæ eorum* quod diuitijs scientiæ legis præditi sint.

*fatuitas stultorum imprudentia* אולת כסילים אולת iuueleth chesilim iuueleth, dementia stultorum est dementia; hoc est improbitas, qua nefariè se gerunt est mera dementia, quod in sapientia comparanda veterno se inuolui patiantur.

## A. ABEN EZRA.

23 *In omni opere* עצב hetseu labore, quod duplici loco collocandum q.d. ex vniuerso labore, quo ad vitæ necessaria comparanda quis desudat maxima vbertas, & emolumentum constabit: ex labore autem sermonis .i. ex verborum fæditate tantum inopia, rebus enim omnibus carebit.

*frequenter* אך ach particula hæc significat solum & detrahit ex abundantia laborantis. Sensus est tãtum abest vt ijs reliquiæ superſint vt ad egestate redigantur.

24 *Corona sapientium* Diuitiæ coniunctæ cum sapientia sunt capitis ornamentum, & diadema; facultates enim sapientiæ operam præstant.

*stultorum autem dementia* Licet opum copia gaudeant nihil tamen illæ ad stultitiam a vecordibus remouendam adiumenti afferunt: stultitia enim eorum cum opibus est ipsa stultitia. Vel huiusmodi stultitia est, vt ei nulla alia comparari possit.

## LEVI GHERS.

23 *In omni opere* Ex vniuerso labore, & industria quisq; rerum vbertatem, & vtilitatem percipiet, vt quo magis laborat, eo maius emolumentum inde capiat.

*verba plurima* דבר שפתים deuar sephathaim, verba labiorum. Sermonis labor & vana garrulitas nullum lucrum parit, sed tantum egestatem.

24 *Corona sapientium diuitiæ eorum* Diuitiæ sapientiæ auspicijs paratæ sunt corona sapientium; per has enim horum præclari mores dignoscuntur, tum liberalitate exercenda, tum iustitia amplectẽda.

*fatuitas stultorum* Fatuitas nimirum, quæ oritur ex tenuitate scientiæ origo est vecordiæ eorumdem: ex quo fit, vt horum conatus, & actiones infeliciter, & præpostere se habeant; cum præterea ab hoc vitio è mentis statione deijciantur ob maximum laborem, & molestiam.

## Vers. XXV. XXVI. XXVII.

25 Liberat animas testis fidelis: & * profert mendacia versipellis.

26 ᵇ In timore Domini fiducia fortitudinis; & filijs eius erit ᶜ spes.

27 Timor Domini fons vitæ; [d] vt declinent a [e] ruina mortis

## VAR. LECT.

*a Chal. qui loquitur mendacia, dolosus est b Syr. timor Domini est spes valida, & fortis c Chal. protecti d Sy. ijs qui declinant e Chal. à laqueis.*

## SALOMON ISACIDES.

Gen. 22. v. 12. *26 In timore Domini* De Abrahamo illud vsurpatum est nunc co-
ibidem v. 12. gnoui, quod times Deum, & paulo post securus idē a Deo effectus est, iuxta illud benedicam tibi &c.

*spes* מחסה machseh confugium: confident enim & sub vmbra meritorum parentis filij tuti latebunt.

## A. ABEN EZRA.

25 *Liberat animas* Testis verax eos, qui neci addicti erant, seruat; qui verò mentiri consueuit prorsus est dolosus. Copulantur autem duo versiculi subsequentes.

26 *In timore* ביראת beijrath. Beth huius vocis significat propter in vtriusq; versiculi principio; atq; hæc erit sententia. Propterea quod Deum quis timeat ipsemet Deus erit fiducia roboris, vel fiducia firma timenti, vt incolumis euadat, quando calamitate vexabitur; filijs etiam huius propter parentis merita Deus erit tutissima spes.

27 *Timor Domini* Propter timorem Domini fons vitæ, ac si timor esset vitæ scaturigo timenti, vt laqueos mortis euadat, impios nimirum viros.

## LEVI GHERSOM.

25 *Liberat animas* Qui vera testatur cum de re aliqua rogatus fuerit, à pernicie & violentia homines subducit.

*versipellis* Fraudator verò cum interrogatur mendacia testimonio suo asserit, ex quo efficiet, vt aliqui per vim & scelus è medio tollantur.

26 *In timore Domini* Fortitudini diuinæ fidendum est ab ea seruatum iri qui Deum vereatur: ob parentis etiam merita filijs Deus præsidio clypeiq; loco erit, vt ab imminentibus cladibus eripiatur.

27 *Timor*

27 *Timor Domini* Hic est vitę fons, quod ab eo sapientia emanet, per quam vitę immortalitas conceditur. Eadem etiam efficiet, vt laqueos effugiamus, tum quoad ea, quę sub contemplationem cadunt, tum quoad caduca hęc, & corporea.

## Vers. XXVIII. XXIX.

28 In multitudine populi dignitas regis: & ᵃin paucitate plebis ignominia principis.

29 Qui ᵇpatiens est, multa gubernatur prudentia: qui ᶜautem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

## VAR. LECT.

*a Chal. quando minuitur populus conteritur gubernator eius. Syr. conteritur rex in exitio populi. b Syr. qui dominatur spiritui. Chal. Qui longanimis est multæ prudentiæ est. c Syr. tristis animo valde est stultus. Chal. qui præceps est spiritu, multiplicat stultitiam.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *In multitudine populi dignitas regis* Ad diuinam gloriam pertinet populorum multitudo iusta, & meritis cumulata.

*in paucitate plebis ignominia* מחית mechita excidiũ. Imperij contingit excidium quando populi Deo non adherent, quod Dei principatus ab ijsdem deficiat, & excidat (quod auertat Deus a nobis) & idolis honoris sui partem impendat, & in illorum posteritatem barbaros, & quibus diuina lux non est oborta Dominus inducat.

29 *Exaltat stultitiam* מרים אולת merim iuueleth .i. portionem dementię sibi eximit.

## A. ABEN EZRA.

28 *In multitudine* Particula in idem est, ac propter; atq; hæc erit accomodata explicatio. Propter multitudinem populi, quę regi subest is à mortalibus honore extollitur; quod si populo careat, cui imperet, exitio est obnoxius: æquum autem est vt qui Deum non ve-

vetetur multitudinis populorum inopia laboret.

29 *Qui patiens est* Qui iram tardus concipit magna prudentia excultus est: qui autem eandem cohibere nequit animo est breui, & exili, atq; ideò impatiens seu iracundus appellatur קצר רוח katser ruach .i. breui animo, & spiritu.

*Exaltat stultitiam* vt enim tardus ad iram stultitiam sibi subijcit: ità hic cum furori indulget eandem extollit.

## LEVI GHERSOM.

Quod cæteri principem vertunt hic deducit a razah quod macrescere significat.

28 *In multitudine populi* In eo maximè regis gloria sita est vt subditorum multitudine floreat, quibus hostium conatibus validè opponatur: quod si idem populorum copia careat exitium, viriumq; eneruatio propè adest, cum quis ad illum bello expugnandum arma mouebit.

29 *Qui patiens est* ארך אפים erech appaim .i. lõgo spiritu. Qui aliqua in rè diuturna contemplatione, longaq; indagine vtitur multam prudentiam indè reportabit; ita enim veritatem expiscabitur in eo, quod rimabatur.

*qui impatiens est* קצר רוח ketsar ruach, breui spiritu. Qui in contemplatione breui spiritu est, ac statim iudicat ex repugnantibus ac veritatem demolientibus, sibi præoptat quod stultum est, hoc est quę veritati aduersantur.

## Vers. XXX. XXXI. XXXII.

30 a Vita carnium, sanitas cordis: b putredo ossium
inuidia.

31 c Qui calumniatur egentem, d exprobrat factori
eius: e honorat autem eum, qui miseretur
pauperis.

32 In malitia sua f expelletur impius: g sperat autem
iustus in morte sua.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. qui diuidit iram cordis sui, medicina est carni eius. Syr. qui sedat iram suam est sibi medicus* b *Syr. tinea. Chal. sicut putredo in ligno fortis est, sic & inuidia in ossibus*

*ossibus.* e *Chal. qui opprimit pauperem Syr. qui mala pauperi loquitur. d Syr. iram ciet eius creatori. Chal. opprobrium facit animæ suæ. e Chal. qui miseretur patientis iniuriam, ipsum honorat. Syr. Qui honorat Dominum, miseretur pauperis. f Syr. destruitur g Syr. qui confidit se peccatis carere iustus est. Chal. qui confidit se moriturum, iustus est;*

## SALOM. ISAC.

a 30 *Sanitas cordis* Cor, quod malo medicinam affert est vita carniũ .i. rerum à Deo procreatarum, carne sanguineq; constantium.
b *putredo ossium* vniuersis autem est velut ossium putredo.
c *inuidia* קנאה Kinah zelus .i. vir ira inflammatus.
32 *Sperat autem iustus* Cum mortem obit ad sedem delicijs omnibus circunfluentem se euolaturum sperat.

## A. ABEN EZRA.

30 *Vita carnium* Animus, qui nec ira corripitur, nec alteri inuidet, est tanquam medicina corporibus: vox autem *cor* cum alia cõnectenda est q.d. vita corporum, quibus medela adhibetur in eo sita est, vt prædita sint corde sanitatem afferente, quod quidem est mens tranquilla, & hilaris, iucunditate sua corpus morbis leuans, ac recreans.

*inuidia* Æmulatio, qua quis alterum male agendo æmulatur.

31 *Exprobat factori suo* quod hunc pauperie premi statuerit; arbitratur enim violentus oppressor à Deo pauperem à sua potestate subtrahi nequire.

*qui miseretur pauperis* Honorem Deo defert qui pauperem iuuat; hunc enim Deus cibo, ac viatico leuari iussit, iuxta illud sed dabis viaticum de gregibus &c. Deu. cap. 15. v. 14.

32 *Expelletur* Quamobrem in malum, quo inopibus se damnum illaturum putabat impius propelletur, & corruet.

*Sperat autem iustus* Habet iustus quod speret, fidatq; Deo quo tẽpore perditus obit. Vel etiam iustus cum obit adhuc spem habet in morte sua, vt constat de Ezechia.

## LEVI GHERSOMITES.

30 *Vita carnium* Cor quod corpori medetur, iræq; modum po-

ni, & trãquillitatem præstat, corpori vitam affert; ita enim ab iracundis actionibus coercemur, maximeq; confert, vt quæ mala inde consequi solent tum nobis, tum cæteris, caueamus. Hac ergò de causa huiusmodi cor carnium vita dicitur.

*putredo ossium inuidia* Sed mens liuore, odioq; æstuans etiam ipsamet ossa absumit ob grauissima mala, quæ inde dimanant.

31 *Qui calumniatur egentem* עשק דל Hosek dal opprimens pauperem. Qui pauperem opprimit idem præstat, ac si eius conditorem probris afficeret; nullum enim putat futurum, qui hunc ob imbecillitatem è manu sua subducere possit. Quamobrem cum violentia illum opprimit huiusmodi persuasioni nititur, nec illud in mentem recurrit, potentissimum esse Deum, inopemq; a violentis manibus subtracturum.

*honorat autem* Eadem de causa, qui pauperis miseretur huius actionis præmium non nisi à Deo sperat.

32 *In malitia sua expelletur impius* Ob calamitatem qua premetur a fide, & spe in Dominum impius propelletur fame enim pressus in Deum ira æstuabit, & irritas contumelias in cælum iactabit.

*sperat autem* Non deijcitur iustus a fide neq; ob mortis instantis metum: quin cum mortem obibit spem suam in Deo collocabit.

## Vers. XXXIII. XXXIV. XXXV.

33 In corde [a] prudentis requiescit sapientia, [b] & indoctos quosq; erudiet.

34 Iustitia eleuat gentem: [c] miseros autem facit populos peccatum.

35 Acceptus est regi minister intelligens: [d] iracundiam eius inutilis sustinebit.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. iusti* b *Chal. in medio stultorum cognoscitur stultitia: Syr. & in corde stultorum nõ cognoscetur.* c *Chal. opprobrium populi peccatum. Syr. viles facit.* d *Chal. in offensa eius confundetur. Syr. in sapientia sua aboletur iniquus.* Mox addit *Qui confidit se peccato carere, iustus est: furor autem etiam sapientes perdit.*

## SALOM. ISAC.

33 *Requiescit* תנוח tanuach tranquille residebit, nam verbum illud tranquillitate & quiete frui significat

*& indoctos quosq; erudiet* בקרב כסילים תודע beKereu chesilim tiuadeah .i. in medio stultorum manifestabitur, exiguum enim illud sapientiæ, quod animo repositum habet euulgat & prædicat; iuxta tritum illud, æneus nummus qui vnicus est in lagena sonitum edit.

34 *Miseros facit populos peccatum* חסד לאמים חטאת chesed leumim catath .i. misericordia gentium est peccatum, alteri enim rapta, alteri liberaliter concedunt.

## A. ABEN EZRA.

33 *Requiescit sapientia* Animi quietem inueniet cum eam adeptus fuerit; sapientes enim mentis tranquillitate fruuntur.

*indoctos quosq; erudiet* בקרב כסילים תודע beKereu chesilim tiuadeha .i. inter stultos euulgabitur; sapiens enim illam indoctis aperiet vt forte illa imbuantur. Alia explicatio in corde sapientis sapientia requiescit, nec enim illam stultis patefacit.

*cognoscetur* Stulti sapientiam profundunt, statim ac illa imbuti sunt, nec diutius in corde quiescere permittunt cum tamen in sapientis animo moretur, cui quidem optime quadrat illud, omnem spiritum profundit stultus. Vel etiam non inepte dices תודע tiuadeah propalandi vim habere, ad mentem illorum concriuit in eis Iud.8.v.16. viros Sochot, quod scilicet eorum scelera calamitatibus, & ærumnis patefacta fuerint.

*miseros facit populos peccatum* חסד לאמים חטאת chesed leumim cathath, misericordia gentium peccatum, pietas enim, quam exercent ij quibus veritatis lux necdũ effulsit, tanquã oblatio pro peccato censebitur. Alia explicatio eleemosina exaltat gentes æquitatis studiosas; pietas verò gentium à fide alienarum crimen est, cum ad idolorum cultum referatur, cui suffragantur illa ad Nabuchdonosor peccata tua eleemosinis redime; quæ quidem explicatio mihi in primis probatur.

35 *Acceptus est* Huius versiculi explanatio pendet ex primo capitis sequentis versiculo.

## LEVI GHERSOM.

33 *Requiescit sapientia* Ita in prudentis corde sapientia defixa est, vt postquam eam adeptus est nulla prorsus incidat dubitatio, cum per causas opportunas comparata sit.

*indoctos quosq. erudiet* Necesse est, vt stultis constet, carere se rerum cognitione, nec veritatem si quando affulserit penetrare.

Iam transierunt, quæ cæcus adhuc sperat.

34 *Iustitia eleuat gentem* Cum Israelitæ sua iuste & ad æquitatis normam egerunt supra cæteras gentes euecti, omnibusq; terris superiores effecti sunt; sed enim pietas quam exercent gentes tenebris inuolutæ quoad ea quæ spectant ad diuinam charitatem, vt cũ se ipsos varijs ærumnarum generibus vexant, vel huiusmodi rebus grauibus, quas sibi ipsi grauissimo onere imponunt, ea inquam pietas vitio non caret, licet ij cælestia animo præseferant, tantum abest, vt incrementi aliquid habeat quoad cultum diuinum.

35 *Acceptus est regi* Prudens seruus & solers regi carissimus est, vt è contra tardo gradu, ac veterno implicitus in ijs obeundis, ad quæ legatus fuerit eundem ira inflamans.

## Castigatio.

Crucis hostis libenter Christianam pietatem protereret, & pias inuentiones.

# CAPVT DECIMVMQVINTVM.

## Vers. I. II.

1 a Responsio mollis b frangit iram: sermo durus suscitat furorem.

2 Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum c ebullit stultitiam.

## VAR. LECT.

*a Syr sermo b Chal. auertit c Chal. eructat. Syr. euomit maledictionem.*

## A. ABEN EZRA.

1 *Responsio mollis* Versiculus hic pendet ab extremis verbis superioris capitis, ita vt vox illa seruus, tum se ipsa construatur, tum ad aliud referatur ad hunc sensum. Beneuolentia regia est ergà seruum solertem, qui etiam verborum lenitate respondet, vt eum ab ira reuocet; indignatio autem in contumeliosum, & contumacem, aspero sermone vtentem: hic enim sermo mærore & irã regi ciet.

*susci-*

*Suscitat furorem* יעלה iahaleh; ascendere facit, nam iræ peculiare est cum illa inflammamur, vt ascendere videatur, atq; in naribus cõspiciatur: quamobrem appellatur אף aph, quod nares significat.

2 *ornat scientiam* תיטיב tetiu, quod eandem significationem habet, quã illud בהטיבו behetiuo .i. apte, & opportune scientia vtitur.

*ebullit* יביע iabiah, scaturit, eiusdem significationis, ac torrens scaturiens, & redundans q. d. stultitia ab illorum ore nunquam cessat, perenne .n. fluet. hic c.18.v.4.

## LEVI GHERSOM.

1 *Responsio mollis* Molli responso sedabit quis indignationem, quã alter in eum efferuescebat.

2 *Ornat scientia* תיטיב tetiu recte facit; hoc est sermo sapientum rectam facit audientium mentem; ita enim hi rectas imbibent opiniones & sapientia informabuntur.

*Os fatuum* Sermones verò stultorum in causa sunt, vt dementia iudicetur, ac videatur emanare à scaturigine cordium eorum, qui horum verba auscultant.

## Vers. III. IV.

3 In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.

4 [a] Lingua placabilis, lignum vitæ: [b] quę autem immoderata est conteret spiritum.

## VAR. LECT.

*a Chal. medicina linguæ. Syr. sanitas linguæ. b Syr. & qui fructibus eius vescitur, saturabitur ab ea. Chal. & qui comedit ex eo de fructibus ejus satiabitur.*

## SALOMON ISACIDES.

4 *Quę immoderata est* סלף בה seleph baha, cum quis lingua nefarie vtitur.

*conteret spiritum* שבר ברוח seuer beruach, profligatio in vento. Ad extremum accerset perniciem grauissimã, quę vento orientali comparatur; hic enim constitutus est ad puniẽdos sceleratos, iuxtà illud

sicut

Ier. 18 v. 12. Ex od. 14. v. 21 psal. 48. v. 8. sicut ventus orientalis dispergam eos. Item flante vento vehementi orientali: item vento orientali qui confringit naues Tharsis.

## A. ABEN EZRA.

psal. 33. v. 14. Hi duo versiculi simul cohærent.

3 *Oculi Domini* Idem est ac illud, de præparato habitaculo suo respexit Dominus &c. bonos enim, malosq; contemplatur: oculorum autem nomine intellectus diuinus & sapientia indicantur.

4 *Lingua placabilis* מרפא לשון marphe lascion medicina linguæ. Morum institutio, quæ plagæ insipientiæ medelam affert est instar arboris vitalis, cuius fructibus qui vescitur ad multos annos vitam producit; non dissimili ratione qui ex ore suo morum institutionem depromit vitam afferet.

hic v. 13. *immoderata* Qui linguam suam exeret, vt stulta eloquatur spiritus confractionem sibi efficiet, ad sensum illorum, in mærore animi spiritus deiectio, cuius cladem nulla medicina reparabit.

## LEVI GHERSOM.

3 *In omni loco* Ad omnia loca diuini oculi pertingunt, cum omnia ex eius intellectione, & affectione dimanent, vt suis locis declarabitur. Ex quo perspicuum fit à Deo improbos, probosq; conspici, tum ob rerum communem prouidentiam, tum ob peculiarem, qua probos singulari cura complectitur, a qua constituitur quidquid mortalium actionibus repēditur, siue id bonum, siue malū sit.

4 *Lingua placabilis* מרפא לשון marphe lascion quies linguæ. Qui linguæ suæ quietem, ac cessationem concedit, sermonibusq; parcit, sibi vitam pariet; cum enim quis ad damnum inferendum insurgit, huius sermonibus delinietur.

*immoderata* וסלף בה seleph bah. Qui in sua lingua prauitatem & vastitatem collocat, sibimet grauissima, inopinataq; discrimina gignet, quemadmodum arbor, quæ venti vehementia confringitur, iram enim aduersarij irritabit.

## Vers. V. VI.

5 Stultus [a] irridet disciplinam patris sui: qui autem [b] custodit increpationes, astutior fiet.

In abundanti iustitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. } *Desiderantur in hæbreo*

6 Do-

6 c Domus iusti plurima fortitudo; & d in fructibus impij conturbatio.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. reprobat. b Syr. prudens autem custodit increpationem patris. Chal. & qui sibi cauet eius increpatione, callidus est. c Chal. in domo iusti d Syr. fruges iniquorum peribunt.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *Domus iusti* Templum sāctuarij, quod à Dauide viro iusto ædificatum est, Israelitis tutissimum munimentum, & turris fortitudinis fuit. Quomodo a Dauide templum cōstructum asserit quod a Salomone conditum est.

*& in fructibus impij* Sed cū in illud a Manasse simulachrum inductum fuit, tunc violatum profanumq; effectum est.

## A. ABEN EZRA.

*Astutior fiet* יערים iahrim .i. prudenter aget, cum increpationibus acquiescet.

6 *plurima fortitudo* Iusti domus est instar munitionis sedes .i. horrei annona referti, nam paraphrastes Ionathan pro ממגורות mamgoroth, habet horrea אוצרי chasnia cui consentiunt illa non reponentur, nec recondentur. Hæc igitur ita explicabis. In domo iusti ampla horrea frugibus referta sunt. Ioel. cap. 1. v. 17. Esa. 23. v. 18.

*in fructibus impij cōturbatio* illorum enim prouentus pessum eunt, iuxtà illud, seminauerunt triticum & spinas messuerunt. Ier. 12. v. 13.

## LEVI GHERSOM.

5 *Stultus irridet* stultus est patris institutionē deridēs, nec .n. ritè comparari sapientia potest, nisi illa præmittatur: qui verò increpāti aures præbet sapiens fiet, obiurgationibus enim admittendis ad sapientiam obtinendam instruimur.

6 *Fortitudo plurima* Iusti domus munita est, & firma duplici ratione, tum proprio robore, tum peculiari Dei prouidentia, qua iustum complectitur.

*conturbatio* Verum licet hęc ità se habeant, cum illam impius subibit, eadem excidium non euadet, aufereturq; ab illa tum munimen, tum meritum.

### Verſ. VII. VIII. IX.

7 Labia ſapientium [a] diſſeminabunt ſcientiam: cor
ſtultorum [b] diſſimile erit.
8 Victimæ impiorum abominabiles Domino: [c] vo
ta iuſtorum placabilia.
9 Abominatio eſt Domino via impij: qui [d] ſequitur
iuſtitiam, diligitur ab eo.

## VAR. LECT.

*a Chal. notam facient. Syr. loquuntur ſcientiam. b Chal. non eſt ita. Syr. non eſt rectum. c Syr. gratas habet iuſtorum preces. Chal. oratione iuſtorum placabitur. d Syr. qui facit, iuſtitiam.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *Diſſeminabunt ſcientiam* יזרו iezaru .i. ſcientia coronabuntur, iuxta vim illorum זר זהב zer zahau .i. corona aurea.

*diſſimile erit* לא כן lo cheu .i. haud verum eſt.

8 *Victima impiorum abominabiles* vt Balach & Balaham.

*vota iuſtorum* .i. Moyſis.

## A. ABEN EZRA.

*Diſſeminabunt ſcientiam* ea quippe inſipientes imbuent

*diſſimile erit* לא כן lo chen non ita; ſtulti non ita alios docebunt, quemadmodum ſapientes. Aut non ita ſe res habebit, vt ſcientiam diffundere ſtulti ſciant, quod mihi veriſimile videtur.

8 *Abominabiles Domino* Deteſtatur Deus impiorum victimas quod ex rapina offerantur.

*placabilia* רצונו retſono beneuolentia eius: quod Deus eorum precibus delectetur.

9 *Via impij* Deo deteſtabilis eſt, quod ad malum inferendum ſemita impiorum tendat.

*qui ſequitur* מרדף merraddeph qui ſequi facit, eſt enim verbum actiuum tranſitiuum, ſiue ad cor referatur, ſiue ad aliud. Senſus autẽ erit. Qui iuſtitiã proſequẽdã præcipit, Deo inprimis carus erit, vt è contra abominatio eſt Domino &c.

LEVI

## LEVI GHERS.

7 *Disseminabunt* Doctrinam diffundent, & propagabunt inter mortales, rem scilicet veritati consentientem, multoq; magis horum mens veritate efformabitur. Cor autem stultorum id efficiet, quod haud ità sit .i. quod veritati non ità congruat.

8 *Abominabiles Domino* Ideò victimas nefariorũ detestatur Deus, quod harum præcipuus finis sit, vt criminibus quis expietur, Deoque cultus deferatur: ij verò eas adducant sordibus, quibus fœdati sunt necdum elotis, & abiectis.

*vota iustorum* Iustorum preces sunt victimis gratiores; quod ijs singulare insit emolumentum natura sua, victimis verò secundo quodam fine, vt nimirum excitemur; & alacres fiamus, vt in libro Leuitici explicatum est.

9 *Via impij* Hanc Deus auersatur, quod ad impietatis noxam contrahendam, tùm quoad mores, tum quoad animi sensa ab illis iacatur: E contra verò illũ beneuolentia complectitur Deus, qui tum moribus, tum opinionibus rectum, æquumq; sectetur.

## Vers. X. XI.

10 *a* Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.

11 Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?

## VAR. LECT.

*a* *Syr. Correptio eorum qui mala nesciunt manifesta est.*

*Chal. Disciplina mali hominis errare facit viam suam.*

## SALOM. ISAC.

10 *Doctrina mala* מוסר רע musar rah grauis castigatio. Supplicia grauia, & pœnæ constitutę, paratæque sunt diuinum tramitem transilienti.

11 *Infernus & perditio* Patet Deo, præsentissimumq; est quidquid in ijs continetur.

*quanto magis* אף כי aph chi, quæ indicant dicendi rationem ductam a minori ad maius, vel à maiori ad minus.

Ff A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

Horum versiculorum sensus mutuo cohæret.

10 *Doctrina mala* מוסר רע musar rah, castigatio molesta. Castigatio est tanquam res ingrata, & aduersa à diuinæ legis semita deflecten ti; nec enim ea delectatur.

*qui increpationes odit* Hic repentino casu morietur.

Quid blaterat hæreticus Iudæo peior Infernũ e medio tollens?

11 *Infernus, & perditio* Dominus autem ante cuius conspectum infernus, & perditio aperta sunt, exploratas habet cogitationes, & corda disciplinæ semitam deserentium, increpationesq; auersantium. Eos itaq; immatura morte mulctabit pœnas ex illis repetens, atq; ad inferni cruciatus detrudens.

*perditio* אבדון abadon, quod ab hominum conspectu pereat, longeque remota sit.

## LEVI GHERSOM.

10 *Doctrina mala* מוסר רע musar rah. Castigatio grauis. Diuinæ semitæ desertor graui, acerbaq; castigatione indiget, vt instituatur: qui verò increpationes odit suomet malo inuolutus obibit, neque enim vsquam resipiscet. Vel etiam qui consentaneam deserit viam, quoad mores, vel opiniones praua institutione, vitioq; laborat; qui item obiurgationem auersatur, vt ante dixi, morietur.

11 *Infernus & perditio* Quomodo autem res æstimanti in mentem veniet Deum hominum corda, quod manca, vitiosaq; sint, perspecta non habere? non ne etiam infernus, & perditio multo humilioris conditionis ante oculos diuinos fuerunt, cum vniuersum moliretur? infernus enim est centrum circa quod versantur orbes cælestes. Ex quo necesse est, vt centrum etiam diuinæ curæ subiectum arbitremur. Infernus autem appellatur שאול seol, quod quemadmodum sepulchrum in humili terræ parte constituitur, ita cétrum absolute omnium maximè imum sit: Idem etiam appellatur אבדון abadon, quod remotissimum sit à mutatione, á noua nimirũ aliqua forma recipienda. Cum ergò terra extremam, humillimamq; sedem inter naturales formas obtineat, ideò locus ille à Salamone appellatur abadon. Perspicuum autem est mortalium corda aliqua ratione ad Deum referri, vt alibi explicatum est.

### Vers. XII.

12 Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. nec cum sapientibus ambulat.*

## A. ABEN EZRA.

12 *Ad sapientes* Sapientum domum non adibit, cum enim futurum putet, vt ab ijs arguatur, ideò ab illis recedit.

## LEVI GHERSOM.

12 *Non amat pestilens* Delusor institutionē non amat; qua etiam de causa sapientiæ amore non trahitur; atq; ideò sapientes non adit, vt ab illis sapientia imbuatur.

## Vers. XIII. XIV. XV.

13 a Cor gaudens exhilarat faciem: b in mærore animi deijcitur spiritus.

14 Cor c sapientis quærit doctrinam; & os stultorum d pascitur imperitia.

15 Omnes dies pauperis, mali: e secura mens quasi iuge conuiuium.

## VAR. LECT.

*a Syr. cor hilare pulchrum reddit corpus. b Syr. cor triste spiritum dolore afficit. c Syr. iustorum. d Syr. improba eloquitur. e Chal. cuius hilaris est animus. Syr. & iucundi omni tempore sunt quieti.*

## SALOM. ISAC.

12 *Cor gaudens* Si diuino cordi gaudium afferas illius semita amplectenda.

*Exhilarat faciem* idem Deus ergà te vultum beneuolum præseferet, votis tuis satisfaciens.

*in mærore animi* Quod si eidem dolendi ansam præbeas, spiritu per-

perturbato erga te se monstrabit, quemadmodum legimus, tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quē creaui &c.

*deijcitur spiritus* רוח נכאה ruach necheah .i. cupiditate aliqua vexatur.

15 *Dies pauperis mali* Etiam ipsa sabbata, & dies festorum solemnes; inquit enim Rabbi Samuel mutationem rationis viuendi exordium esse dolorum, quibus viscera excruciantur.

*secura mens* Qui animo iucundo est ob diuitias, quibus præditus est, quasi iugi conuiuio interesse videtur, cum omnia temporum interualla, & horæ iucundissimi conuiuij dies illi videantur, vt intelligamus vnicuiq; sua sorte gaudendum. Rabbini veró allegoricè hac de re commentati sunt.

## A. ABEN EZRA.

13 *Exhilarat* ייטב id est, deductum ex eo, bona adspectu .i. eleganti vultu q.d. vultum decorum reddit.

*deijcitur spiritus* Quod si animus dolore effractus sit, cum dolori succumbat, scientiæ compos fieri nequit.

14 *Cor sapientis* Animus verò prudentis, qui in hilaritate versatur, nec aliquo huius sæculi dolore cruciatur, sapientiæ studio vacabit.

15 *Dies pauperis* עני hani. Vox hæc deriuatiua est, significatq; eum, qui mærore se vinci patiatur.

*conuiuium* משתה mistech. Desideratur Caph comparationis particula, ad hunc sensum. Pauperis a diuitijs, & scientia imparati dies ærumnosi sunt, diuersa ratione a corde pacato, & hilari, quod veluti quodam conuiuio gaudeat, hoc est ita mens illius delectetur, quemadmodum qui singulis diebus potu, ciboq; diffluens voluptate perfunditur.

## LEVI CHERSOM.

13 *Cor gaudens* Cor hilaritate delinitum ad contemplationem rectè ineundam mirificè confert; cum verò ira, mæroreq; perturbatur, prosternitur, & dolet, Quamobrem gaudiū iræ præstat, vt ideò

4.Re.c.3.v.15 Eliseus psaltem adduci iusserit, quo voluptate animum demulceret, iuxta illud, nunc autem adducite mihi psaltem; cumq; caneret

Vide an Rabbini a suis deliramētis dissentiant. psaltes facta est super eum manus Domini. Illud etiam apud Rabbinos receptum est, Quo tempore Iacob ob Ioseph filium suum mærore, iraq; percussus fuit, Spiritu Sancto spoliatum fuisse, qui per id tempus in illo de more non requieuerit.

14 *Quærit doctrinam* Rerum sacrarum cognitionem prudens quærit.

*pasci-*

*pascitur imperitia* Ore ſtultorum fouetur cordis ſtultitia, quod a corde ad os ſermo progrediatur.

15 *Dies pauperis mali* Quicunq; imperitia laborans ſcientiæ indigus eſt, omnem ſuam ætatem infelicem tranſiget.

*Secura mens* Qui verò alta mente præditus intelligentis facultatis vi excellit, per omnem ætatem gaudio fruitur, ac ſi diebus ſingulis conuiuium exhiberetur; cum præterea aſſiduè torrente iucundiſſimæ ſuauitatis ſciendi rigetur.

## Verſ. XVI. XVII.

16 Melius eſt parum cum timore Domini, a quam theſauri magni, & b inſatiabiles.

17 Melius eſt vocari ad olera cum charitate: quam ad vitulum ſaginatum cum odio.

## VAR. LECT.

a *Chal. quam theſauri multiplicationis.* b *Chal. in quibus eſt turbatio. Syr. iniquorum.* c *Chal. prandium oleris, vbi eſt charitas.*

## SALOMON ISACIDES.

*Et in ſatiabiles* ומהומה בו mehumah vò ſtrepitus in eo. Quod omniũ voces conclament, theſaurum illum furto, violentaq; rapina coaceruatum eſſe, ad vim illorum, videre contritiones multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eis. Amos. 3. v. 9.

17 *Vitulum ſaginatum* שור אבוס ſor auus. Cuius os cibo obſtipatur, vt vel inuitus ſaginetur, cuiuſdẽ ſignificationis ſunt illa ברבורים barburim auuſim i. aues barbaricæ, ſeu altiles. Comparatur 3. reg. c. 4. v. 23 ergò qui poſſidet bouem ſaginatum cum altero pugillum afferente, cuius modicum illud præſtantius ſit, quam bos ſaginatus ſceleſti crimine acquiſitus. Vel etiam. Melius eſt conuiuium oleris indigenti exhibitum cum beneuolentiæ ſignificatione, cum ſcilicet hilari, beneuoloſq; vultu excipitur, quam cum eidem edendæ præbentur carnes pingues cum iurgio, & ira.

## A. ABEN EZRA.

16 *Theſauri magni* latrocinijs congeſti.

*inſatiabiles* ומהומה בו mehumah vò conſternatio, & terror in eo, Iud. 4. v. 15. idemq; ſignificat, ac illud ויהם perterruitq; Dominus Siſarã, vt ſit ſenſus.

sensus. Sceleratus præ ingentium diuitiarum tumultu homines consternabit.

17 *Melius est vocari* טוב ארוחת tou aruchath. melius est amicitiæ donum, quod bis repetendum, ob viaticum etiam, .i. præstat esui bonis altilis, vt quis ab altero ametur, quam vt saginato boue vescatur, & tamen alter alterum odio prosequatur.

## LEVI GHERSOM.

16 *Melius est parum* Longè præstant tenues facultates cum diuino timore, & iustè comparatæ thesauris maximis, congestis strepitu, & clamore, ob eorum lachrimas, qui vi, fraudeq; circumuenti sunt; nam tenues diuitiæ ad fælicitatem, & diuturnitatem spectāt, ingentes verò perniciem, extremaq; damna efficiunt.

17 *Melius est vocari* ארוחת aruchath. discubitus, conuiuium. Satius est, & Iucundius viro cum socia sua cum qua amore coniungatur vescioleribus, quam cum eadem bouem saginatum edere, si maleuolentia intercedat; ab illa enim excitantur rixæ, grauissimaq; damna inferuntur.

## Vers. XVIII. XIX.

18 Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, a mitigat suscitatas.

19 Iter pigrorum b quasi sepes spinarum: via iustorum c absq; offendiculo:

## VAR. LECT.

a *Syr. extinguit.* b *Syr. plenum est spinis. Chal. tribuli, & spinæ.* c *Chal. trita est. Syr. munda, & pura.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *Iracundus* Qui animi sui impetus non coercet, vt tardus irascatur miscebit lites.

*qui patiens est* Qui præceps non ruit in vltionem, & dissidia, iram mitigat, quæ se ipsa lenitur, & euanescit.

19 *Iter pigrorum* Inertibus sua via spinis septa videtur, nam משוכת mesuchath sepem significat, iuxtà illud, auferam sepem, eius חדק chadek item spinas demonstrat.

c *absq; offendiculo* סלולה selulah .i. trita, & absq; vllo impedimento. Illud autem est Agadæ commentum, via Esau est tanquam spina flos-

culis

culis lanæ implicita, quam si indè remoueas, aliundè emerget; ità nequit quispiam eorum manus euadere, nisi pecuniarum ope.

Iuste puniuntur ab Esau Hebræi, et male parta male dilabûtur. ps. 39. v. 14.

## A. ABEN EZRA.

18 *Prouocat* יגרה ieggareh irritabit, quod consentit cum illis ידך מגרת mitgarath iadecha, excitatione manus tuæ.

19 *iter pigrorum* Piger vbiq. scelestum significat. Spinarum ergò sepi inertis via circũdata videtur, ità vt ex ea se explicare nesciat.

*absq; offendiculo* סלולה selulah eleuata Desumitur hęc vox ex illis סולו סולו solu, solu, eleuate eleuate semitam. Alludit autem ad titulos præaltos, qui erigi solent in via, ne aberrent iter agentes. Est itē via obsignata, quod in ea sint indices alti ad iter rectũ capescendũ. Esai. 62. v. 10

## LEVI GHERSOM.

18 *Vir iracundus* Qui facile irascitur rixas feret, vbi pax est, & tranquillitas: tardus vero ad iras iurgia, litesque sedabit, pacisq. auctor erit.

19 *Iter pigrorum* Spinis obsita videtur desidis via ob difficultates, & ærumnas, quas illa obeunda experitur vbicunq. pedem defixerit.

*via iustorum* Qui in actionibus suis seduli sunt tritam terunt semitam, quam facillimum sit obire. Illud etiam hisce verbis insinuari placet. Iners in rerum contemplatione, qui congruam meditationem non adhibet, ità rem grauem ac difficilem peragere se existimat, ac si spinosæ sepi inambularet: id autem contingit cum dubia, nodosq. difficillimos reperiat in quæstionibus, ex quibus se explicare non potest, quod eos conatus non præmisserit, quibus eam cognitionem obtineret, qua vera à falsis distingueret: sapientis verò via regia & trita est, ità vt neque pede labatur, neque in itineris progressu offendat; hic enim in rerum indagatione congruis rationibus vtitur, eaque prius cogitat, quibus res declarari, veraq. à falsis secerni queant.

## Vers. XX. XXI.

20 Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo [a] despicit matrem suam.

21 [b] Stultitia gaudium stulto: & vir prudens [c] diriget gressus suos.

VAR.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. confusio matris suæ. b Syr. demens excors est. c Syr. recte ambulat.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *Despicit matrem suam* .i. in causa est, vt à cæteris illa despiciatur.

21 *Stultitia gaudium stulto* Ipsamet vecordia apud vecordes gaudij loco ducitur.

## A. ABEN EZRA.

21 *Dirigit gressus suos* ישר iciaser .i. rectum iter quærit, quod ineat.

## LEVI GHERSOM.

20 *Filius sapiens* Hic patrem gaudio perfundit, quod maiorem percipiat voluptatem ex absolutione sapientiæ eius, quam mater. *stultus homo* Cum verò ad virilitatem peruenit demens, matrem suam contemptui obnoxiam reddit, quod illi inprimis praua filij institutio tribuatur, qui apud eam in pueritia semper assederit. Vel etiam, quod magis probatur, insinuabitur, etiam matrem à stulto ludibrio haberi.

21 *Stultitia gaudium stulto* Excors sua stultitia gaudet, & delectatur, hoc est negotijs, rebusq. incumbit cõgruis causis prætermissis. *dirigit gressus suos* Prudencia pollens ad optata sua obtinenda ritè se comparat propterea quod opportunis adminiculis vtatur.

## Vers XXII. XXIII.

22 a Dissipantur cogitationes vbi nõ est consilium: b vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur.

23 c Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. irritas reddunt cogitationes qui honorem deferunt consessui. Chal. vbi non est secretum dissipantur cogitationes. b Chal. in multitudine virorum a consilijs confirmabitur consilium. c Syr. qui loquitur in tempore, bonum est ei. Chal. verbum in tempore suo valde est bonum.*

## SALOM. ISAC.

22 *Dissipantur cogitationes* Vbi consultatio non intercedit, cogitata optatum exitum non sortientur.

23 *Lætatur homo* Iuxtà litteræ sonũ hæc ita intelliges, Ob molle responsum, sermonisq; suauitatem virum in amoribus esse cæterorum. Rabbini verò hæc interpretantur de eo, qui studijs suæ lectionis vacet, si ore suo opportunum responsum præbeat, tunc enim id illi accomodatur, lætatur homo in sententia oris sui, item *sermo opportunus* nam qui de paschate & festis opportuno tempore rogāt, quam rectè id præstant?

## A. ABEN EZRA.

Hi duo versiculi copulantur.

22 *Consilium* סוד sod consilium proprie significat. Aliorum mente concepta labefactantur, quod consilium initum non sit: verum propter consiliarios rata, firmaq; erunt illorum cogitata, qui multos in consilio adhibuerint.

23 *Lætatur homo* Qui consulueritlætitia perfundetur, cum id eueniste animaduerterit, quod proposuerat.

*Sermo opportunus* Consultatione deliberatum cum opportuno tēpore contigerit, quam iucundum accidet ijs, qui consilio acquieuerunt?

## LEVI GHERSOM.

22 *Dissipantur cogitationes* Propterea quod arcani, consilijq; nulla opera in negotijs intercedat, cogitata irrita euadūt, nec suū finem sortiuntur: cum autem multorum opera vtimur maturè consulentium, qua ratione ad optatam metam perueniendum sit, res ipsa respondet cogitationi de re efficienda susceptæ.

23 *Lætatur homo* Gaudio vir perfunditur cum sibi rex, aut princeps aliquis sermonis gratia adeundus; sed operæ pretium est prius diligenter studeat, quo eius sermo opportuno sit tempore .i. ea præmittat, quæ iure præire oporteat; nam sermo in tempore quam iucundus?

## Verſ. XXIV. XXV.

24 Semita vitæ ᵃ super eruditum, vt declinet de inferno ᵇ nouissimo.

25 Domum ᶜ superborum ᵈ demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.

## VAR. LECT.

*a Chal. sursum intelligenti. Syr. est ascensus intelligenti b Syr. infimo. Chal. inferiori. c Syr. stultorum. d Syr. eradicabit.*

## SALOM. ISAC.

24 *semita vitæ super eruditum* למעלה למשכיל lemahlah lemaschil, Esai. 6. v. 2. eandemque vim habet, quam illud, & seraphim stabant desuper illum q.d. ante sapientem vitæ via exornata est, & rite præparata.

## A. ABEN EZRA.

24 *super eruditum* למעלה lemahlah .i. quæ superna est q.d. sapiẽs laborat, vt conditoris sui voluntati obtemperet, quo iter capere possit vitæ, quæ superna est, hoc est animæ, quæ desiderio flagrat redeundi ad Deũ, Inferni sedibus deuitatis in ima sede cõstitutis.

## LEVI CHERS.

24 *super eruditum* Vitæ via longè superior est erudito; quanto enim magis præstat id, quod intelligit, eo iucundior, & sublimior erit prouida illius cura. Quamobrem in suis contemplationibus ad sublimiora, & nobiliora prouehetur. Ista igitur vocantur à Salomone למעלה lemahlah .i. sublimiora, quæ dignitate præstant, cum cælestes orbes elementis sint nobiliores, quodq; in elementis superiorem obtinet sedem, dignitate etiam antecellat. Quamobrem via vitæ

vitæ ſapientis ſuperior eſt q.d. pertinere id ad hoc, vt mortalis recedere curet ab illo, quod infimum ſit .i. ab inferno.

25 *Domum ſuperborum* Solo æquabit Deus fortium domus : terminos autem viduæ firmabit, cuius cõditio maximè imbecilla eſt.

## Verſ. XXVI.

26 Abominatio Domini cogitationes malæ : & purus ſermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

## VAR. LEC.

*a Chal puri ſermones ſuaues ſunt. Sr. pura verba delectabilia ſunt.*

## A. ABEN EZRA.

26 *Cogitationes malæ* רע rah .i. ſceleſti cogitationes

*purus ſermo* טהורים tehorim Qui puri, ſinceriq; ſunt, reputantur vt argentum ab vniuerſis ſcorijs ſegregatum.

*ſermo pulcherrimus* אמרי נעם imre noham .i. eloquia ſuauia, quibus Deus delectatur.

## LEVI CHERS. A

26 *Cogitationes malæ* Mali machinationes Deo ſunt inuiſæ, quod exordia ſint labendi tum quoad mores, tum quoad animi ſenſa. Verba vero ſuauia, & iucunda labe carent, Deoq; accepta ſunt. Illa etiam poterit eſſe horum ſententia. Deteſtatur Deus improbi cogitationes, quod ſemper in improbitate voluten tur. Quæ verò animo verſant ab impuritate remoti nihil aliud ſunt, quam ſermones, qui Deo iucundi accidant.

## Verſ. XXVII. XXVIII. XXIX.

27 Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet.

Per miſericordium & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini, declinat omnis à malo, } *Deſiderantur in hebrao.*

28 Mens iusti meditatur [b] obedientiam: os impiorum [c] redundat malis.

29 Longe est Dominus ab impijs: & orationes iustorum exaudiet.

## VAR. LEC.

*a Syr. perdit seipsum qui munera accipit. Chal. perdit domum suam qui congregat mammonam iniquitatis. b Syr. fidelitate. Chal. meditatur in fide. c Chal. eructat. Syr. eloquitur.*

## SALOMON ISACIDES.

27 *Sectatur auaritiam* qui feneratur, turpiq; lucro vacat.

*Qui odit munera viuet* Cum munera refugiat, multo magis rapinas auersabitur.

28 *Obedientiam* לענות lahanoth responsionem .i. cogitatione versabit, & perspectum habebit, quid respondendum sit, antequam respondeat.

## A. ABEN EZRA.

27 *Qui sectatur auaritiā* Raptor domus suę direptionis causa est.

28 *Obedientiam* לענות lahanoth Mens iusti meditabitur, vt ad iustitiæ normam ius dicat.

*redundat malis* Tanquam fons malorum perennis est; praua enim eloquetur, vt ius peruertat: quamobrem ab impijs procul recedet Deus, votaq; iustorum exaudiet. Nec desunt, qui vocem לענות lahanoth numeri multitudinis esse velint a לענה lahanah .i. absynthiū sed id valde est alienum, cum lamed non habeat sceuā adscriptum.

## LEVI GHERSOM.

27 *Conturbat domum suam* Munera accipiens, vt ius dicat domui suę cladem infert, secus quam arbitraretur; qui verò illa reijcit, & aspernatur vita fruetur, stabilisq; conseruabitur, quòd soli Deo nitatur, nec in mortalium donis spem collocet.

28 *Obedientiam* לענות lahanoth idem hac ענין lehiniaņ .i. negotium. Iustus semper intētus erit cogitationi rei, & negotij, ex quo emolumentum capiat.

*Os impiorum* Perditorum sermo damna, calamitatemque veluti propria reddet, cum ad malum semper, vt cogitationes iusti ad bonum, instituat.

29 *Longe est Dominus* Impijs opem ferre, eorumq; voces admittere Deus negat: secus vero iustorum preces audit, quæq; optant concedit, quod argumento est, eorum precibus Deum aures præbuisse.

## Vers. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

30 Lux oculorum lætificat animam: ᵃ fama bona
impinguat ossa.
31 Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur.
32 Qui ᵇ abijcit disciplinam, ᶜ despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, ᵈ possessor est cordis.
33 Timor Domini ᵉ disciplina sapientię: & ᶠ gloriam præcedit humilitas.

## VAR. LECT.

*a Syr. cor hilare. b Chal. deserit. c Syr. odit se ipsum. d Chal. possidet sapientiam. Syr. comparat sapientiã. e Syr. fons vitæ. f Syr. laus humilis graditur ante eum. Chal. qui gloriosus est, sit humilis.*

## SALOMON ISACIDES.

30 *Lux oculorum* Qui in sacra lege oculorum luce excellit, cum de re aliqua rogatur in promptu habet quod scitè respondeat. Verum iuxtà litterę sonum, res oculis oblata sui amorem excitat, animumq; voluptate perfundit, mæroremq; demulcet, velut hortus virens, fluuiorumq; decursus.

33 *Gloriam præcedit humilitas* Sui demissio honoris, & glorię, qua quis cumulatur, est origo.

## A. ABEN EZRA.

Quatuor hi versiculi simul nectendi, eaq; explicatio adhibenda.

Lux

Lux quæ oculis hauritur cordi voluptatem affert: cum verò obiurgantem quis auscultarit, in quo vita sita est, & inter sapientes commoratus fuerit, tunc increpationes maius incrementum afferent, quam si bonum quodpiá audiuisset.

32 *Qui abijcit* Qui disciplinę studio imbuitur eam recondit, atq; animo seriat: qui verò ab ea abhorret, eam nudare, & euulgare videtur, desumpta significatione ex illis כי פרע chi paruha, quod esset nudatus q. d. qui abijcit sapientum castigationem, seipsum neci tradere optat.

*qui autem acquiescit* Qui auscultat obiurgationem ab illorum ore manantem fit cordatus .i. scientia, & timore Domini augetur.

## LEVI GHERSOMITES.

30 *Lux oculorum* Lux labore parata menti voluptatem, gaudiumq; affert; hæc enim cognitione rerum, quas contemplatione intelligimus summopere delectatur: mirifice idem afficitur mortalis ob honestam famam, ita vt pinguescat, ossaq; medullá repleantur: & deniq; gaudio hominis corpus pinguescere constat.

31 *Audit increpationes* Qui institutionem amplectitur, qua instruitur ad sapientiam comparandam, quæ est animi vita inter sapientes commorabitur, cum ita imbuatur, vt sapiens fiat, & cum sapientibus assiduam consuetudinem habeat. Vel etiam in medio sapientium commorabitur, vt ab ijs sapientiam hauriat.

32 *Abijcit disciplinam* Seipsum odit qui morum conformationē repudiat, cum absq; illa animus coronidem obtinere nequeat. Qui autem increpanti aures præbet fit cordatus, cum id sit primum sapientiæ comparandæ exordium.

33 *Timor Domini* A timore Domini ad institutionem admittendam in sapientia efformamur, quemadmodum sui abiectio, & contemptus ad honorem, gloriamq; reportandam iter sternit.

# CAPVT DECIMVMSEXTVM.

### Vers. I. II. III. IV.

1 *a* Hominis est animam præparare; & *b* Domini gubernare linguam.

2 Omnes viæ hominis *c* patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus.

3 Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

4 Vni-

4 *f* Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: *f* impium quoq; ad diem malum.

## VAR. LECT.

*a Syr. ab homine est consilium cordis. b Syr. a Domino sermo linguæ. c Syr. Chal. mundæ sunt in oculis sui ipsius. d Chal. dirigit vias eius. e Syr. Chal. omnia opera Dei sunt pro his, qui obediunt ei. f Syr. impius seruatur ad diem malum. Chal. impius seruatur in diem malum.*

## SALOM. ISAC.

1 *Hominis est præparare* Vir verba, consiliaq; sua animo disponit. *Domini gubernare linguam* בענה לשון mahaneh lascion responsio linguæ. Quando verò responsum parat, Deus illius verbis doctrinam impertit: vel etiam si ità meritus sit aptum responsum à Deo subministratur.

2 *Spirituum ponderator* Corda recenset Deus, quod rectum, quodué prauum sit.

3 *Reuela* גל gol deuolue, proijce. In Deum deuolue omnia quibus opus habes, & quæ cogitas feliciter succedent. Vel etiam. Preces ad Deum funde ob vniuersa, quibus indigebis.

*dirigentur cogitationes* firma erunt & diuturna, quæ cogitabis.

4 *Vniuersa propter semetipsum* למענהו lemahanehu ad suam laudē. Omnia operatus est Deus ad suammet laudem, atq; למענהו lemahanehu analogiam habet cum illis ענו hanu. Canite Domino in psal. 147. v. 7. laude, & confessione. Alia expositio למענהו lemahanehu ad testimonium sui. Hoc est vt de ipsomet Deo omnia testimonium perhiberent, quod opera diuina testentur Dei fortitudinem & maiestatē. Vtraq; autem hæc expositio habetur in commentarijs psalmi mox adducti.

*impium quoq; ad diem malum* Reseruat etiam deploratum in diem calamitatum, quæ omnia ad diuinam dignitatem, laudemq: pertinent.

## A. ABEN EZRA.

1 *Hominis est animam præparare* hic enim animo suo recte cogitationes ordinat, & disponit.

gu-

*gubernare linguam* מענה לשון mahane lascion sermo linguæ. Ad Deum spectat sermonem præbere, nam priusquam quis aliquid loquatur, id illi iam apertum est, iuxtà illud, non est sermo in lingua
psal.139.v.4. mea. Deus etiam eum perspecta habeat quæ mens exornat, quid etiam vir sit responsurus animaduertit, quod coincidit cum illis

*omnes viæ hominis* Viri ab impuritate segregati conatus patent oculis eius, hoc est diuinis, cum sit ponderator spirituum, quibus voluntati eius morem gerimus.

3 *Reuela* Sedulo attendentem alloquitur Deus, quasi instituta sua, & consilia eidem patefaciens: cum enim omnia Deus effecerit propter virum labe carentem, votis eiusdem annuit, & quando aliquid postularit, liberaliter id concedit. Quod si ei tua consilia aperias, quæ expetieris beneuole præbebit.

*impium quoq;* Particula quoque pertinet ad augendam vim petitionis viri integri q.d. etiam impium ad supplicij diem reseruat .i. exitio impius mulctabitur, ne puro, & insonti damnum inferat.

## LEVI GHERSOM.

1 *Hominis est præparare* Licet ad virum spectet res, ac verba mente disponere indigebit nihilominus diuino auxilio, vt verba sua ritè pronuntiare possit; quot enim sunt verba, quę licet scite mentę concepta, & ordinata essent, in pronuntiatione tamen confusa sint & perturbata?

2 *Patent oculis eius* זך בעיניו zach behenau mundę in oculis eius. Singula instituta sua labe carere vir arbitratur, vt. E. gr. noxa carens videbitur mortali via, qua facultas intelligens in res fertur, æstimatiuę autem praua, propterea quod, vt arbitratur ea vel delectetur, vel iuuetur.

*spirituũ ponderator* Opem verò prębens ad spiritus dirigendos, vt mens, & voluntas recto itineri insistat, est ipsemet Deus, cũ sua prouidentia probum seruet, ne fędis actionibus polluatur.

3 *Reuela* גל gol deuo'ue. Vniuersa quę agis ad diuinam seruitutem referto, & cogitata tua rectè succedent, Deo opem ferente, vt cupiditatum tuarum metam attingas.

4 *Omnia operatus est* Quęcunq. a Deo effecta sunt certum finem, emolumentumq; adiunctum habent. Cum etiam impium ęrumnis affici calamitoso die adspicies, hoc vtilitate non caret; mirificè enim confert, vt honestam vitę conformationem indè petamus.

### Vers. V.VI.

5 Abominatio Domini est omnis arrogans, etiam si ma-

si manus ad manum fuerit, non est innocens.

Initium viæ bonæ, facere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias. *Desiderantur in hebreo.*

6 [b] Misericordia, et veritate redimitur iniquitas: & in [c] timore Domini declinatur á malo.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. qui extendit manum suam in proximum suum non prohibetur a malis Chal. a malo non mundabitur. b Chal. benignitate, & veritate expiatur. c Chal. timor Domini auertit a malo.*

## SALOM. ISAC.

5 *manus ad manum non erit innocens* Superbe animum extollentis pęna quasi per manus infligetur.

6 *In timore Domini* Diuini timoris impulsu mala cauemus.

## A. ABEN EZRA.

5 *Manus ad manum* Manus Domini propter manum Impij. q. d. manus Domini hunc exterminat, propterea quod fraudulenta manu vtatur, ideò non erit innocens; pęnam enim criminosorum persoluet.

6 *Declinatur a malo* Timendo Deo nefaria auersantur.

## LEVI GHERSOM.

5 *Abominatio Domini* Arrogantia, & fastus turpissimum est vitium, Deoq. detestabile; cum pręterea grauissimæ calamitatis origo sit in rebus politicis, ac quędam præcipua causa, vt ab animo virtus, & absolutio arceatur. Quamobrem qui fędę huic consuetudini assueuerit malis assiduè implicabitur, nec effugiet repentinas calamitates, ne ijs obruatur. *De manu vult esse idē ac repente.*

6 *Misericordia & veritate* Qui ęquitatem & benignitatem amplexus fuerit beneficijs in cęteros conferendis, ei condonabitur pęna, cui prope obnoxius esse debuisset.

## Verſ. VII. VIII.

7 a Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad pacem.
8 Melius eſt parum cum iuſtitia, quam multi fructus b cum iniquitate.

## VAR. LECT.

a *Syr. in voluntate* Domini *ſunt viæ hominis; etiam eius inimico pœnas retribuet.* b. *Chal. ſine iudicio.*

## SALOMON ISACIDES.

4 *Conuertet ad pacem* ישלים אתו iaslim itto reconciliabit illi. Ob beneuolentiam, qua hunc Deus complectitur id reportabit, vt etiam hoſtes eidem reconcilientur.

## A. ABEN EZRA.

4 *Conuertet ad pacem* Inimicos ad pacis fœdus cum illis ineundum Deus adducet; vbi particula quoq; amplitudinem diuinæ beneuolentiæ ſignificat, cum ſit emphatica.

8 *Cum iuſtitia* Tenues diuitiæ honeſtè, iuſteq. congeſtæ longè præſtant ingentibus copijs, nefarie quæſitis.

b *cum iniqui.ate* quod in iudicijs iniuſtè ſe gerendo eas quis compararit.

## LEVI GHERSOM.

7 *Cum placuerint* Cum inſtitutio viuendi cuiuſpiam Deo accepta fuerit, idem ab illo ingruentia mala auertet: atq; eidem hoſtes reconciliabit, multoq; magis hunc tuebitur, nè pernicioſæ rixæ & diſſidia excitentur eorum, qui ante infenſi non eſſent. Non abs re etiam affirmabis, hiſcè diuinum auxilium innui, quo a Deo quoad opiniones iuuetur, inquit .n. cum Deo eius inſtituta placuerint ab erroribus ſubducetur, quoad rerum contemplationem: prætərquā quod hoſtes veritatis, i. quæ aduerſantur contemplanti conciliabit, qui quidem hoſtes nihil aliud ſunt, quam dubia, quæ in quæſtione contingunt ob repugnantes prorſus atque contrarias cogitationes: Huiuſmodi autē recōciliatio erit, cum dubitationum explanatio afferetur, perſpicuumq. fiet cogitationem illam veritati conſentire

stre in aliqua alia re. Atq. equidem haud opus est, vt commentationem illam, quæ cum veritate non congruat absoluamus, sed omnino ex animo amandanda, atq. eliminanda.

8 *Melius est parum* Præstantiores sunt tenues facultates iustè, laudabiliterq. partæ maximis prouentibus iniquè cumulatis .i. per vim, & rapinam, alijsq. nefarijs rationibus. Monent etiam ista quomodo nobis agendum sit in contemplatione, inquit enim, satius esse, vt pauca aliqua percipiamus, atq. ijs meditationem nostram ritè absoluamus, quam vt quam plurima absq. recta norma contemplationis assequamur; id enim nos in opinionem indagatæ veritatis adducit, qua prorsus careamus. Quod si etiam veritas emerserit, haud tamen consentanea ratione id efficitur, neq; id scientiæ descriptione comprehenditur.

## Vers. IX.

9 Cor hominis *a* disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.

## VARIÆ LECTIONES.

*a* *Chal. cogitat.*

## SALOM. ISAC.

9 *Disponit* יחשב iechaseu. Cogitat. Id vir excogitat, quo rectam ineat viam.

*sed Domini est* Dominus autem eiusdem gressus dirigit, iuxtà vulgatum illud, venit quis, vt mundetur, præsentem opem experitur.

## A. ABEN EZRA.

9 *Disponit* יחשב iechaseu Cogitat. Probus viam excogitat, quam sibi inire par arbitretur: Deus autem vicissim eiusdem gressus dirigit, ne labatur, atq. opem fert, iuxtà tritum illud, accedit quis, vt à labe purgetur, eidem auxilium præsto adest.

## LEVI GHERSOM.

9 *Cor hominis* Mens viri explorat quam viam opportunam in rebus gerendis inire debeat; sed cum cogitata præstare vult diuino eget auxilio, quo dirigantur gressus, & instituatur ad id, quod in præsenti negotio consentaneum sit, cum mortalis viæ suæ non sit conscius.

## Vers. X.

10 Diuinatio in labijs regis: in iudicio non *a* errabit os eius.

## VAR. LECT.

*a Chal. non mentitur.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *In labijs regis* Labijs sapientis ad iudicium ferendum assidentis diuinatio inest.

## A. ABEN EZRA.

Deut.18.v.10 [a] 10 *Diuinatio* קסם Keses. Desideratur Caph comparationis particula, atq. eandem vim habet, quam illa, diuinans diuinationes q.d. fatidicus, seu fata decernens. Hoc verò nomen diuinationis commune est decreto omni, quod ex astrorum iudicio fertur; atq; ita
Dan.5,v.11. גזרים ghezarim appellantur fatidici, & decretores, qui aliquid euenturum decernunt. Ea ergò erit sententia. Quemadmodum diuinatio res quædam est decreta, & instituta, ita regis labia dum ius reddit iusta decernere decet, nec quemquam suis verbis fallere.

## LEVI GHERSOM.

10 *Diuinatio* Sermo in labijs regis similis est diuinationi vera euulgāti; illum enim nulla res latet, ad quod quidem multa conducunt, tum quod regis negotia in illius regno à Deo regantur, &
hic cap.21.v.1. decernantur iuxta illud sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, & quocunq; vult inclinat illud, tum verò quod cũ quisq. ab eo gratiam inire studeat, non desit suggestor aurem vellicans, qui de singulis veritatem patefaciat. Quamobrem os regium in iudicio labi non poterit, nam vera, iustaq; decernet, eiusq; iudicia ad diuinam compacta normam videbuntur.

## Vers.XI.

11 Pondus & statera [a] iudicia Domini sunt: & opera eius [b] omnes lapides sacculi.

## VAR. LECT.

*a Chal. pondus & statera iusta a facie Domini sunt. Syr. bilances stateræ iudicium Domini. b Syr. omnia opera eius pondera veritatis.* SA-

## SALOMON ISACIDES.

11 *Pondus & statera* Declarant hæc pænas, & præmia mortalium actionibus paria referri.

*iudicia* Iustitia mortalium, & crimina à Deo velut pondere, & statera librantur.

*omnes lapides sacculi* Quemadmodum lapidum sacculi alius ponderis, mensuræq. grauioris est, alius leuioris, ita omnia iuxta viri actiones pensitantur.

## A. ABEN EZRA.

11 *Pondus & statera* Pondus, & pensitatio ad idem referuntur

*sacculi* Ad munerum pertinent.

*Domino* .i. propter Dominum, ille enim præcepit, vt pondere, & trutina iustum vnicuiq. tribuatur.

*opera eius* stateræ nimirum.

*omnes lapides sacculi* Quoniam siclus viginti obolis constabat, atque ideo nec maior, nec minor siclus erat futurus. Alia explicatio. Domini sunt, quod eorū æquitate, & rectitudine delectetur Deus.

## LEVI CHERS.

*Pondus* Dijudicatio itaq. qua sub contemplationem cadentia librantur, & statera iusti, & æqui, qua rectum, & futile discernitur, & pensitatur, Deo accepta referenda sunt, cum diuino auxilio opus sit ad hoc scitè, riteuè præstandum, ob multos errores, quibus labi cōtingit. Eadem de causa, Dei opus erunt pondera vniuersa in sacculo conseruari solita, quibus contemplationis seges perpenditur; recto enim ordine per ea instituimur, vt fallacem viam prætereamus, licet varij sint ordines, ob varia rerum genera, quæ contemplatione comprehendimus. Hæc etiam eo spectant, vt moneamur æquitatem ponderum, & trutinæ seruandam; Dei enim interest intelligere, an hæc æqualia & sincera sint. Quamobrem ab hisce vitiandis caueamus oportet Sed prior explicatio videtur commodior, iuxta quam superiora diuinatio in ore regis pertinebunt ad eam partem, quę in homine imperium obtinet, hoc est ad mentem. Ea verò regis appellatione decoratur, cum recte contemplatio ineatur, quādo cæteras animi, corporisq. facultates imperio coercebit, illæq; omnes eidem inseruient. Constat autem haud labi mentem cum propria, peculiariq; vi res comprehendit, neq; enim lapsus contingit in re, quę solius intellectus sit fætus, sed allucinamur in veritate expiscanda propterea quod sensuum, & intellectus opera simul intercedere debeat ad illam obtinendam, vt in libris de anima

ex-

explicatur. Quamobrem in iudicio non errabit os eius, quod mens actione propria, & peculiari iudicium ferat, cui explicationi aptissimè consentit id, quod in illa pondus & statera &c. adduximus, quod quidem hoc loco optimè quadrat.

## Verſ. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

12 Abominabiles regi, qui agunt impiè: quoniam iu ſtitia ᵃ firmatur ſolium.

13 Voluntas regum labia iuſta: ᵇ qui recta loquitur diligetur.

14 Indignatio regis, nuncij mortis: & vir ſapiens ᶜ placabit eam.

15 In ᵈ hilaritate vultus regis, vita: & ᵉ clementia eius quaſi imber ſerotinus.

16 Poſſide ſapientiam, quia ᶠ auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia precioſior eſt argento.

## VAR. LEC.

*a Chal. dirigitur, ſed forte melius firmatur. b Syr. verbum rectorum diliget. c Chal. extinguet. d Chal. in luce. e Syr. nubes ſerotina Chal. voluntas eius quaſi nubes in ſerenitate: ſed eſt error interpr. in Bib. Reg. nam pro* כביריתא *legendum in Syro* בכיריקא *nubes ſerotina, ſeu temporanea. f Chal. argento lecto.*

## SALOM. ISAC.

12 *qui agunt impie* עשות רשע haſoth reſah. Res prorſus deteſtabilis, & maxime indigna eſt, vt inique ſe gerat.

14 *indignatio regis* Regis indignatio eſt velut nuncius necem nuncians: vel eſt velut qui ad mortem inferendam a rege mittitur.

15 *in hilaritate* Qui à Deo benigno obtutu adſpicitur, quod quidem vita quędam eſt, vt ad eundem iter ſuum inſtituat neceſſe eſt.

*clementia eius* ורצונו retſonò beneuolentia eius. Beneuolentia, qua quis regi charus eſt, ita benefica eſt, ac nubes a qua imbres defluũt.

A. ABEN

# A. ABEN EZRA.

Quinq; versiculi hi coniunguntur.

12 *Regi* מלכים melachim reges . i. vnicuiq; regi .

15 *Imber serotinus* מלקוש malkos , imber seu pluuia . Hæc igitur ita exponito. Maximè decet regem virum nefarium auersari, si .n. iusta gesserit, solium eius stabilietur. Diliget etiam iusta loquentem, hoc est veridicum, probiq; sermonis rex amore complectitur.

14 *Indignatio regis* Regis autem ira est velut angelorum mortis indignatio, qui impios internitioni dedunt .

*placabit eum* Sapiens hanc sedabit, prorsusq; exterminabit .

15 *In hilaritate* באור beor in luce . In luce autem , qua oculis suis sapientem irradiabit vita continetur .

*clementia* רצונו retsonò, beneuolentia eius . Amor quo illum complectetur erit tanquam nubes imbrem infundens , à quo herbæ germinibus fœtæ reddantur .

16 *Possides* Quam verò præclarum, opportunumq; est, si sapientiā acquiras, qua regis ira deliniatur .

*Auro* מחרוץ Charuts. Rem certam, statamq; significat, ad normam illorum, quod decreuisti: aut erit nomen auri puri puti, cuius synonimum est כתם chethem.

# LEVI GHERS.

12 *Abominabiles regi* Humanæ igitur menti maximè inuisa est nefaria actio, tum quoad mores, tum quoad animi sensa ; morum enim improba consuetudo efficit, ne regni solium firmetur, sed vt animi facultates ab illius obsequio deficiant : Ex quo ab absolutione arcebitur, quæ admodum parabilis erat, & eius viribus par; praua autem actio quoad opiniones ob cogitationes , formasq; haud apta ratione in animum demissas ex ijs consentaneam potestatem in rerum cognitione ab intellectu non acquiri curat; iustitia enim, & æquitate stabile redditur solium, & principatus, quo hic in huiusmodi pollet, qui quidem si hiscè destituatur, nullum emolumentum percipit.

13 *Voluntas regis* Amant reges labia iusta, hoc est , qui priorum temporum historias veraci sermone depromunt, quod quidem sapientiæ maximè commodum est, cuius absolutio ob ea, quæ a sensibus petenda sunt nō nisi longo temporis decursu obtineri potest; ita vt mirum sit labentem hominum ætatem non sufficere , vt constat de astrologia, multisq; alijs naturalibus scientijs . Recto igitur sermone in amoribus est, cum id maximè conducat ad veritatem indagandam, quando sedula meditatione illi studemus .

14 *Indignatio regis* Quando igitur rex iste exardescit ob insigne studium, quod alicui rei impendit aliorum testimonijs nixus, quam postea ob aliquid sensu perceptum a veritate alienam censet ob testimonij fallaciam, huiusmodi ira est tanquam mortis nuncius, & mortales a via vitæ ad mortem traducit; cum hic labor ad sapientiā incassum sumptus videatur; sapiens verò hanc remouet, cum in rei exordio insigni ratione se exercebit; vt intelligat an pars parti cōsentiat; quod si alteram alteri repugnare animaduertat, eam amplectetur, quæ è multis verisimilior sit, vt intelligat cuiusnam partis testimonium sæpius adductum sit; nam illa veritati magis consentire videntur, quorum testimonia sæpius repetuntur; atq; ex ijs quæ testium auctoritate intellexerit, illa magis veritati congruunt, quæ sapientior vir testimonio suo roborarit. Ex ijs vero, quæ erroribus admixta cognouerit, cum nimirum ferè sensu id expertus fuerit, quo plus errore implicita sunt, eo magis prætermittenda, tanquam quæ a veritate sint maximè aliena. Alia etiam ratione sapiens huiusmodi iram aptè sedare posse videtur, cum nimirum postquam sensu percepit diuersum ab illo, quod auctoritatibus cōuincebatur, regredietur ad illa emolienda, ex quibus huiusmodi error inductus fuerat, atq; tū opera eorum, quę reliqua sint, tum quę sensu adeptus sit, ita quęstionem euoluet, vt ad veritatem inuestigandam tandem pertingat. Prudens etiam absolutiore ratione iram hanc remouebit; nam illi solemne est, vt rei tantum operam impendat, quę vera sit, & ab errore prorsus aliena. Quod si ex experientia error hic ortum habeat testis pene oculatus visa monebit.

15 *In hilaritate* באור beor in luce. In vultus regis huius luce cum res meditationis seges comprehenditur vitę immortalitas acquiritur. Beneuolentia verò, quę inter eum, & cæteras facultates ministras intercedit, nubi comparatur ex qua serotina pluuia defluat, cuius ope optatus fructus germinum, finisq; cōceditur, hoc est, hac ratione felicitatis vir compos fit, quę est fructus omniū optatissimus.

16 *Possideſapientiam* Pręstantius verò est sapientiam acquirere, quam aurum; prudentię item possessio argenti facultate pręclarior. Huiusmodi autem facultates cum sapientia, & prudentia nulla ratione ęquari posse declarat. Sapientia verò præstantiori rei comparatur, cum huius possessio nobilior, absolutiorq; sit prudentia, vt constat ex ijs, quę diximus, licet nonnunquam prudentia nobiliorē segetem habeat, & comprehendatur inter ea, quæ ad disciplinam, & institutionem pertinent. Atq; hæc prudentia est philosophia politica, quæ forte hoc versiculo insinuatur.

Vers. XVII.

17 Semita iustorum declinat mala: custos animæ suæ seruat viam suam.

## VAR. LECT.

*a Chal. est declinare a malo. b Chal. qui cauet animæ suæ.*

## A. ABEN EZRA.

17 *semita* Callis, quo mala cauere sciunt, iustorum propria, peculiarisq; est: qui vero sibi consultum vult, ne intereat, sibi consentaneam viam inibit, hoc est præceptorum, legisq; diuinę instituta.

## LEVI GHERS.

17 *Semita iustorum* Solemne iustis est, vt à malo recedant; prudēter enim in sua viuendi consuetudine se gerunt, atq; ità assuescunt, vt perniciosa caueant, tum in politicis, tum in meditationibus: qui autem se incolumem seruare vult, memorata ratione viam suam custodiat, oportet.

## Vers. XVIII. XIX.

18 a Contritionem præcedit superbia: & ante b ruinam exaltatur spiritus.
19 c Melius est humiliari cum mitibus, d quam diuidere spolia cum superbis.

## VAR. LECT.

*a Chal. ante interitum superbia Syr. contumelia, opprobriū. b Syr. ante morbum exaltatio spiritus. c Chal. melior est humilis spiritu, & mansuetus. Syr. humilis spiritu, & oculis demissis. d Syr. quam qui diuidit prædam cum fortibus.*

## SALOM. ISAC.

19 *Humiliari cum mitibus* Præstantius est cum mitibus, abiectéq; de sentientibus societatem contrahere, animoq; demisso cum illis versari, quam cum superbis opima spolia partiri.

## A. ABEN EZRA.

18 *Exaltatur spiritus* Est qui animum extollat, & inflet, sed præstat animum demittere, & cum humilibus versari, quam cum super-

bis partem spoliorum accipere; tunc enim idem fraudator effectus exitium non dissimile ab illis subibit.

## LEVI GHERSOMITES.

18 *Pracedit superbia* Exitij origo, & cladis, superbiæ, animiq; tumori accepta referenda est, quod ex profligatæ huius consuetudinis more satis planum est.

19 *Melius est humiliari* Vtilius vero est viro, vt animum demittat suum, & cum abiectè de se sentientibus, & mansuetis versetur, quā cū turgidis cōsuetudinem ineat, partemq; prædæ cum il is partiatur, quam reportarunt ex victoria belli, quod ob fastum illatū sit. Quod si quādoq; emolumentū aliquod ex fędo hoc more cōtingat, vt plurimum tamen mala ex eodem ortum ducunt: nam quod spolia diuidant, spectat ad vltionem; ita enim improbam hanc, abiectamq; consuetudinem familiarem habent, vt grauissima clades idcircò in eos incumbat.

## Vers. XX.

20 ª Eruditus in verbo reperiet bona; & qui sperat in Domino, beatus est.

## VAR. LECT.

ª *Chal. qui contemplatur in verbo. Syr. intelligens verbū.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *Eruditus in verbo* Qui animum rebus suis intendit, vt prudenter intelligat, & ad trutinā exigat sua instituta, bonorum compos fiet.

*qui sperat in Domino* Cum quis negotia sua perpendit, præceptumq; aliquod animaduertit, cui aliquid difficultatis, vel impendij pecuniæ insit, beneq; agit, beatus est .i, beatitatem inde reportabit.

## A. ABEN EZRA.

20 *Eruditus in verbo* Refertur hoc ad superiora, quibus cohęret q.d. Qui demissionis studio eruditur, vt alta de se non sentiat, bona reperiet; à Deo enim beneficijs cummulabitur.

*qui sperat in Domino* Qui in Deo spem collocat, nequaquam voluptatem capiet spolijs cum superbo partiendis.

*Beatus erit* Cum enim bonis insigniter circumfluat, beatus erit.

## LEVI GHERSOM.

30 *Eruditus in verbo* משכיל על דבר maschil hal dauar intelligens supra rem. Qui alicui negotio incumbit, diligenterq; attendit, quomodo in vnaquaq; re gerere se debeat, nec festinanter, aut temerè sua agit, bona assequitur; cum ità instituatur ad optatum finem obtinendum.

*Qui sperat* Qui autem, licet hæc ità se habeant, spe Deo nititur, nec causis, & rationibus industria sua aptè comparatis fidit, beatus erit; à Deo namq; ad cupiditatum optatam metam deducetur, etsi in adminiculorum apparatu forte errauerit.

## Vers. XXI. XXII.

21 Qui sapiens est corde, appellabitur ᵃ prudens: & qui dulcis eloquio ᵇ maiora percipiet.

22 ᶜ Fons vitæ eruditio possidentis: ᵈ doctrina stultorum fatuitas.

## VAR. LECT.

*a Chal. intelligens b Chal. addet disciplinam. Syr. addet scientiam. c Syr. fons vitæ est intelligentia ijs, qui agnoscunt eam. d Chal. disciplina.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *Qui sapiens* Qui sapientiam à præceptore suo hauserit, appellationem deniq; prudentis obtinebit, & a sapientia sua acumine ingenij excoletur.

*Dulcis eloquio* Cum autem sermonis sui suauitatem discipulis degustandam præbet, eosq; dulcedine perfundit ob rationes, & voluptatem sermonis, doctrinam amplificabit.

22 *Fons vitæ* Velut fons vitæ est mens ei, qui illa præditus sit: sacri enim contextus ea est expositio, intellectum, quo aliquis excultus sit, esse vitæ fontem.

*Doctrina stultorum* מוסר musar. Flagella. A suamet dementia verbera stulti reportant; hæc enim intelligenda sunt, stultos ab ipsa dementia castigari, ac vapulare.

## A. ABEN EZRA.

21 ***Sapiens est corde*** Cuius animo sapientia insederit.
***appellabitur prudens*** Qui etiam intelligat quæ non didicerit.
***Dulcis eloquio*** מתק שפתים metheK sephathaim dulcedo labiorum. Atq; ea est mens. Qui suauitatem labiorum, hoc est sapientiam voluptate perfluentem, iuxtà illud melle dulcius, assequutus fuerit, doctrina augebitur.
22 ***Fons vitæ*** Intelligens facultas est quædam scaturigo, ex qua vita dimanat illis, qui hac exornati fuerint.
***Doctrina stul. orum*** Dementiæ eruditio non nisi fatuitas est.

## LEVI GHERSOM.

21 ***Sapiens*** Qui animo suo sapientiam repositam abundè habeat, prudens appellabitur, cum sapientiâ ad prudentiam instruat, atq; etiam quoad rem ciuilem iuuet, vt eas artes amplecti quis sciat, quibus cum vniuersis amicitiam colat, & foueat. Licet verò consentanea ratione hæc animo suo constituerit, suauitate tamen sermonis maioribus bonis cumulabitur, quam sibi persuasisset; illa enim mortalium animos allicit, & deuincit.
22 ***Fons vitæ*** Sapientiæ igitur, & prudentiæ vitæ fons inest, quæ ab ijsdem communicatur, indè enim id emanat in quo tum corporis, tũ animi immortalis vita sita est. Et corporis quidē ob cognitionem rerum ciuilium, qua praui mores reijciuntur, malumq; ab hominum genere arcetur, ita vt non nisi emolumentum, & adiumentum ab ijsdem obtineatur. Vita verò perennis animi ex eo pendet, quod hoc adminiculum sit ad amplificandam inuestigationem in contemplatione, vt par est, quæ est origo veritatis indagandæ.
***Doctrina stultorum*** Stulti autem nullum alium habent institutorē, quam suammet dementiam, vt. E. G. cum aduersum aliquid stulto accidit, quod solerter adiumenta opportuna ad optata obtinenda non compararet ob dementiam suam, eruditior erit, cum enim altera vice eadem præstare voluerit, illa accuratè prospiciet, quibus primo neglectis detrimentum senserit, cum quæ cogitatione molitus fuerat, successu caruerint, sed enim vtilitas, quam inde percipit tenuissima est; demētia .n. efficit, vt in pari solū negotio, causaq; iuuetur, cum tamen multa alia superessent, quibus spoliatus felici etiam successu careat; horum autem nulla cura angitur, nisi postquam oculorum inuolucrum ablatum videbitur, ob ea, quæ experimento animaduerterit, id verò maximè alienum est, vt ad huius tantum peculiaris negotij metam feliciter pertingat. Sapiens au-

tem, & prudens in suis negotijs vniuersis vitæ fonte præditus est, in quo maxime a stulto dissimilis est.

## Vers. XXIII. XXIV.

23 Cor sapientis ᵃ erudiet os eius: & labijs eius addet ᵇ gratiam.

24 Fauus mellis, ᶜ composita verba: dulcedo animæ, ᵈ sanitas ossium.

## VAR. LECT.

*a Syr. cognoscet sermonem oris sui. b Syr. Chal. doctrinam. c Syr. sermo sapientis. Chal. verbum suaue. d Chal. & medicina.*

## SALOMON ISACIDES.

23 *Cor sapiẽtis* Sapiẽtis os à mente habet, vt rectè & eloquenter loquatur.

24 *Fauus mellis* ק״ר צופים Mellis suauitas.

*Verba composita* .i. Sacræ legis verba. Q. d. sacræ legis verba sũt velut mel suauissimũ.

## A. ABEN EZRA.

Nectendi sunt hi duo versiculi.

23 *Erudiet os eius* Sapiens sermone suo sapientiam, qua excultus est prodet.

*Addet gratiam,* Vt doctrinam cæteris patefaciat maiorem addet mentis solertiam.

24 *Fauus mellis* Desideratur particula cõparationis q. d. eloquia suauia, velut mellis fauus oblectant, & dulcedine perfundunt.

## LEVI GHERSOM.

23 *Cor sapientis* Quod ergo in sapientis animo efformatum fuerit eiusdem ore cæteris patefiet, verba enim consentient cum ijs, quæ mente meditatus fuerit, siue pertineant ad politicam consuetudinem, quod corde alteri quis honorem deferre nequeat, siue ad contemplationis materiam; hic enim ob singularem sapientiam, qua pollet ita sermonem instituere sciet, vt animo reposita sermonibus congruant atq; etiam in sermonibus ita se geret, vt ampliora obtineat, quam quæ in animo latebant, quod quidem contingit cum sermo animo destinatus vnicum tantum finem habeat; hic autem sermonem ita depromat, vt varios fines simul complectatur, singulique sint vtilissimi. Idem etiam alia ratio-

alia ratione euenit in ciuili consuetudine, nam præter verborum suauitatem, & oblectationem hoc emolumentum percipit, vt animos deuinciat, & in quamcunq; partem velit traducat. Idē etiam fit in contemplatione, quod sermonem delectabilem reddat ijs, quibus hic ornatus, elegansq; efficiatur.

24 *Fauus mellis* Verba suauia a sapientis ore dimanantia sunt velut mellis fauus facultati sentienti, quando illo vesci contingat, iucundissimus. Mel insuper præsens medicina est leniendis membrorum cruciatibus, cum contusa fuerint, si ijs imponatur, atque etiam alijs morbis maximè prodest: non dispari ratione sermonis suauitas intelligentem animam oblectat, & in primis confert ad aptam corporis constitutionem conseruandam, & ad improborum morum ægritudines depellendas.

## Vers. XXV. XXVI.

25 Est via quæ videtur homini recta, & a nouissima eius ducunt ad mortem.

26 b Anima laborantis, laborat sibi, quia compulit eum os suum.

## VAR. LEC.

a *Syr. viæ eius mortis semita.* b *Syr anima doloribus vexata sibi excruciatur, & ab ore eiusdem perditio eidem adducitur. Chal. anima laborantis laborem sustinebit, quia ex ore suo venit humiliatio.*

## SALOM. ISAC.

25 *Homini* לפני liphne coram viro. Arbitratur vir se rectum iter inire.

26 *laborat sibi* ad necessaria comparanda.

*compulit eum* אכף עליו achaph halau. Super illum incuruatur. Idest quando os eius incuruatur, ac cibum ad famem depellendam sumit eius labores in eundem redundant, cum vescatur ijs, propter, quę laborem impenderit.

## A. ABEN EZRA.

25 *Est via* Viro proponitur consuetudo, vt sermonibus suauibus & iucundis det operam.

No-

*Nouissima eius* Verum qui hanc deseruerit in mortis tramitem incidet.

*Deducunt ad mortem* דרכי מות darche maueth viæ mortis, quod multę, variæq; sint mortis causæ. Vel etiam eas rationes inibit, quibus ad necem adigatur.

26 *Compulit eum* אכף achaph in causa fuit. q. d. quod quis perpetuus sit in laboribus, efficitur ab ipsius ore, cum sermonum suauitatem non didicerit, vt è contra sapientia excultis eadem vitã affert.

## LEVI CHERSOM.

25 *Est via* Vir aliquis suam viuendi rationem rectam arbitratur, nec detrimẽta aduertit, quæ indè consequuntur, cum extrema illius à morte excipiantur: monetur ergò sapiens vt illam caueat.

26 *Anima laborantis* Sibi laborabit, quia labores subit, cum os incuruarit, & demiserit. i. cum ab edendi cupiditate, potusq. iucunditate os coercuerit, ita vt à sapientiæ studio, laboribusq; ob eandẽ ferendis ab huiusmodi cupiditatibus non auocetur, cuius quidem laboris fructus illi dumtaxat constabit, quod in diuitijs congestis nõ euenit, cum alter ab altero paratis fruatur, nec amplius quid obtinebit, aliudué emolumentum percipiet, quam vt ex illarum aspectu voluptatem capiat. Vel etiam. Cum quis assiduè desudat ob alimenta comparanda, sibi tantum desudat, cum ab ore suo tantum ad id incuruatus, & abiectus fuerit. Est ergò hæc quædam institutio vt mortalis à superuacanea ciborum copia abstineat, partemq. tantum sibi necessariam desumat: deindè verò, vt moderatione, parsimoniaq; quam maxima in facultatibus effundendis vtatur, deniq. vt ea paulatim sibi comparet, quibus absq. labore opportuna ad vitam transigendam subministrentur.

## Vers. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

27 Vir [a] impius [b] fodit malum: [c] & in labijs eius ignis ardescit.

28 Homo peruersus suscitat lites: [d] & verbosus separat principes.

29 Vir [e] iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.

30 Qui [f] attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficit malum.

VAR.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. calumniator. b Syr. machinatur. c Syr. & ab ore eius accenditur ignis. Chal. & in labijs eius ignis dat scintillas. d Syr. vanus insectatur amicos suos. Chal. susurro diuellit a se amicum suum. e Chal. rapto f Syr. innuit oculis suis, & praua cogitat, & labijs suis machinatur, & perficit malum. Chal. Qui annuit oculis suis, & cogitat peruersa, annuens labijs suis perficit malum.*

## SALOM. ISAC.

27 *ignis exardescit* כאש צרבת chees tsaraueth. Sicut ignis exardescens. Calamitas est tanquam ignis exurens ob impij labia .i. testis periuri, falsa asserētis. Vox autem צרבת tsaraueth idem est ac שורפת sorepheth .i. comburens, ad vim illorum, & comburentur in ea omnes facies. (Ezech. 20. v. 47.)

28 *verbosus* נרגן virgam .i. susurro sua obtrectatione & mussitatione, qua de alijs obloquitur orbis principem, & ducem Deum à se diuellit.

30 *Attonitis oculis cogitat* עוצה עיניו hotseh henau oculis innuendi significationem hæc habent, non dissimili sententia ab illis איעצה ihatsah innuam tibi oculis meis. (mens est qui oculis innuit ps. 32. v. 8.)

*Perficit malum* כלה chillah .i. ab eo malum absoluitur, cum eius opera profligata sint, cladesq; in orbem inuehatur.

## A. ABEN EZRA.

27 *Et in labijs* In singulis eorum labijs malum est, tanquam ignis comburrens.

28 *Verbosus* נרגן nirgat delator, vel qui versutè dissidiosa verba serit.

29 *Vir iniquus* Profligate se gerens.

*Lactat amicum*, Eum seduci t, vt suo exemplo perditè agat.

30 *Attonitis oculis cogitat* עוצה עיניו notsch hemau qui oculos suos claudit, Qui obstruit oculos, vt nefaria machinetur. Arbitror autem illa ויעצם עיניהו vaihatsem henehu clau dit oculos suos : item עוצם hotsem claudet oculos vestros, deriuari a verbo עצה hatsah, ita-ut Mem sit participij nota, nam iuxta linguæ canones dicendum fuis-

(Esai. 33. v. 15. ib. c. 29. v. 10)

fuiſſet עוצה אותם hotſeh otham, quod idem ſeruatur in illis, & ape- Exod. 2. 6
ruit ותראהו & vidit puerum, vbi litteræ הו affixi munus gerunt.

Hæc porro erit ſententia. Obturat oculos ſuos, ne mens poſt oculos diſtrahatur, quo libere ſcelerata machinari queat.

*Perficit malum* Crimina ad exitum perducit quemadmodum animo commentatus fuerat.

## LEVI GHERSOM.

28 *Vir impius* Vir Belial animo ſuo nefanda molitur; quod autem ab animo ad labia deriuatur argumentum eſt, quo malum corde latens cognoſcitur; quod quidem tanquam ignis exurens perniciem affert: atq; id perinde eſt, ac ſi dixiſſet, grauiora damna illius ore inferri, quam animo deſtinaſſet; ſermones enim ſuos ita diſerte promit, vt ex illis acerbiſſima damna conſequantur.

28 *Homo peruerſus* Mendax iurgia, liteſq; inter alios ſuſcitat: nec id ſatis videtur, niſi etiam calumnias, querelaſq; excitet, quo principem, & magnatem à populo diſiungat, hoc eſt, vt illos ad defectionem adigat.

29 *Vir iniquus* Hic blando ſuo ſermone ſeducit, vt eiuſdem cõſuetudinem amplectatur, atq; ideò ſermone illius in deuium iter adigitur.

30 *Attonitis oculos*, Qui oculos, aut illorum alterum claudit, vt melius nefariarum rerum, & mendaciorum cogitationi vacet, deinde verò cogitata prɇſtat labijs patefactis, ac ſermone habito, malum explet, & abſoluit; nec .n. ijs, quæ animo molitus fuerat pernicies aliqua illata fuiſſet, niſi verbis ea prodidiſſet.

## Verſ. XXXI. XXXII. XXXIII.

31 Corona ᵃ dignitatis ſenectus, ᵇ quæ in vijs iu-
ſtitiæ reperietur.
32 Melior eſt ᶜ patiens ᵈ viro forti, & qui domina-
tur animo ſuo, ᵉ expugnatore vrbium.
33 ᶠ Sortes mittuntur in ſinum; ᵍ ſed à Domino
temperantur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. pulchritudinis. Syr. laudationis. b Syr & in via iuſtitiæ laudatur. c Chal. lentus ira. d Syr. gi-*

 *ganti*

*ganti. e Chal. prouinciam capiente ſed forte eſt error interpr. in Bib. Reg. nam* מדינתא *vrbem ſignificat. f Chal. in ſinum conſilij cadit ſors. Syr. in ſinum impij g Syr. ſed a Domino procedit iudicium. Chal. & à Deo egreditur iudicium eius.*

## SALOM. ISAC.

31 *In vijs iuſtitiæ* Ob elemoſinam longam vitæ vſuram vir conſe quitur.

32 *Dominatur animo ſuo* Motus animi temperat, & ſuas propenſiones coercet.

33 *Sortes mittuntur in ſinum* Secum ipſe vir ſortem iacit. *ſed à Domino temperantur* ſed ad Dominum ſpectat partem, quam ul t cuilibet concedere.

## A. ABEN EZRA.

31 *Corona dignitatis* Senectus eſt tanquam glorioſum diadema viri capiti impoſitum.

32 *Melior* Duplici loco vſui eſt. Patiens melior eſt viro forti; fortis autem licet alios ſibi ſubijciat, iræ tamen ſuæ imperare nequit. Qui verò animo ſuo dominatur ſolus, melior eſt vrbium expugnatore, cum aliorum opera indigeat.

33 *Sortes mittuntur* Quando autem ſortes in ſinum mittũtur, qua ratione caſuræ ſint ad diuinum ſpectat iudicium, atq; eadem ratione à Deo quis habet, vt animi impetus temperare poſſit.

## LEVI CHERS.

31 *Corona dignitatis* Senectus igitur corona glorioſa eſt viro, cũ omnes ſingulari honore ſenes proſequantur; ad hanc.n. ætatem iuſtitiæ auſpicijs, moderationiſq; morum. & opinionum deuenitur, quibus qui caret immaturam mortem merito obibit. Vel etiam ea poterit eſſe mens horum. Senium in via iuſtitiæ dignitatis, ſplendoriſq; corona eſt, cum propter rectam morum, opinionumq; cõformationem, ac propter ætatem prouectam, qua hi gaudent ad altiorem gradum politicæ diſciplinæ, ſapientiæq; dignitatem prouehantur mortales; inueterata namq; ſapientia, diuturnumq; tempus prudentiam parit ob multa, quæ ſenſuum experimento probata ſunt, tum etiam ob longum interuallum, quo in ſapientiæ ſtudio deſudatum eſt: & deniq; cum in ætate matura naturę vis æſtuans conquieſcat, & ſedetur.

32 *Me-*

32 *Melior est patiens* Qui iræ suæ fræna scit inijcere, & tolerantia vtitur, præstantior est forti alium bello expugnante: qui verò volũtati suæ, cupiditatibusq; imperat, atq; ad optata sua obtinenda his facultatibus vtitur, laudabilior est vrbium debellatore; qua .n. ratione alteri imperabit; qui in animum suum imperium exercere non potest?

33 *Sortes mittuntur in sinum* Multa sunt, quæ fortuito, casuq; euenire censentur, quorum tamen ordo & cõstitutio verè à Deo pẽdet.

*In sinum* Sors mitti solet in sinum, quod eius ratio fortuita videatur cum tamen à Deo ita res constituta sit: atq; sortis ratio in narrationibus rerum prophæticarũ patet. Propè autem sensu constat, plerumq; fęlicibus, & fortunatis felicissima fortuna fortuito res contingere. E contra verò infortunatis infelicissimos euentus succedere. Inquit ergò Salomõ, vt arbitror, fortitudinem in bello, vrbiumq; expugnationem à Deo esse, vt ideò inde quis gloriolæ auram captare nequeat, morum autem conformationem, qua vir suo studio excolatur, ex suo arbitrio ortum habere, vt ideò glorię ansã maiorem habeat. Illud præterea accedit, quæ ex tolerantia dimanant solidiora, & firmiora bona esse, multoq; minori discrimini obnoxia, quã quæ ex fortitudine percipiuntur, quod idem contingit cum illo, qui animi moderationem adhibet, si comparetur cum vrbium debellatore; is .n. illud adipiscitur, vt se prorsus cohibeat, ne alteri detrimentum vllum inferat.

# CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

## Vers. I.

1 Melior est [a] buccella sicca cum gaudio, quam domus [b] plena victimis cum iurgio.

### VAR. LECT.

*a Chal. Panis siccus cum tranquillitate. b Syr. victimis iudicij.*

### SALOMON ISACIDES.

1 *Melior* Præclarè egit Deus, cum ciuitatem, domumq; suam deleuit, vt Israelitæ piaculis finem tandem imponerent.

*Quam domus* Cum ij in illa victimas iurgijs plenas offerrent.

### A. ABEN EZRA.

1 *Melior* Adiungendus hic versiculus duobus capitis superioris

extremis. Melior est ei, qui animum suum coercet arida buccella, cũ tranquillitate, quam domus plena iurgij, & dissidij, quibus assiduè ad iram concitetur.

## LEVI GHERSOM.

1 *Melior* Persequitur pacis laudes, dissidiaq; & rixas improbat. cum inquit, satius esse, vt sicco pane vescatur absq; vllo obsonio tranquillitate gaudens, quam si iurgijs, litibusq; obuolutus victimas, carnesq; ad satietatem comederet.

### Vers. II.

a Seruus sapiens dominabitur filijs ᵃ stultis, & inter fratres ᵇ hæreditatem diuidet.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. filio confusione afficienti. Chal. filio impudenti. Sed forte melius filio probrum concilianti. b Syr. diuidet lucrum.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *Seruus sapiens* Nabucdonosoreo dignitatis euectus est, vt in Israelitas actiones suas fœdè transigentes imperium exerceret, & coram illis spolia partiretur, eo quod trib. passibus ad Dei gloriam incesserit. Alia etiam explicatio. Aduena iustus melior est gentili profligato, qui quidem spolia, partemq. Israelitis parem desumebat, iuxtà illud, in tribu autem quacunq. fuerit aduena, ibi dabitis possessionem illi.

alludit ad fabulã de qua infra. Vetera transfiere. Ezech. 47. v. 23.

## A. ABEN EZRA.

2 *Filijs stultis* בן מביש ben meuis filius rubore suffundens. i. qui dementia sua pudorem conciliant.

*Diuidet* partem capiet.

## LEVI GHERS.

2 *Sapiens* Illud quoq. alicuius seruo contingit, si solers, sapiensq. sit, vt domini filio inertia, ac dementia laboranti dominetur, à suo n. domino præficitur curæ, & opportunæ eiusdem institutioni: sæpè etiam euenit, vt idem cum fratribus i. domini sui filijs partem sortiatur, cum ab hero animum agente præ beneuolentia, qua hũc amplectebatur, partem aliquã facultatũ hæreditario iure accipiet.

Vers.

## Vers. III. IV. V.

3 a Sicut igne probatur argentum, & b aurum camino: ita corda c probat Dominus.

4 Malus obedit linguæ iniquæ; & d fallax obtemperat labijs mendacibus.

5 Qui despicit pauperem; e exprobrat factori eius; & f qui ruina lætatur alterius g non erit impunitus.

## VAR. LEC.

*a Chal. conflatorium purum est ad argentum. Syr. conflatorio probatur argentum. b Chal. Caminus ad aurum. c Chal. scrutatur. d Chal. falsitas, & accusatio in lingua peruersa. Syr. iustus non audit linguam scelestorum. e Chal. prouocat iram creatoris sui. Syr. iram ciet eius conditori. f Chal. interitu. g Chal. non erit innocens. Syr. non reportabit misericordiam.*

## SALOM. ISAC.

3 *Sicut igne probatur* מצרף matsreph conflatorium. Vas quo argē-
tum expurgatur, quodq. conficitur ex cinere combusto suprà te-
stam figulinam appellatur מצרף matsreph .i. conflatorium.
*aurum camino* כור cur. Vox hęc significat vas, quo aurum depura-
tur, & à scorijs segregatur, velut olla confracta. Conflatorium igi-
tur ad argentum purgandum iuxta propriam artem, vt fornax ad
aurum defęcandum conficitur: sed .n. Dei est corda purgare, &
probare, illorumq. cogitationes introspicere.

4 *Malus* מרע merah .i. impius.
*obtemperat* מזין mezin idem ac מאזין maazin .i. Mentitor aures accomodat linguę perniciosę, & profligatę.

## A. ABEN EZRA.

Tria hęc copulanda.

3 *Sicut igne* Sicut ad argentum expurgandū est conflatoriū, seu

vas,

vas, in quo conflatur; ad aurum autem defęcandum est fornax, eadem ratione hominum mentes introspicit Deus, & noscit quisnam improbus sit, fraudesq; corde verset, quæ mox ab ore dimanent.

4 *Obtemperat* מזין mezin idem ac מאזין maazin .i. aures præbet.

5 *Qui ruina* Qui pauperis exitio lætatur non abibit impunè, singulis .n. tum iniquo pauperem subsannanti, tum ex alterius clade voluptatem capienti pænas Deus impendet.

## LEVI GHERSOM.

3 *Sicut igne* Est quidem argento vas, quo artificio mortalium à scorijs segregari queat, quouè probari possit quantum scoriarum eidem sit immixtum, quando aliqua pars ad trutinam librabitur, nec illi par pondus respondebit, cum leuius sit: auro etiam vasculũ non deest, quo purum putum reddatur; sed humana corda à nemine alio probari possunt, quam ab ipsomet Deo.

4 *Malus* Perniciosus iniquo sermoni, quo delectatur aures præbet, & mutua quadam conuersione mendax attendit, diligenterq; auscultat sermones nefarios, & à recta norma aberrantes, ita vt ex mendacio improbitas, ex improbitate mendacium sequatur.

5 *Qui despicit* Qui indigentem sannis excipit, quod inopia laboret, Deum probro afficit, cuius decreto id constitutum sit, quemadmodum qui opus aliquod irridet, opificem etiam illius ludibrio habet. Qui verò alterius pernicie gaudet impunis non erit, nam simili calamitate obnoxius erit.

## Vers. VI. VII. VIII.

6 Corona senum filij filiorum; & ᵃ gloria filiorum patres eorum.

7 Non decent stultum ᵇ verba composita; ᶜ nec principem labium mentiens.

8 ᵈ Gemma gratissima expectatio præstolantis: quocumq; se vertit prudenter intelligit.

## VAR. LECT.

a *Chal. pulchritudo Syr. laus.* b *Syr. labia fidelia. Chal. labium excessiuum, seu superfluũ.* c *Syr. nec iustum.* d *Ch. lapis gratiosus pulcher est in oculis possidentis illum.*

*lum. Chal. lapis muneris gratia est in oculis eius, qui tollit illum.*

## SALOM. ISAC.

6 *Corona senum* Horum diadema sunt nepotes, quos recto trami- ti insistentes adspiciunt.

*gloria filiorum* Parentes vero probos esse ad filiorum gloriam spectat.

7 *Verba composita* שפת יתר sephath iather .i. verba gloriosa, & superba.

*nec principem* אף כי aph chi quanto magis. Principem ergo quanto magis verba mendacia dedecent.

8 *Gemma gratissima* Quando mortalis ad Deum accedit, illumq; precum muneribus prosequitur, atq; resipiscit, id Deo veluti lapides pretiosi acceptum est.

*quocunq. se vertit* Omnium quæ à Deo postularit felix successus concedetur.

## A. ABEN EZRA.

6 *Corona senum* Nepotes .n. cum sapientia præditi sint, senibus honorem conciliant.

*Gloria filiorum patres* Qui nimirum sapientia sunt exculti.

7 *Non decent* לא נאוה lo nauah non appetuntur.

*verba composita* cum stultus non appetat consilium, quod ab ore sapientis prodit, quo ad dignitatem promoueatur.

*Nec principem* Verum nec principi illud est optandum, vt mentientis ore, vel sermone sit præditus, quemadmodum vecors id in votis habet.

*Expectatio* השחד hassocad munus.

8 *Gemma gratissima* Desideratur Caph particula comparationis, cui simile est illud, *manum suam misit ad clauum*, quod licet non sit huius loci, hic tamen explicabitur propter id, quod latet in voce Iud.5.v.26. תשלחנה lachna, misit, quæ est numeri multitudinis: cuius ea vis est. Quemadmodum miserunt manum suam ad clauum mulieres illæ commemoratæ in versiculo superiori, benedicta inter mulieres, si te geres vt illa, ideò maiore benedictione quam illa cumulaberis. Hic ergo locus Salomonis non est dissimilis. Sicut lapis preciosus eorum animas rapit, à quibus conspectus fuerit, ita munera domi- nis suis, a quibus nimirum missa fuerint, gratiam conciliant; cum .n. munus excipere nefas sit, qui illud accipit, muneris dominus dici nequit: suprà tamen in illis ne prohibeas bonum à domino suo, demonstratur qui recipit.

Vis ex eo prędet quod in hæbreo habeatur lapis preciosus est munus domini. hic 3.v.27.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

6 *Corona senum filij filiorum* Cum ament suam similitudinem, quæ in nepotibus perdurat. Neq; verò idem est de parentibus, cũ hic amor non ita redundet in auos, sed gloria filiorum sint ipsimet parentes.

7 *Non decent* Nebulonem magnificus, dignitatisq; sermo non decet; cum ita perdatur: multo verò minus principi consentaneũ est, vt vano, fallaciq; sermone vtatur.

8 *Gemma gratissima* אבן חן השחד euen chen assocad lapis preciosus munus in oculis domini sui. Munera igitur velut gemmæ gratissimæ accepta sunt ijs, quibus donantur, perindè ac si essent lapilli preciosi illis exornato gratiam conciliantes. Quarè cuicunq; rei se liberalis adiungat, felicissimè illa succedit.

## Vers. IX. X. XI.

9 Qui celat delictum, quærit amicitias: *a* qui altero sermone repetit, *b* separat fœderatos.

10 *c* Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

11 *d* Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. qui negat occultare. b Syr. amicos, & domesticos separat. Chal. separat amicum. c Chal. penetrat increpatio intelligentem magis, quam percutere stultum centies virgis. Syr. minæ cor sapientis opprimunt, & pro increpatione torquetur stultus, & non sentit. d Chal. verùm vir amarus quærit malum.*

## SALOM. ISAC.

9 *Qui celat* Cum in alterum quis noxam contraxerit, atq; ille huiusmodi offensam dissimulans, & occultans haud illam obiectat, neq; se iratum præsefert, mirum sibi amorem conciliat ab illo, à quo crimine petitus fuerat.

Qui

*Qui altero sermone repetit* Qui odium fouet, diutiusq. conseruat, atq. alteri exprobat, inquiens, hac, vel illa ratione te gessisti, hic inquam statim separat fœderatos .i. separat à se mundi dominatorem, & ducem Deum ipsum, qui illud præcepto cauit. Non quęras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Leuit. c. 19.

10 *Plus proficit correptio* תחת thecath. Vox ista accentum habet, quod in sacris litteris alias nusquam reperietur: Quarè arbitror esse nomen substantiuum, ac significare terrorem idem, ac חתת chatath. eaq. erit sententia. Demissio ob increpationem magis in cordato agnoscitur, quam in demente ob centum plagas, quibus vapularit.

11 *Iurgia quærit malus* Cuius verba virulenta sunt, & procacia semper malum quærit.

## A. ABEN EZRA.

9 *Qui celat* Qui amicum suum amore prosequi studet, etiam si aliqua ratione ab eo sit offensus, iniuriam dissimulat, nec eā diuulgat.

*Qui altero sermone* Qui verò rem iterat, vt altera vice crimine se obstringat.

*separat fœderatos* אלוף aluph .i. amicum præcipuum, qui te magis amet, quam tu illum.

10 *Plus proficit* תחת techath. Aliqui deducunt a verbo נחת nachath descendit sed tamen hoc alienum videtur.

11 *Semper* אך aph. Particula hæc ostendit quam parum roboris apud scelestos habeat obiurgatio, nam illa nihil prorsus iuuatur.

*Malus* מרי meri rebellis, vbi desideratur viri vox .i. qui defectionis reus est, cui Deus ipse pęnas infligere meditatur.

*Crudelis* qui nulla miseratione mouetur.

*mittetur contra eum* vt eum morti dedat.

## LEVI GHERS.

9 *Qui celat* Qui crimen occultat, quo ab alio læsus est, nec eius recordationem habere vult, studiosus est beneuolentiæ, quam ab altero sibi conciliat.

*Qui altero sermone repetit* Qui denuo aliquid præstat, & obiectat, separat ducem; memoria namq. criminū magna damna procreat, ità vt prauus hic mos à populo suo principem, & magnatem abalienet.

10 *Plus proficit* תחת thecath decidet. In prudentem cadit increpatio, qua erudiatur, maioremq. institutionis vim inde percipiet, quam stultus, licet centum plagis verberetur.

11 *Semper iurgia* Haud satis est, si verberibus inflictis institutionem improbus non admittat, nisi etiam in plerisq. negotijs nefarijs rebus inhians reperiatur; malus autem idem est ac contumax, &

rebellis, qui cum ob suam peruicaciam verbera patiatur, seq; graui calamitate premi animaduertat, obstinatus tamen in sceleribus perseueret; ex quo non mirum videtur, si id sortiatur, quod vehementer appetere videbatur; omnium .n. grauissima clade afficitur, cum mittatur à Deo qui ei plagam acerbissimam inferat, nec vlla pietate moueatur, propterea quod à Deo defecerit. Illa etiam erit versiculi sententia. Haud satis est ex obiurgatione nihil prorsus profecisse, nisi etiam defectioni assiduè inhiet: & licet sęuus angelus in eum immittatur, à quo horrenda flagella sustineat, criminibus tamen suis coronidem impietatis addit.

## Vers. XII.

12 Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quā fatuo confidenti in stultitia sua.

## VAR. LECT.

a *Chal. occurrit vrsus, & terror viro sapienti, non commouetur, & stultus in sua stultitia cadit. Syr. incidit cogitatio, & timor viro sapienti, & stulto stultitia sua.*

## SALOM. ISAC.

12 *Expedit magis* Viro magis expedit, vt vrsam orbitatem inferentem obuiam habeat, quam stultum quempiam ad superstitiosum cultum seducentem.

## A. ABEN EZRA.

12 *Occurrere* פגוש pagus. Occurrat quis potius vrso filijs orbato, non autem stulto dementia percito; is .n. vrso perniciosior est.

## LEVI GHERSOM.

12 *Expedit* Mente captum obuium habere cum dementia æstuat res est discriminis magis plena, quam vrsæ fœtibus orbatę occursus; facilius .n. a vecordis furore quis ad exitium adigitur.

## Vers. XIII. XIV. XV.

13 Qui reddit mala pro bonis, a non recedet b malum de domo eius.

14 Qui

14 [b] Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum:
& antequam patiatur contumeliam, iudicium
deserit.

15 Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, Leuit.
abominabilis est vterq; apud Deum.

## VAR. LEC.

*a Syr. non morietur. b Chal. Qui effundit sanguinem sicut aquam concitat iurgia. Syr. qui effundit sanguinem iudicium excitat ante principem. c Chal. antequam exardescat lis, dimittenda est.*

## SALOMON ISACIDES.

14 *Qui dimittit aquam* פטר מים poter maim aperiens aquam. Qui prior lites miscet, similis est foramen patefacienti in stagnantium aquarum uallo, & repagulis, per quę aquę effluant, hę namq. cum emissę fuerint, foramen per quod laxatę sunt, latius subindè efficitur, ità contentio vires, incrementumq. acquirit.

*Antequam patiatur contumeliam* התגלע hitghaleha patefiat. Antequam probrum, crimenq. tuum patefiat litem deserè.

## A. ABEN EZRA.

14 *Qui dimittit* פוטר poter. Aperiendi vim habet. q. d. Qui fontibus viam aperit, illorum aquę latius dimanāt, miscenturq. ità cum alijs, vt terram latè alluant: atq. eadem ratione litis exordium aquis comparandum est.

*antequam patiatur* התגלע hitgaleha .i. Antequam quis contentiosè ergà alterum litem suscipiat, opus est, vt eam dimittat. Alia explicatio. Sicut aquarum eruptio est litis exordium, quod quidem à paruis initijs ortum habet, verum latè excrescit.

*Patiatur* התגלע hitgaleha idem ac התגלות hitgaluth .i. reuelari. Antequam reueletur.

## LEVI GHERSOM.

13 *Qui reddit mala* Qui pro beneficio malum rependit, reus est, vt nunquam ab eius domo calamitas discedat, atq. id duplici de causa; primo quidem, quod illum cæteri beneficijs ornare non studeāt, ab illo malis bona compensari animaduertentes, quocircà cum in

eius domo malum versabitur, non recedet, nemine illud auertere curante: deinde verò reus hic est, vt à Deo iusta pœna plectatur ob huiusmodi fœdam consuetudinem, ob quam mortales bonis vniuersis careant; quod quidem contingit, cum vir sese Deo demittat ob beneficiorum copiam, qua à Deo iugiter cumulatur: quod si quis beneficos non agnoscat, nec etiam Deum recognoscet ob illa, quæ liberaliter elargitur: quamobrem repudiabitur Deus, ac probris sceleratissime, contumelijsq. petetur.

14 *Qui dimittit* Altercationis igitur, dissidijuè exordium simile videtur cum quis locum patefacit, ex quo aquæ perrumpant, a quibus foramen illud assiduo fluxu, & progressu magis, ac magis patefiat. Quæ cũ ita sint prætermittẽda sunt ea, ex quibus dissidia oriũtur, antequam lis suscipiatur; postea namq; in dies latius serpit, augeturq; ità vt sedari nequeat.

15 *Qui iustificat impium* Qui iustum decernit reum iudicio effectum; vel è contrà reum facit insontem virum, vterq: Deo prorsus est inuisus; illud .n. inprimis conuenit, vt à sceleftis nos cohibeamus, eorumq; actiones detestemur, cum ità maximè iuuemur, vt ab illorum imitatione abstineamus. Consentaneum pariter est, vt pijs, honestisq; viris nos adiungamus: atq; eadem omninò de causa eorum actiones laudibus prosequamur.

## Vers. XVI.

16 Quid prodest stulto *a* habere diuitias, *b* cum sapientiam emere non possit.

Qui altam facit domum suam quærit ruinam: & qui cuitat discere incidet in ruinam. *Desiderantur in hebrea.*

## VAR. LECT.

*a* *Chal. negotiatio.* *b* *cum non habeat cor ad comparandam sapientiam. Chal. qui non habet cor, neq; scientiam.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *Quid prodest* למה זה lamma zeh ad quid hoc? Ad quid in manibus stulti est pretium, & diuitiæ ad sapientiam addiscendam, hoc est ad sacræ legis cognitionem acquirendam.

*Cum non possit* אין לב veen leu non est cor. Cũm eam corde fouere, & conseruare nequeat; neq. legis studio vacet, nisi vt ad dignitates, atq. honores promoueatur.

## A. ABEN EZRA.

16 *Diuitias* מחיר mechir precium. Vt quid in manibus pretium habet stultus, quo sapientiam sibi comparare possit, cum corde careat .i. nulla illius cupiditate teneatur.

## LEVI GHERSOMITES.

16 *Quid prodest* Quorsum vecors sapientiæ vacabit, cum expers sit eius, quod illam recipiat, nec illi admittendæ sit aptus.

## Vers. XVII.

16 Omni tempore diligit qui [a] amicus est: [b] & frater in angustijs comprobatur.

## VAR. LECT.

*a Chal. socius. b Syr. frater ad tribulationem nascitur. Chal. frater ad tempus angustiæ natus est.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *Omni tempore* Semper socios diligito, vt ità tibi amicos compares.

*frater in angustijs comprobatur* יולד ijuualed. Edetur in lucem. Cum verò in angustijs versaberis, tibi amicus instar fratris gignetur, qui opem ferat, sociumq; calamitatis se tibi adiungat.

## A. ABEN EZRA.

17 *Omni tempore* Omni quidem tempore amicus amicum beneuolentia prosequitur, verum vt frater est qui diligit, quando res nostræ aduerso cursu ferri incipiet, non autem omni tempore.

*Comprobatur* יולד ijuualed gignetur. Iuxta linguæ canones dicendum fuisset תולד tiuualed voce verbi fęminea .i. cum nascetur calamitas.

## LEVI GHERSOM.

17 *Omni tempore* Siue felicis, siue aduersę fortunę tempore amicus amico adhęrebit; id .n. peculiare est amicitię legibus obstricti, vt amicum calamitate pressum ne ad momentum quidem deserat.

*Comprobatur* Qui alteri amicus efficitur in calamitate frater

ter potius est, quam amicus. Vel etiam. Amicus ab amico nunquam diuelletur, vt illius bonis simul gandeat, & opem ferat eidem in aduersis; frater autem non ita anxius est, vt felici tempore cum fratre sit coniunctus, sed in calamitatibus vehementer ad suppetias ferendas excitatur, natura ad id impellente, cum eadem compagine corporis, ossiumq; constet.

## Vers. XVIII. XIX.

18 a Stultus homo plaudet manibus cum spoponderit pro amico suo.

19 b Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat c ostium, quærit ruinam.

## VAR. LECT.

*a Chal. filius hominis indigens intellectu pangit manum suam, & spondet fideiussionem pro amico suo. Syr. præbet manus suas. b Chal. qui diligit peccatum diligit rixã. Syr. qui diligit iniquitatem, diligit iniquitatem, & oppressionem. c Syr. qui extollit portam sibi ruinam quærit.*

## SALOM. ISAC.

18 *Plaudet manibus* תוקע כף tokeah caph conferens manus. Fide iubens manum confert de pecuniarum solutione ab altero præstãda. Aliter etiam exponito. Stultus manum confert, vt leges amplectatur desiscentium a recta fide, cum anteà corã amico spopondisset .i. iam Deo vadimonio se obstrinxisset, se illius præcepta obseruaturum.

19 *Qui meditatur discordias* פשע pesah scelus. Qui in amicum nefaria machinatur, diligit rixas, contentiones .n. & iurgia sectatur. *Qui exaltat ostium*, Qui superbè, & arroganter loquitur, iuxtà illud, custodi ostia oris tui.

Mich. 7. v. 5. os & ostium dem.

## A. ABEN EZRA.

18 Adhęrent hęc duo q.d. Qui manum porrexerit, vt pro alio fide iubeat apud fęneratorem, excors vocabitur. Illud prętereà libẽter conabitur, vt ob sceleris, litiumq; amorem alter in litibus cum ipso versetur.

19 *Qui*

19 *Qui exaltat ostium* Innuunt hęc oris repagula laxata. q.d.Qui vocem extollit, quę est ostium sermonis,vt lites misceat,hic sibi extremam perniciem inferri curat,ostium autem os est ad mentem illorum,custodi ostia oris tui. Mich.a.v.r.

## LEVI GHERSOM.

18 *Stultus homo* Narrat in pręsentia sapiens, esse aliquod auxilij genus, ex quo non nisi bona quis se relaturum autumet, cum tamē ad extremum grauissimo detrimento indè afficiendus sit; quamobrem huiusmodi auxilium non nisi dementis erit. Si .n. quis fideiubeat se alienum debitum persoluturum, manumq; de more cum altero conserat ex eo fiet, vt qui in oculis ferebatur, inuisus fiat, illoque malo prætereà premetur, vt ei tota æris alieni solutio incumbat.

19 *Qui meditatur discordias* אהב פשע oheu pesah.Qui amat malum. Qui optat vitium deprehendere in ijs quæ dicuntur, vel fiunt,eaq; nimis anxie, & acute perpendit,dissidia,litesq; amat,cum indè rixæ gignantur.

*qui ostium* Qui attollit ostium suū,vt in rebus eam prospiciat rationem, qua se in sublimioris dignitatis sede collocet, ex quo fiat, vt in rebus crimen reperiat, se ipsum magnæ existimationis,dignitatisq; virum, summisq; honoribus dignum reputans, hic inquam suam quęrit perniciem;nam ita grauissima mala in se accersit,quod quidem eleganter hac metaphora ostium attollentis adumbratum est;contingere .n. potest, vt qui in sublimi ostium suum ędificarit, inde corruat,& confringatur.

## Vers. XXXXI.

20 Qui peruersi cordis est,non inueniet bonum: & a qui vertit linguam,incidet in malum.

21 b Natus est stultus in ignominiam suam:sed c nec pater in fatuo lætabitur.

## VAR. LECT.

*a Chal. qui peruersus est lingua. b Chal. qui generat stultum, mæstitia erit ei. Syr.qui gignit stultū ad confusionem suam. c non lætabitur pater insipientis.*

## A. ABEN EZRA.

20 *In malum* Quod nimirum perpetrare cogitabat.

21 *In fatuo* נבל naual nebulo. Qui fatuum sermonem deprimit.

## LEVI GHERSOM.

21 *Natus est stultus* Qui vecordem in lucem edit, id in suam perniciem præstat; labore.n. cumulatur ob illius dementiam, eiusq; vitia.

*Nec pater in fatuo* Cum fatuum, & nebulonem tum rebus gerendis, tum sermone se prodet.

## Verſ. XXII.XXIII.

22 Animus gaudens [a] ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.

23 [b] Munera de sinu impius accipit, [c] vt peruertat semitas iustitiæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. pulchrum facit corpus. b Syr. qui munera accipit iniquus est. c Syr. declinat enim viam iudicij. Chal. vt declinet a via iudicij.*

## SALOM. ISAC.

22 *Animus gaudens* Cum quis animo hilari, & sereno est, idem vultum nitentem, florentemq; efficit.

23 *Munera de sinu* Præpotens Deus de sinu impij munera verborum accipit clanculum inter se, & illum.

*Vt peruertat* Vt iudicium cui scelestus obnoxius erat à malo ad bonum traducat.

## A. ABEN EZRA.

22 *ætatem floridam facit* ייטיב גהה ieteu gheah benefacit vt medicina. Desideratur autem Caph similitudinis particula. q.d. Cor hilare pro suo munere corpus adiuuabit, ac si esset medicina, nam isti ius munus est, vt lætitiam gignat, morbosq; depellat, iuxtà i lud לא יגהה lo iigha non sanabit a vobis plagam Animus autem tristis, qui

Os. 5. v. 13. propter sæculi huius negotia ira afficitur, exsiccat ossa, quibus corpus nititur, nec aliquod adiumentum ex medicina percipitur.

23 *De sinu* Occultè munus accipit, vt à iustitiæ tramite, qui rectus est deflectat.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

22 *Animus gaudens* Ex animi hilaritate corporis iucunda forma redditur; cũ sanguis, calorq; à natura ingenitus latè per illius partes effundatur: animus vero deiectus, mæroreq; inuolutus secus quam lætitia præstet, membra exsiccat, & arefacit, recipiente se sanguine, & calore ad intimas corporis sedes. Ex quo aperte intelligimus, hilaritatem laudabilem, è contrà verò mærorem vitio non carere.

23 *Munera de sinu* Occulte munera accipit, ità vt à nemine id resciatur, atq; id, vt à iustitiæ norma recedat.

### Vers. XXIV. XXV.

24 a In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum b in finibus terræ.

25 c Ira patris, filius stultus; & d dolor matris, quæ genuit eum.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. vultus prudentis hilaris est in sapientia. Syr. facies prudentis intuetur sapientiam.* b *Chal. in profundis terræ. Chal. exasperat patrem suum.* d *Chal. exacerbat matrem suam.*

## SALOM. ISAC.

24 *In facie* Coram prudente, seu prudenti sapientia obuia, & facilis est.

*Oculi stultorum in finibus terræ* Ita vt inquias haud sapientia mihi parabilis est, cum à me lõgè arceatur: quomodo in manu mea erit, vt varios ordines legales recenseam, & comprehendam? sed .n. sapienti id facillimum est, qui modo duo capita, modo duo alia memoriæ commendat, & inquit, ità maiores mei se gesserunt.

25 *Ira patris filius stultus* Velut Ieroboam, qui Deo infensus eius iram exciuit.

*Dolor matris* Synagogæ Israeliticæ idem doloris acerbitatem intulit, quam in crimina protraxit.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur hi duo versiculi.

24 *In facie prudentis* Sapientia coram prudente est, cum eam præ cæteris vel ab vniuersis adipiscatur.

*Oculi stultorum* Stultus oculis discurrit, vt sapientiam in extremis orbis finibus inuestiget, cum alios regionum suarum dementes sibi similes arbitretur, ideoq; mærorem parentibus infert, cum in longinquas regiones transferre se velit.

## LEVI GHERSOM.

24 *In facie prudentis* Prudens facile sibi obuias sapientiæ rationes reperit, cum ex vniuersis, quæ existunt excitetur ad sapientiam admirabilem comparandam: cum etiam ob eam, qua pollet sapientiam, superiora intelligat. E contrà demens cum sapientiæ studio vacabit, oculos in finibus terræ intẽtos habebit, ratus illam ibidem solum reperiri: quamobrem totum se inertiæ dedit.

25 *Ira patris* Stultus patrem assiduè ira succendit, matriq; dolorem acerbissimum inurit, quod illorum institutionem repudiet.

## Vers. XXVI.

26 Non est bonum: damnum inferre iusto, nec percutere ᵃ principem, qui recta iudicat.

## VAR. LECT.

a *Syr. iustos, qui dicunt recta.*

## SALOMON ISACIDES.

26 *Non est* לא גם gam lo. Etiam nõ bonum. Haud a Deo dictum est, vt Israeliticum nomen prorsus aboleretur, cum eidem visum non sit, vt omnes exitio plecterentur.

*Nec percutere principem* Nec etiam Deo visum est, principes percuti, hoc est qui vitæ integritate inter eos excellerẽt, qui sunt principes & liberales ob æquitatem, iuxtà illud, & derelinquam mihi
3. Reg. 19. v. 18. in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal.

*Principem* נדיב nediu Quæ vox eandem habet emphasim quam
Esai. 32. v. 8. illa, liberalis liberalia consuluit, & ipse propter liberalia stabit, vbi נדיב nediu à liberalitate suam significationem desumit, liberalemq; significat.

## A. ABEN EZRA.

26 *Non est bonum* גם gam etiam. Cum superioribus iungitur, vimq; muneris exagerat, quod ab impio acceptum eundem ad mul

ctam

ctam insonti irrogandam adducit. Quare hæc erit series. Etiam istud non est cõsentaneum, vt iustus plectatur, mulctamq; soluat, vbi verbum ענש hanos efformatur à nomine substantiuo mulctæ. Nec etiam bonum est, vt principes verberentur, propter suam æquitatem.

## LEVI GHERSOM.

26 ***Non est bonum*** Nec verò satis est stulto, si ità se gerat, nisi etiam pro arbitratu mala præoptet etiam ergà eum, in quem id minime conueniat, itaut etiam iustum ob probitatem, qua excultus est puniat, principesq; percutiat ob suam integritatem, nam quisquis rectè agit, improbus illi videtur.

## Vers. XXVII. XXVIII.

27 Qui [a] moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & [b] preciosi spiritus vir eruditus.

28 Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur; & si compresserit labia sua, intelligens.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. qui prohibet verba sua noscit scientiam: b Chal. qui humilis est spiritu vir intelligens est. Syr. longanimis, & patiens sapiens est.*

## SALOM. ISAC.

27 *Qui moderatur sermones* Scientia excultus haud loquax est, vel sermone immodesto.

*preciosi spiritus* קר רוח Kar ruach. Qui sermonis parcus est, suaque moderatur verba, prudens est.

## A. ABEN EZRA.

Hęc inuicem connectenda, declarantq; silentij morem laudabilem esse. q. d. Qui verbis parcit, & silet, scientia præditus est.

*Preciosi spiritus* .i. doctrinæ. q. d. Doctrina eius preciosa est, & rara, vt è contrà vecors vniuersa, quæ scit, effundet.

28 *Stultus quoq;* Particula quoq; pertinet ad maiorem amplificationem laudum illius, qui sermone sit parcus, vt etiam stultus, qui silentio dat operam sapiens habeatur.

## LEVI GHERS.

27 *Qui moderatur* Vir igitur rerum cognitione præditus verba

continet,cum non loquatur nisi quando opus fuerit: prudens verò sibi gloriam animi,splendoremq; comparat ; neq; .n. multa magnatum consuetudine vtitur,nec loquax est,sed sermones preciosos esse vult, .i. raros,neq; tamen ob fastum hæc præstat, vitio .n. turpidiniq. adscriberetur.

28 *Stultus quoq.* Illud etiam emolumentum ex verborum parsimonia percipitur,vt per eam à viro quandoq; dementia pellatur, prudensq. pariter habeatur qui labijs suis claustra silentij imponit, nec garrulus sermonibus vacat.

# CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

## Vers. I.II.

1 ᵃ Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: ᵇ omni tempore erit exprobrabilis.

2 Non ᶜ recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris,quæ versantur in corde eius.

## VAR. LECT.

*a Chal. desiderium quærit separatus. Syr. & in silentio suo cogitat desiderabilia. b Chal. omne consilium deridet. Syr. bonam doctrinam deridet. c Chal. non vult stultus intelligentiam, sed in stultitia immoratur eius animus. Syr. stultus non amat sapientiam, quia cor eius stultitiam cogitat.*

## SALOMON ISACIDES.

1. *Occasiones quærit* לתאוה יבקש נפרד letaauah iebaches niphrad. Ob desiderium quærit separatus. Qui à Deo diuulsus est illius præceptis non obtemperans,cupitatibus,prauisq; animi motibus obsequitur:atq. ità tandem omni tempore erit exprobabilis .i. inter sapientes probrum suum prodet. Rabbini verò antiquiores de Loth id exposuerunt, qui à cupiditate sua abreptus se ab Abrahamo se-
Gen.13.v.1. iunxit,iuxtà illud,elegitq. sibi Loth regionem circa Iordanē, & recessit ab oriente, diuisiq. sunt alterutrum. Hic verò versiculus spectat ad declarandum eius incestuosum crimen, quod tandem in vniuersis cœtibus Israeliticis,& scholis euulgatum sit; Amonitas

.n. &

an. & Moabitas, qui ex nefario illo congressu ortum habuerant, inter Israelitas admitti nefarium erat, iuxtà illud non veniet Amonita, vel Moabita &c.

2 *Nisi dixerit* כי אם בהתגלות chi im beithgaluth nisi in reuelādo. Stultus hoc maximè delectatur, vt quæ corde suo latent in vulgus prodat.

## A. ABEN EZRA.

Adhærent hæc duo.

1 *Occasiones quærit qui vult* לתאוה letahauah. Propter desiderium nam Lamed significat propter.

*Vult recedere* נפרד niphrad huc, illucq; oberrans. Qui scilicet à sedibus suis diuellitur, vt sapientiam consectetur propter vehementem cupiditatem, qua flagrat eius obtinendæ.

*Omni tempore erit exprobabilis* בכל תושיה יתגלע becol tusciah ijtgaleha in omni sapientia se miscebit. Cum omnibus viris doctis miscebit se, & consuetudinem habebit.

2 *Non recipit* Stultus non delectatur, vt prudentia imbuatur, sed maxima voluptate perfunditur, cum eius cor manifestatur, hoc est dementia; patefit cum .n. cor, seu animus licet longè ab oculis remotus sit, proditur ob stultitiam, aut sapientiam.

Mirum quã à vulgata dissentiat Vult ergo A. Ezra eam adhiberi explanationem ob cupiditatem suã diuellitur vir a suis sedib⁹ vt cum doctis assuescat.

## LEVI GHERSOMITES.

1 *Occasiones quærit* לתאוה יבקש letaauah ieuakKes ob cupiditatem quærit. Qui contempationis rei separatæ, & simplicis, ad quã cupiditas rapitur, metam quærit, intelligenda omni lege intelligibili, quæ in singulis rebus latet, mirificè delectabitur; hæc .n. est perfecta contemplationis ratio, cum res ad sua principia, simplicesq; causas, à quibus ortum habet, reuocatur. Hæc etiam ita interpretari libet. Qui corporis cupiditatibus obsecutus ad aliquid expetendum trahitur, si contemplationi rerum separatarum vacet, in singulis licet facilia, ac probabilia sint dubius hærebit, ac illa placebunt, quæ aliena sunt, in ijsq; desudabit, quæ ad rem non faciant, cum non multum sit exercitatus in contemplatione rerum, quæ à mentis machinatione ortum ducunt, & plus æquo cupiditatibus corporis morem gerere studeat.

2 *Non recipit stultus* Vecors prudentiam non amat, nisi quando eiusdem inscitia, animusq. patefit; tunc .n. tantummodo vim prudentiæ magnam esse arbitratur, sed deinde ad sapientiam acquirendam, animoq; consignandam non excitatur.

### Vers. III. IV.

3 * Impius cum in profundum uenerit peccato-

rum

rum, [a] contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

4 Aqua profunda [c] verba ex ore viri: vt torrens redundans fons sapientiæ.

## VAR. LECT.

*a Chal. quando venit impius in stultitia. b Chal. venit & in ignominia, & opprobrio. Syr. venit super eum stultitia, & opprobrium, & calumnia. c Chal. os viri.*

## SALOM. ISAC.

3 *Sequitur eum ignominia* קלון חרפה Kalon cherpha.

Cū contēptu opprobrium .i. Ignominiosum est alicui, cum sibi probrum eligit, & scortationem.

4 *Aqua profunda* Fons sapientiæ est velut fluuius scaturiens, & aquæ profundissimę.

*Ex ore viri* איש &c. Vir. seu robustus. In sacris litteris cum viri vox vsurpatur, fortem, strenuumq́. significat, atq́. ob fortitudinem, magnum, & excellentem.

## A. ABEN EZRA.

3 *Impius cum in profundum* בבוא רשע beuo resah. veniente impio. Cum impius in lucē editur simul cū eo accedet contēptus, quo alios ludibrio habet, atq́. illis despiciēdis opprobrium, quo illos appetet, simul aderit. Sensus autem est, ex contemptu opprobrium oriri, quemadmodum flagitium est ansa flagitij.

4 *Aqua profunda* Verba sapientis sunt velut aquę profundæ, quæ pellucidę sunt.

*Torrens redundans* Qua ratione torrens assiduè aquas ebullit, ità scaturigo sapientiæ viri exhauriri nequibit.

## LEVI GHERSOM.

3 *Cum in profundum venerit* בבוא רשע beuo resah. veniente flagitioso, Adueniente scelesto simul etiam contemptus adest, solemne .n. illi est, vt alios flocci faciat. Præter contemptum vero, & ignominiā, qua is notatur ob fędas, ignominiosasq́. actiones, cæteris eadē contumeliosa affinget; maculas .n. & probra, quibus ipse laborat, cęteris etiam inuri curat.

4 *Aqua profunda* Verba sapientis ore prolata sunt velut aquę profundæ; nec .n. eorum vim, finemq́. facile assequi poterimus, nec ea

illorum arcana penetrare licebit absq; negotio; cum sint tanquam fluuius redundans, cuius aquæ nũquam vbertim emanare intermittant. Fons sapientię semper scaturigo perrennis erit, tũ quoad ista, tum quoad cætera. Quare sapiens maiori vi pollebit, vt maiora inuestigare queat. Nec ineptè dices insinuari sapientis animum, à quo cuncta dimanant; quo .n. plura ex illo profluũt, eò plura supersũt, quæ effluere possint.

## Vers. V. VI. VII.

5 Accipere personam impij non est bonum, a vt declines à veritate iudicij.

6 Labia stulti b miscent se rixis: c & os eius iurgia prouocat.

7 Os stulti d contritio eius: & e labia ipsius, ruina animæ eius.

## VAR. LEC.

*a Chal. neque declinare a iudicio contra iustum. Syr. neq; etiam peruertere iudicium in iustum. b Chal. adducũt illum in iudicium. Syr. ingrediuntur iudicium. c Chal. os eius perducit eum ad rixam. Syr. adducit eum ad mortem, d Chal. pauori est sibimet. e Syr. Illaqueat se ipsum labijs suis. Chal. labia eius sunt laquei animæ eius.*

## SALOM. ISAC.

5 *Non est bonũ* Non cõducit flagitiosis, vt allegoricè antiquiores Rabbini explicauerũt, eorum rationem haberi, dum in terris vitam degunt, cum futuro sæculo pænas criminum persoluant.

*Vt declines à veritate* Vtile autem iustis est, si cum illis quandoq; iniuste agatur, cum trutina iuris adulterata rei fiunt, adhuc vitæ vsuram habentes; hi .n. inter viuos noxarum suarum pænas reddunt; futuro autem æuo beatitudine perfruentur. Sed non est alius sensus, quam qui à simplici sacri contextus sono emergit.

6 *Labia stulti* Sermones vniuersi vecordis non nisi verbis contẽtiosis, & iurgiosis constant.

*Iurgia prouocat* למהלמות יקרא lemahalumoth iKra verbera vocat, Opifex est sibi, vt verberetur.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

Tria hæc simul nectenda, quorum hæc erit explicatio. Haud operæ precium est, vt in iudicio profligati ratio habeatur; ideò .n. iustus est nescius criminis.

6 *Labia stulti* Stultus autem .i. perditus ille, de quo fit mentio, cuius labia sunt in causa, vt litibus se immisceat, hic inquam ore suo ad litem adducitur propter percussiones, & verbera, hoc est, quod conclamarit ad sociũ percutiẽdũ, plagisq; afficiendũ. Quare os eius erit contritio .i. sibi ipsi exitium accerset, & labia eius erunt ruina animæ eius .i. sibimet cladem, offendiculumq; molita sunt, vt ideò illius non sit habenda ratio.

## LEVI GHERSOM.

5 *Non est bonum* Nefarium est, vt criminosi ratio habeatur in iudicio, quo insons iudicio perturbato causa cadat; si .n. iudex scelestum in iudicio honore prosequatur, iusto os obstrui contingit, ne opportuna respondeat, cum sibi persuadeat, iudicis animum parti secum in iudicio aduersanti fauere.

6 *Labia stulti* Stulti os lites, dissidiaq; serit, cum non nisi calumnias, contumeliasq; effutiat, idemq; plagas, grauiaq; verbera in se concitat, quibus vir perdatur.

7 *Os stulti* Huius sermones excidium, clademq; inferunt, & sunt ruina animæ eius .i. varijs rationibus lites serens sibi ipsi calamitatem procreat, grauiaq; discrimina subit, cum præterea præ vecordia, qua laborat sæpissimè cogitet in iudicio, in quo iusto aduersatur, vtilia se eloquuturum, cum tamen secus prorsus se res habeat, tum etiam quod ea patefaciat, quæ occultare oportuisset, ex quo male cedunt negotia, & quæ optabat.

### Vers. VIII. IX.

8 Verba [a] bilinguis, [b] quasi simplicia: & [c] ipsa perueniunt quasi ad interiora ventris.
Pigrum deijcit timor: animæ autem effeminatorum esurient. } *Desiderantur in hæbreo.*
9 Qui [d] mollis, & dissolutus est in opere suo [e] frater est sua opera dissipantis.

VAR. LECT.

a *Chal. susurronis. Syr. malefici.* b *Chal. dolore afficient illum.*

*illum. Syr. deijciunt illum in malum. c Chal. & deducent illum in profundum inferni. Syr. eadem illum adducunt ad mansiones inferorum. d Chal remissus in opere. e Chal. socius est viri dissipantis.*

## SALOM. ISAC.

8 *Quasi simplicia* כמתלהמים chemitlahamim, idem ac מהלמות mahalumoth Verba hæc sunt contusiones, & verbera.

9 *Mollis, & dissolutus* Qui à sacra lege se diuellens totum philosophię se tradit.

*sua opera dissipantis*.i. Satanæ.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur hæc duo.

8 *Quasi simplicia* כמתלהמים chemitlahamim. Quasi occulta. Sunt veluti verba abscondita, & inuoluta; verba inquam fraudantis.

*Ad interiora ventris*.i. ad animum.

9 *Qui mollis* גם gam etiam. Particula hæc pertinet ad maiorem rei declarationem q. d. Qui verbis vtitur susurronis, etiam ille remissus est in suis actionibus, ne illas absoluat, cum fraude vtatur.

*Frater est sua opera dissipantis* Frater est domini perdentis quæ in sua potestate sunt: dicitur autem frater, quod similis sit perdenti opus suum, iuxtà illud fecit fratrem .i. simile fecit, qui .n. male agit, peccantis frater appellatur.

## LEVI GHERSOM.

8 *Verba bilinguis* Delatoris sermo, qui gratis conqueritur, nec iniuriam passus lamentatur, compactus est ad normam eorum, qui se vulneratos, & mancos præseferunt, quo facilius aliorum pietatem in se excitent. Hæc ergò verba ità grauia sunt eis, in quos pronuntiantur, vt animi recondita penetrent, mensq; ob illa vehementer angatur, grauissimum .n. est, si turpe aliquid dixisse, fecisseuè insimuletur, cuius prorsus inculpatus, & nescius sit.

9 *Qui mollis* Ille etiam, qui desidia inuolutus operi vacat similis est ei, qui laqueis instructus sit ad mortales circumueniendos, quod quidem varia ratione contingit, tum quidem, quod qui opus alteri demandauit, speret futurum, vt illud ritè, & ad artis normam absoluatur, nec animaduertit quid ex illius artificis ignauia proueniat, quemadmodum qui laqueo implicatur, id non agnoscit, nisi quando est irretitus. Deindè vero, si sibi quis laboret, ob desidiam,

& oscitantiam artis fructum non percipiet, ex quo opus suum intermittere cogetur, quo ad vitam traducendam necessaria sibi paret. Tertio si opus hujusmodi ad virum, vt vir est spectet, si nimirum sit rerum possessio, quæ à mente pendent, inertia humanam mentem laqueis corporeis constringi, & eiusdem calamitatibus subesse curat. Atq; hæc opportuna visa sunt ad sacri contextus explanationem. Commoda verò, quę indè emergunt quam plurima sunt ob multa, quę in his latent, vt apertè constat ex singulis pronūtiatis. Generatim verò pars hæc continet, quæ spectant ad fugādam dementiam, impietatem, ignauiam, mendacium, dolum, odiū, vitium, sermonis copiam absq; vlla opportunitate, vel fructu, mœrorem, cęterorum contemptum, consilijq; auersionem.

## Vers. X. XI. XII.

10 [a] Turris fortissima nomen Domini: [b] ad ipsum currit iustus, & [c] exaltabitur.

11 Substantia diuitis, vrbs roboris eius, & [d] quasi murus validus circumdans eum.

12 Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur,

## VAR. LEC.

a *Chal. Turris fortitudinis nomen Dei.* b *Chal. in ea curret iustus.* c *Syr. & fortis.* d *Chal. quasi murus eleuatum est habitaculum eius. Syr. habitatio eius in muris fortibus.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *Et exaltabitur* Is qui à diuino nomine corroborabitur.

11 *Circumdans eum* במשכיתו bemaschito. in penetralibus, seu tecto eius. Diuitiæ ergò illius sunt in penetralibus tecti eius nam lapis, quo pauimentum domus sternitur, & tegitur appellatur אבן משכית euen maschit.

Mens auctoris est diuitię sunt in domo strata lapidibus pauimenti a סכך sacach.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur hi tres versiculi.

10 *Ad ipsum currit* בו ירוץ bo iaruts. in ipso curret. Diuini nominis

nis opè curret, Vel in ipso conteret hostes suos, licet ירוץ iaruts scribatur cum scurek, iunta illud ארוץ aruts. in te conteram exercitum. 1. Reg. 22. v. 30.
*& exaltabitur* Quo tempore cum hostis obsidebit ab illo superari nequibit.

12 *Sicut murus* Particula comparationis vim, vsumq; habet à superiori, eaq; erit expositio. Sicut turris fortitudinis, ità nomen Domini iusto in angustijs posito: opulenti verò facultates ei tanquam vrbs fortitudinis videntur, putatq; futurum, vt illarum ope exaltetur, quemadmodum iustus nomine diuino. Censet etiam diues tanquam murum editum opes suas in domo vndequaq; prospiciente, nam paraphrastes משכיה prospexit vertit דאסתכי.

# LEVI GHERSOM.

10 *Turris fortissima* Diuinum nomen est velut turris munitissima, cum ab illo viro robur, visq; tribuatur, ità vt à nulla re aduersa possit expugnari: securus item, & munitus idem erit, ne externo malo prematur ob singularem prouidentiam, atq; etiam cū vir ille singularem coniunctionem cum Deo habeat; nam pro virium suarum imbecillitate assequi studet rebus inditam legem intelligibilem, per quam ad Deum prouehimur, à quo ortum, naturamq; habuerunt in orbis molitione, cui quidem nititur cum nomen eius sit validissimum, vt explicaui in libro bell. Dei Iustus igitur ob munimentum, quo fulcitur, nomen nempè diuinum, excurret in cognitione eorum, quæ cupiet, seq. diuina ope iuuari experietur; ità vt singulari vi, & robore firmatum se intelligat quoad ea, quæ inuestigabat, multoq; magis illo, qui sibi ipsi nitatur, quod laborarit in apta causarum serie adhibenda, vt rem sequeretur, non tamen diuino auxilio innixus. Atq; hæc, quæ diximus magis opportuna adhuc intelliges ex ipsa allegoriæ ratione, nam cum deficere, debilitariq; soleat cursu mortalis, inquit tamen Salomon, futurum, vt hic corroboretur, & extollatur, licet rapido cursu latus fuerit, quod quidem veritati consentit, vt explicaui.

11 *Substantia diuitis* Diuitiæ opulento sunt instar vrbis munitissimæ, cum sibi persuadeat, vt arbitratur, ac peruidet, in ijs suum robur, & munimen situm esse; illæ inquam sunt tanquam murus sublimis; quicunq; .n. ad molestiam inferendam accesserit, illas anxie appetit. Atqui inter robur hoc, & illud, de quo paulo ante facta est mentio, planissimum est discrimen; superius .n. absolutum est; hoc autem non nisi quoad aliquid, & malo ansam, vt diximus, quãdoq; præbet, iuxta illud, & non audiet inops increpantis correptionem Quamobrem facultates robur non sunt, nisi ex opinione, & persuasione illas possidentis, non quod reipsa ita sint.

12 *Antequam conteratur* Animi elatio, & fastus; è contrà eiusdē

demiſſio gloriæ, & dignitatis eſt origo, quod ex ipſa horum morum natura abſq; negotio patet.

## Verſ XIII.

13 Qui prius reſpondet, quam audiat, a ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſio ne dignum.

## VAR. LECT.

a *Chal. ſtultitia eſt ei, & confuſio.*

## A. ABEN EZRA.

Deut. 28. v. 49 13 *Prius reſpondet, quam audiat* Cum quis prius reſpondet, quam intelligat, iuxtà illud, gentem, cuius linguam non audies, ideſt intelliges, dementiæ notam ſubibit. Vel eidem adſcribetur ſtultitia, & ignominia, qua ab illo, quem alloquitur, vel cæteris afficietur.

## LEVI GHERSOM.

13 *Qui prius* Qui ante reſpondet, quam intelligat, prorſuſq; perſpectum habeat, quod reſponſurus eſt, amentiæ, ignominiæq; notam non effugiet; nam aliquando ex eo dedecus reportat, quod futilia, nec ad rem reſponderit. Oportet igitur te rectè rem percipere, antequam reſponſum præbeas.

## Verſ. XIV. XV.

14 Spiritus viri ſuſtentat a imbecillitatem ſuam: ſpiritum vero b ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere?

15 c Cor prudens poſſidebit ſcientiam: & auris ſapientium d quærit doctrinam.

## VAR. LEC.

a *Syr. affectus, & propenſiones. Chal. infirmitatem, & ægritudinem ipſius.* b *Syr. dolore concuſſum. Chal. abiectum.* b *Syr. Cor mundum & rectum.* d *Syr. auſcultat.*

S A-

## SALOMON ISACIDES.

14 *Spiritus viri* Vir eſt, qui fortitudine præſtans animum a dolore ſubigi non patitur; ſed quæcunq. eueniunt hilari animo prudenter excipit.

*Suſtentat imbecillitatem ſuam* Vi ſua & virtute ſe ſpoliari non patitur.

## A. ABEN EZRA.

Adhęrent hi duo verſiculi, atq. ita explicandi. Anima viri ægritudinem tolerabit, corpusq. irrigabit, illa inquam, quæ ſapientia poſſeſſione referta dolores patienter ſuſtinet.

*Spiritum ad iraſcendum facilem* נכאה necheah. percuſſum. Hic eſt animus dolori, iræq. ſuccumbens ob huius ſæculi inania, quando ea obtinere nequibit.

*Quis poterit ſuſtinere* Cum deiectus erit ſpiritus, à quo corpus ſuſtentatur, licet in corpore conſeruetur, quis illum ſuſtinebit? Neq. vero ſpiritus hic quaſſatus ſapientiam adipiſcetur; prudentis autem animus ęgritudinem ſuam patienter ferentis prudentię ſuæ ope ſcientia cumulabitur.

15 *Auris ſapientium* Sapiens quę euenerint ęquo animo ferens, ſcientię vacare diligenter ſtudebit.

## LEVI GHERSOM.

14 *Spiritus viri* Non ſatis eſt animo virili, vt corpus proſpera valetudine conſeruet, & firmet, vt ritè actiones ſuas obeat, niſi etiam dum morbo laborat corpus, ægra valetudo reparetur. Quod ſi animus ipſe ita vexetur vt ſuccumbat, & langueſcat, quid illum recreabit? nec .n. aliquid eſt, à quo ille reparari queat; materiæ .n. peculiare eſt, vt ab alio regatur, non autem ipſa alia foueat: atq; ita corporis, animiq. actiones diſtinguuntur.

15 *Cor prudens* Prudentis mens rerum ſacrarum cognitionem ſuamet ope comparabit, nam ob ſingulare acumen, quo prædita eſt rebus inter ſe collatis aliam ex alia intelligit. Sapiens verò ſcientiam, auribus alijs præbendis, arripere ab illis ſtudebit, qui illa cumulati ſint, cum ſibi perſuadeat, haud ſibi vires pares eſſe, vt id ſuamet vi aſſequi poſſit,

## Verſ. XVI. XVII.

16 Donum hominis dilatat [a] viam eius, & antè principes [b] ſpacium ei facit.

17 Iu-

17 ᶜ Iustus prior est accusator sui: ᵈ venit amicus, & inuestigabit eum.

## VAR. LECT.

*a Chal. dilatat eum. b Chal. sustentat eum. Syr. constituit illum. c Chal. iustus est prior in iudicio suo. Syr. iustus est filius hominis in iudicio. d Chal. venit socius eius, & vincit eum. Syr. quando venit socius eius probat eum.*

## SALOM. ISAC.

*Donum hominis* Expositio litteralis non dissentit à verborum sono. Allegorica autem interpretatio pertinet ad eos, qui in pauperes facultates conferunt, quibus futuro æuo pars eadem amplificabitur: quin dum corporis ergastulis coercentur, ante magnates deducuntur, magnæq; existimationis viri prædicantur.

## A. ABEN EZRA.

Coniuncta est horum series.

16 *Donum hominis* Innuuntur munera, quæ alteri oblata quempiam ab angustia in latiorem locum educunt.

*Et ante principes* Eos nimirum, qui muneribus delectantur.

*Spacium ei facit* ינחנו ianchennu; deducit eum. Munus hunc ante principes deducit, ne in iudicio reus fiat.

17 *Iustus* Quem magnates insontem declararint.

*Prior* Qui munera obtulerat.

*Venit amicus* Etiam si accedat alter, qui in iudicio crimina in illum inuestiget, eum tamen reum facere nequibit.

## LEVI GHERSOM.

16 *Donum hominis* Cum viro ad magnatem ob sua negotia accedendum erit, si illum antè muneribus deuinxerit, plana, apertaq; erit via, qua ad eundem aditus pateat, vt præstet, quæ cupiebat.

17 *Iustus prior* Hac ergò ratione opus est, vt facultates opportuno tempore impendantur. Singularis præterea vtilitas percipitur ex eo, quod quis ad magnatem ingressus sit antè litis actoré, nã maiorem fidẽ adhibere solemus ijs, qui priores suam causam exposuerint: quo circà apud iudicem in iudicio innoxius erit, qui prior a ¹ eundem accessum habuerit, illo huius verbis fidem præstante.

*Venit amicus* Altero autem aduentante, qui repugnantia prorsus

ijs, quæ à priori dicta fuerant recenseat, illa iudex verisimilia non censebit, nisi post absolutum, diligensq; examen. Quamobrem à sacra lege cautum est, ne iudex actorem audiat antequam adsit alter, qui in iudicio conuenitur, cum inde fiat, vt animus iudicis in eum, cuius sermonem prius auscultarit, magis propensus sit, quod idem Salomon hoc versiculo voluisse videtur.

## Vers. XVIII. XIX.

18 [a] Contradictiones comprimit sors, & inter [b] potens quoq; [c] dijudicat.
19 Frater, [d] qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & [e] iudicia quasi vectes vrbium.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. contentiones. b Chal. fortes. c Syr. dirimit. d Chal. qui deficit a fratre suo. Syr. qui adiuuatur a fratre suo. e Chal. clausa quasi repagulo forti. Syr. serra eius sicut turris repagula.*

## SALOM. ISAC.

18 *Potentes* עצומים hatsumim. litem conserentes. Qui validis inter se rationibus vtuntur, causam vtrinque suam pro viribus con- Esai.41.v.21.
firmantes, iuxtà illud, propè facitè iudicium vestrum, dicit Dominus, afferte si quid habetis. In libris autem doctrinalibus ea formula adhibetur, qui in iudicio נתעצמו nithatsemu .i. firmis rationibus altercati sunt. Cum ergo illorum lites sint arduæ, & validæ, ideo ijdem potentes appellantur. Vox ergo עצומים hatsumim significat robur, atque etiam obturare, & claudere, iuxtà illud ועצם Isai.33.v.15.
vehatsam, & clausit oculos suos.

19 *Frater qui adiuuatur* אח נפשע ach niphsah: frater rebellis. Est frater qui ab altero fratre rebellis fit, qui etiam munitissimam ciuitatem sua defectione perdit, vt contigit Abraamo à Loth, Iacobo ab Esaù.

*Et iudicia* ומדינים midianim. Lites dissidia. Lites ergo, quæ inter fratres, intercedunt, ità eas dirimunt, ac disiugunt, tanquam vectis, quo palatij fores occluduntur, ne alicui ad illud aditus pateat.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur hi duo versiculi.

*Qui adiuuatur* אח נפשע ach niphſah. Frater rebellione petitus, nam ideò vſurpatur participium paſſiuum, quod iſte defectionis fuerit origo, fraterq; ab illo defectione ſit deſertus.

*vectis* Vocis huius vſus omnibus oſtijs eſt communis, atq; idcirco illius ſit mentio, quod oſtium robur nonniſi ex vectibus habeat.

*Urbium* ארמון armon. arx. Hæc igitur ità exponito. Inter fortes, & potentes ſors diuidit, nè inter ſe bella gerant, & licet in fratrem frater grauiſſime rebellarit, longeq; grauius, quam vrbs munita à ſuo rege deficiens, iuxtà illud, tunc receſſit & Lobna, licetq; contentiones fratrum tam ſint firmæ, quam vectes arcium, inter eos tamē ſors dirimet: meminit autem fratrum, quod inter eos, vt plurimum, ob paternam hæreditatem diſſidia oriantur.

3. Reg. c. 8. v. 22.

## LEVI GHERSOMITES.

18 *Contradictiones* Sors lites diſsidiaq; inter mortales ſedat, ob, quæ alter ab altero diſsidet. Eadem etiam fortes, & validos dirimit, efficitq; ne alter alteri damnum inferat.

19 *Frater qui adiuuatur* אח נפשע ach niphſah defectione fratris offenſus. Licet frater alterius defectione petitus ſit, eſt tamen illi vtilior, quam vrbs munita, opportuno neceſsitatis tempore opem ferens, eundemq; ſeruans: neq; verò tunc illi defectionis crimen obijciet, cum eadem corporis concretione vtraq; conſtet.

*Et iudicia* מדינים midianim lites diſsidia. Vir pariter, in quem frater diſsidia excitari, erit tamen eidem velut vectis palatij parietē parieti coniungens, quæ eſt quædam confibulatio, & coniunctio parietum, ædificijq; corroboratio: non diſsimili ratione hic erit in cauſa, vt frater ſtabilis conſeruetur, ac cauebit ne à validiori manu imminenti exitium ſubeat.

### Verſ. XX. XXI.

20 De fructu oris viri, replebitur venter eius; & genimina labiorum ipſius, ſaturabunt eum.

21 Mors, & vita in manu linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius.

### VAR. LECT.

*Chal. ſatiabitur*

## SALOMON ISACIDES.

21 *Qui diligunt eam* Qui linguam ſuam amat, diuiniſq; laudibus aſſueſcit, illius fructibus veſcitur, dum adhuc vitæ carceribus cohibetur.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

Connectuntur hæc duo.

*Comedent fructus eius* Referuntur hæc ad illa, ex fructu oris &c. q. d. Si malè loquetur, mors ei continget; sin autem rectè, vitæ compos fiet.

## LEVI GHERSOM.

20 *De fructu oris* Fructibus sermonis sui, siuè honesti, siue nefarij sint ad satietatem quisq; replebitur; nam prouentu labiorum saturabitur. Vis autem metaphoræ in eo sita est; eum nempe, qui blando, molliq; sermone vtitur, responsis suis alterius iram delinire, fructuq; sermonis non carere, cum à se malum arceat; qui verò dura verba habet, iram ciere, citoq; ingruente pernicie plecti.

21 *Mors & vita* Vtraq; in linguæ potestate sita est, vt diximus; qui verò sermone delectatur, procul dubio fructus ex illo percipiet pro vt rectus, improbusuè erit, vt memorauimus.

### Vers. XXII.

22 Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum: et a hauriet iucunditatem á Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, et impius. } *Desiderantur in hebreo.*

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. suscipit voluntatem suam a Deo. Syr. beneuolentiam.*

## SALOM. ISAC.

22 *Qui inuenit* Hæc intelligenda, vt ipsamet verba sonant. Vel etiam ita expones. Vir, qui bonam mulierem, vel bonum, ac beneuolentiam est adeptus, hic huiusmodi fauorem, & beneficium à diuina beneuolentia elicuit.

## A. ABEN EZRA.

22 *Qui inuenit* Nactus vxorem, quam expetebat, vt sibi esset opportunum, parq; auxilium, in bonum suum inuenit, Deo pro benignitate sua efficiente, vt illi adhæreat, quam idem statuerit.

## LEVI GHERSOM.

22 *Qui inuenit* Cuius facultates animi ità in ordinem redactæ sunt, vt subiectæ principibus seruiant, easq; amore complectantur: cum nimirum menti omni conatu suam operam præstent, hic bonū adeptus est; ita .n. perfectam viri absolutionem consequetur, & quę cupiebat obtinebit à Deo singulari prouidentia huiusmodi viri rebus consulente.

## Vers. XXIII. XXIV.

23 ᵃ Cum obsecrationibus loquetur pauper: & diues effabitur rigidè.

24 ᵇ Vir amabilis ad societatem, ᶜ magis amicus erit, quam frater.

## VAR. LEC.

*a Chal. deprecationes loquitur pauper. Syr. mollia loquitur, & lenia verba. b Chal. Sunt socij, qui associantur. Syr. Sunt amici qui sunt amici. c Syr. & est amicus qui adhæret magis, quam frater.*

## SALOM. ISAC.

23 *Cum obsecrationibus* Supplex loqui solet pauper, inquiens, ità, vel ità rem esse transigendam. Ex quo morum institutio desumenda est, vt nimirum, licet diues dura respondeat, pauper tamen supplici sermone vtatur, quod idem a discipulo ergà suum institutorem præstandum est.

24 *Vir amabilis* Cum quis sibi amicos assiduè conciliat forte tempus erit, quo ijs indigeat, qui quidem præsto aderunt. Quod si inquias, quęnam sit vis illorum magis amicus erit, quam frater ea satis plana est, nam hunc illi maiorem beneuolentia amplectuntur, quam fratres, aut affines.

## A. ABEN EZRA.

23 *Cum obsecrationibus* Cum àliquid à diuite pauper postularit, supplici sermone vtitur.

*Rigidè* עזות hazut .i. sæua, rigidaq; verba.

24 *amabilis ad societatem* איש רעים isc rehim .vir sociorum. Qui amicos conciliat, nam רעים rehim habet eandem formam, quam מיר signi-

significatq; societatem, ad vim illius, לְהִתְרֹעֵעַ lehitroheha. vel erit ex ordine quiescentium in fine, velut בָּאִים baim q.d. Amicos amore complectetur, vt secum amicitiam ineant, & associentur; nam amicorum aliqui maiori necessitudine obstringuntur, quam frater.

## LEVI GHERSOM.

23 *Cum obsecrationibus* Ab indigentia efficitur, vt pauperis lingua vitã obtineat, cum sermone ad pietatem excitante vtatur, atque ità tantum abest vt dissidia ferat, vt iram, iurgiaq; à se arceat.

*Diues effabitur rigidè* Opulentus verò suis facultatibus fidens, quas sibi tanquam munitissimam vrbem arroganter opinatur, sæua profatur, ex quo cladem sibi struit, cum honestè versari, & assuescere nequeat cum vniuersis, vt cum amicis par esset: quamobrem ab eorum beneuolentia excidit.

24 *Vir amabilis* Quandoq; inter amicos reperitur aliquis fratre coniunctior necessitatis tempore: atq; ideò operę precium est, vt quisq; multos amicos sibi paret, & beneuolos, non item multos sodales, & socios; cum inter amicos aliqui reperiantur, qui alium ament sola amicitia ducti, licet sodales non sint: ob sociorum vero multitudinem, aliquorum societas dissuitur, quo alterius partis familiaritas consequetur.

# CAPVT DECIMVMNONVM.

## Vers. I.II.III.

1 Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam a diues torquens labia sua, & insipiens.

2 Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est b pedibus, c offendet.

3 Stultitia hominis d supplantat gressus eius: & contrà Deum e feruet animo suo.

## VAR. LECT.

*a Syr. quam stultus cuius viæ prauæ sunt. Chal. quam ille qui peruertit vias suas, & ipse est stultus. b Chal. festinus est pedibus in malum. c Syr. peccat. d Chal. instabilem facit viam eius, e Chal. Cor eius murmurat. Syr. conqueritur corde suo.*

## SALOM. ISAC.

2 *Vbi non est scientia* Mortali commodum non est, vt lege careat.
*Festinus est pedibus* qui ats conculcat. Qui flagitio se obstring t illud pedibus ludibundus proterit, inquiens, haud ita graue hoc est; quamobrem ab eodem perpetrando non me continebo.

Fabulę quędam pręter missę.

3 *Stultitia hominis* Ob crimina, aduersis vir premitur; cum prae sua dementia consuetudines suas peruertat, criminaq; incurrat, quorum pœnas persoluat: cum vero calamitate vexatur, in Deum ira aestuat, & in diuinum iudicium machinationes molitur, vt constat de fratribus Ioseph, qui aiebant; quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus.

Gen. 42. v. 28.

## A. ABEN EZRA.

1 Coniunguntur hi tres versiculi q.d. Qui integritatis consuetudinem amplectitur, praestantior est peruerso, qui nimirum propter oris, sermonisuè prauitatem hanc appellationem sortitur.

2 *Vbi* גם gam etiam. Particula haec emphatica est, augetq; huius probrum, quod demens sit: q.d. cum facultas animi, qua quis intelligit expers est cognitionis, qua à nefarijs moribus reuocari possit, non bene res cedet.

*Festinus est pedibus* Qui verò ad rapinam festinabit, piaculi noxam subibit.

3 *Gressus eius* Industriam nimirum, artemq; eius, iuxtà illud opera gressuum tuorum.

*Contrà Deum feruet* Irascitur, tristatur, & cum vexatur, in Deo spem suam non collocat.

## LEVI GHERSOM.

1 *Melior est pauper* Qui ęquitatis, iustitiaeq; normã sequitur, licet inops sit, longè pręstat in diuitias spem omnem roburq; reijcienti, qui ideò ad mores, institutaq; flagitiosa amplectenda adigitur, cũ sibi persuadeat, diuitijs criminum suorum turpitudinem abolitam iri; atq; ità ratio explicari videtur, qua nonnulli opulenti ad crimina patranda adducantur. Vel etiam haec erit sententia, praestantiorem esse indigentem ritè contemplationis rationem ingredientẽ diuite obliquam intelligendi rationem ineunte, cum vecordia laboret. Vel etiam duplex dementiae genus insinuatur, cuius altero opiniones futiles, & a veritate alienae imbibuntur; altero verò rerum cognitione destituimur. Quarè haec ita expones, longe excellere inopem sapientia praeditum diuiti excordi, vt in libro Ecclesiastae declaratur.

2 *Vbi non est scientia* Cum quis peritia rerum spoliatus est, illud contingit, eius cupiditatem, & libidinem in id ferri, quod honestum

tum non fit: qui verò præceps cupiditatibus obsequitur, crimine se adstringit.

2 *Stultitia hominis* A viri demẽtia efficitur, vt negotia male succedant; cum aliquid vehementer optarit, quod accomodata ratione illa non sit aggressus, & post hæc, cum cogitata ex animi sentẽtia non absoluuntur, in Deum ira effertur, à quo plectitur, vt arbitratur, cum animo destinata irrita sint, nec id à dementia sua comparatum fuisse animaduertit.

## Vers. IV. V. VI. VII.

4 Diuitiæ addunt amicos plurimos: ᵃ à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.
5 Testis falsus non erit impunitus; & qui mendacia loquitur, ᵇ non effugiet.
6 ᶜ Multi colunt personam potentis: ᵈ & amici sunt dona tribuentis.
7 ᵉ Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper & amici recesserunt ab eo. ᶠ Qui tantum verba sectatur, nihil habebit.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. pauper segregatur ab amicis suis. b Chal. non liberabitur. c Syr. multi seruiunt ante faciem principis. d Chal. & malis dat munera. Syr. & ijs qui male agunt munera impendit. e Syr. omnes fratres. f Chal. vbi sunt qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residuum. Syr. qui insectatur verbis suis.*

## SALOM. ISAC.

4 *Diuitiæ addunt amicos* Quod multi diuitias ament. Idem etiam explicatur pertinere ad illum, qui sacræ legis studio vacet.

6 *Amici sunt* כל הרע col hareha. Omnis amicus. Omnes amicitiam contrahunt, socijq; efficiuntur.

*dona tribuentis* .i. Tum eius, qui eleemosinam impendat, tum etiam, qui studio assiduo sacræ legi operam suam nauet.

7 *Insuper &* אף כי aph chi multo magis. Multo verò magis à socijs, sodalibusq; longè recedent. *Qui*

*Qui tantum* Cum quis hunc, vel illum sibi affinem, vel amicum iactat, verba, quæ in auras euanescant, vsurpat. Atq; hęc pertinent ad inopia laborantem, quoad legis peritiam, rectisq. actionibus destitutum, qui ea persequitur, quę non sunt; cum .n. legis mentem proferre volet, ob rerum ignorationem id rectè præstare nequibit. Medras autem hæc explicat de Ioseph qui apud parentem fratres suos ignominia notabat, quos viuentis artubus vesci insimularet, vt ideò eorum maleuolentiam incurrerit. Is ergò pauper appellatur, quod mendacia fratribus affingeret, & in nullius momenti rebus versaretur.

Meræ nugæ, & fabellæ ex Berescit Rabba.

*Nihil habebit* לא המה lo emmah legendum est לו lo .i. illi.

*Et qui sectatur* Qui nimirum ex rebus emolumentum percipere studeat. Porrò לו lo illi, ad Ioseph refertur, quod in eundem redundaret calumnia; nam cum fratribus imponeret, hos viuentium membra edere, sacræ litteræ suo testimonio ijs suffragantur, nam etiam sceleris tempore, quo Ioseph diuenditus est, hos hædos iugulare solitos testantur, iuxtà illud, & iugulauerunt hædum caprarum. Idem etiam hos ancillarum filios adspernari calumniabatur, atque ideò in seruitutem venundatus est: & denique illos in alienigenas mulieres oculos conijcere criminabatur, sed Deus inquit, adhuc te viuente crimen hoc in te reuoluam, quamobrem inquit sacra historia, iniecit Domina sua oculos in Ioseph.

Gen.37.v.31.

Gen.39.v.7.

## A. ABEN EZRA.

Pendent inuicem quatuor hi versiculi, in quibus laudes celebrātur in pauperes piè se gerentium, & ignominia diuitias suas profundentium in sceleratos declaratur.

4 *Addunt amicos* Opulento diuitiæ amicorum numerum augēt.

*A paupere autem* Quod si inopia laboret, ab amicis segregatur; hunc enim alter amicus ità a se arcet, vt tandem ab eo separetur. Nec ineptè dices, hunc esse testem periurum, qui idcircò ad inopiam redigatur.

5 *Non erit impunitus* לא ינקה lo ijnaKeh. non erit immunis .i. nō effugiet pænam.

*loquitur* יפיח iaphiach. Sermonem vox hæc significat.

6 *multi* רבים rabbim. Magnates, nō dissimilis vox ab illa, Opimates regis .q.d. Munificus autem, cuius animus liberalitate excultus est pauperibus diuitijs impendendis, adeò dignitate extolletur, vt magnates eum rogent, quo suppetias ferat, vel beneuolentiæ necessitudinem non deneget; cui consentiunt illa, in muneribus vultum tuum deprecabuntur.

Ierem.41,v.1

Ps.45.v.13.

*Et amici* Vniuersi socios se liberali adiungunt, à quo munera reportent.

7 *Recesserunt* רחקו rachaku. Vox hæc multos significat sigillatim

coa-

coalescētes; nam vox מרעהו merehehu singularis est, ità vt sit sensus singuli siggillatim recedūt, vt omnes prorsus procul abeant.

*Qui tantum sectatur* מרדף meraddeph. Vox hæc transitiua est ad agentem, auctoremq́. rei, quæ efficitur; pauper n. est agens, qui curat sectari; verba sunt illa, quæ ipse persequi, & consectari iubeat; fratres aut amici sunt, quos verba petunt, iuxtà vim illorum, & inimicos eius insectabuntur tenebræ: item illud, & insequuta est amicos suos. Series autem rei pendet a superioribus, nimirum ab illis, & a paupere amici eius separantur. Omnes ergò fratres indigentis illum inuisum habent, multoq́ etiam magis amici, qui iam ab illo recesserunt, cum antea familiariter cum illo versarentur, quod munera reportarent. Pauper ergò est, qui præcipit, vt nuncij, hoc est verba sua eos insequantur, quo fortassè amici ad pristinam necessitudinē reuocentur.

*Nihil habebit* לא המה lo emmah. non ipsi. Haud ipsi eidem aures præbent.

## LEVI GHERSOM.

4 *Diuitiæ* A facultatibus multi amici diuiti conciliantur, quibus ille suâ opulentia prodest: inops autem tantum abest, vt amicos sibi comparet, vt ab indigentia sua ab ijs, quibuscum amicitia deuinctus erat alienetur, quod ijs careat, quibus ad mutuam amicitiā colendam, & conseruandam iuuetur.

5 *Testis fallax* Qui suo periurio scelus affinget inculpato, criminisq; reum faciet, non euadet pænam, quæ idcircò à Deo seuerissimè repetetur, quod idem cum eo factitur, qui mentiri vult, cùm idcircò ærumnas grauissimas incurrat, vt diximus.

6 *Multi colunt* Liberalitas est optima viri pars; cum magnates, & qui summo honore pollent, liberalem honore prosequātur, quo illius munificum animum experiantur; mortales etiam omnes generoso socij adiunguntur. Quamobrem hac ratione diuitijs pollere præstantius est, quam inopia laborare.

7 *Fratres hominis* Illud præterea experimur, pauperem etiam suis fratribus inuisum esse, à quo nihil emolumenti percipiant, licet eadem ossium, carnisq; compagine constent.

*Insuper & amici* Neq; verò est cur inquias, eos, qui anteà amici essent modo recessisse; nam ab inopia, qua premitur id efficitur, vt eius fratres, & sodales vana verba consectentur .i. aliquid in eum cōminiscantur, quod ad horum dignitatem imminuendam dixerit, aut effecerit, cum tamen non ità se res habeat.

Vers.

## Verſ. VIII. XIX.

8 Qui autem [a] poſſeſſor eſt mentis, diligit animam
ſuam, & [b] cuſtos prudentiæ inueniet bona.
9 Falſus teſtis non erit impunitus: & qui loquitur
mendacia peribit.

## VAR. LEC.

*a Chal. qui poſſidet cor bonum. b Syr. qui fidelitatem ſeruat.*

## A. ABEN EZRA.

8 Hæc duo copulantur.

8 *Poſſeſſor eſt mentis* קנה לב Koneh leu. Qui acquirit cor. i. Qui ſcientiam comparat, nam ſcientia, & rerum peritia cordis appellationem habet.

*Diligit animam ſuam* Vitam ſuam diligit, vt eam vſq; ad ſenectutis ætatem producat.

*Et cuſtos prudentiæ* Poſtquam inquam prudentia excultus fuerit, eam conſeruat, vt bona obtineat; Deus .n. illum charitate ſua cumulat, tum in hoc æuo, tum in futuro.

9 *Falſus teſtis* Iniquus verò, qui ſcientiæ compos non eſt effectus exitium non vitabit.

## LEVI GHERSOM.

8 *Poſſeſſor mentis* Qui rerum cognitione cumulatur, ſeipſum charitate proſequitur; ità .n. animi fælicitatem obtinet, prudentiamq. corde fouet, vt non adumbrato bono, ſed ſolido, certoq. fine conſtituto fruatur, ſcientia nimirum rerum ſacrarum, ſeu ſanctorum cognitione.

9 *Falſus teſtis* Qui quoad ſapientiæ res falſa teſtatur, cum in ijs quoad prima principia opus ſit aliorum teſtimonio, non abibit impunè; aures .n. præbentes labi curat in ijs, quæ ſub contemplationem cadunt: & qui mentitur in complatione, maximè verò in præcipuis rationum momentis, abolebitur; ità .n. efficit, vt perfectio, virtutumq. abſolutio longiſſimè arceatur.

## Verſ. X. XI.

10 Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum domi-
nari

nari principibus.

11 a Doctrina viri per patientiam noscitur:& b gloria eius est iniqua prætergredi.

## VAR. LECT.

*a doctrina viri est patientia. Chal. intellectus hominis est differre furorem suum. b Chal. pulchritudo eius. Syr. laus eius.*

## SALOM. ISAC.

10 *Nec seruum* אף כי aph chi; Est locus à minori ad maius. i. multo etiam minus seruum principibus dominari decet.

11 *Doctrina viri per patientiam* האריך heerich idem ac להאריך lehaarich. i. Si vir iram cohibeat, hæc ratione mente præstabit.

*Iniqua prætergredi* Ad eiusdem gloriam pertinet, vt ad mores suos conformandos excurrat.

## A. ABEN EZRA.

10 *Non decent* Non est optandum, vt stultus voluptatibus perfundatur: respondet autem stulti vox ex aduerso illi, Et custos prudentiæ inueniet bona. Rectè etiam pro stulto periurum testem interpretaberis.

*Delitiæ* Vt nimirum sæculi huius delicijs fruatur.

*Nec seruum* Nec etiam seruum in principes, & honestos imperium habere decet.

11 *Iniqua prætergredi* עבר על פשע hauor hal pesah. supra scelus transire. Gloria eius est, vt scelus pertranseat, quo ab illo longe recedat: metaphorice autem hæc dicuntur; nam cum aliquis alterius crimē puniri vult, illi insistere solet; cum autem idem condonatur, perinde videtur, ac si ab illo lōge recederet: atq; illud prętergrederetur.

*Per patientiam* האריך heheric, produci curat. Est verbum transitiuum ad verum agentem, ad hunc sensum. A viri prudentia, & doctrina furor protrahitur.

*Ex gloria eius* Honor eiusdem, quo à cæteris afficitur in eo situs est, vt crimina inoffensus prætergrediatur.

## LEVI GHERSOM.

10 *Non decent* Amentem deliciarum compotem esse haud æquum est; quin illius vecordiæ conuenit, vt in vniuersis suis negotijs prematur ærumnis.

*Nec seruum* Multo etiam minus par est, seruum in principes potestatem exercere, quod perindè est, ac si dixisset Salomon, consentaneum non esse, vt vir eam facultatem dominari velit, cui seruitiū exibendum sit cæteris animi viribus hominem ad virtutum absolutionem promouentibus; cum .n. ita fit, humanæ actiones profligantur, ità vt animantium ratione carentium potius, quam hominis propriæ exerceantur.

11 *Doctrina viri* Viri prudentia iram produci curat, ne facile ab illa inflāmetur, quæ bilem ciere solent, si quando occurrant.

*Iniqua pratergredi* Ad eiusdem etiam gloriam spectat, vt crimina dissimulet, neq; rixæ mordicus adhæreat; ità .n. beneuolentia sibi alios deuinciet.

## Verſ. XII.XIII.XIV.

12 Sicut fremitus leonis, ità & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & [a] hilaritas eius.

13 [b] Dolor patris filius stultus: & [c] tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14 Domus, & diuitiæ [d] dantur á parentibus: à [e] Domino autem propriè vxor prudens.

## VAR. LECT.

*a Syr. beneuolentia. Chal. voluntas, seu beneplacitum. b Chal. filius stultus grauis est patri sicut acida. Syr. confusio patris. c Chal. sicut stillicidium, quod distillat, litigia mulieris. Syr. tanquam guttæ stillantes cogitatio mulieris. d Chal. hæreditas parentum. e Syr. à Domino desponsatur vxor viro. Chal. à Deo traditur mulier viro.*

## SALOMON ISACIDES.

12 *Ira règis* Dei.

13 *Tecta iugiter perstillantia* דלף טרד deleph tored. Stillicidium assiduum, pluuięq; in domum defluentes vexant domesticos, eosdēque domo pellunt, quod idem prauæ mulieris rixę efficiunt.

## A. ABEN EZRA.

12 *Regis ira* In illos, à quibus ad iram inflāmatus fuerit regius, est furor.

*Sicut*

*Sicut ros super herbam* Quod á rore herbam humectante præstatur, á regis beneuolentia efficitur ergá eum, quem amore complectitur.

13 *Dolor patris* הות hauuoth. infortunia. Demens filius in causa est, vt parenti suo aduersa contingant.

*Tecta iugiter perstillantia* דלף טרד deleph tored. Stilla expellens. Hoc est, vt stillicidium domesticos è domo eijcit, itá muliebres rixæ eosdem a domo eliminant. Alia explicatio.

*Iugiter* טרד tored. quod nunquam quiescat.

14 *A Domino autem* Postquam de flagitiosa muliere, & demente sermonem habuit, subdit, domum, diuitiasq; á patribus hæreditate ad filios transmitti; fieri tamen non posse, vt mulierem sapientia præditam hæreditario iure ijsdem tradant, cum hoc ad Deum spectet.

## LEVI GHERSOM.

12 *Sicut fremitus leonis* Ira regia discriminis plena est, cum perniciem illam uiro, cui iratus sit, inferre possit, quam ira suadet: quapropter comparatur leonis catulo rugienti ad prædam faciendam. Eiusdem autem beneuolentia similis est rori decidenti super herbas, easq fouenti, & alenti. Quamobrem maximè cauendum est regi, ne in cæteros vehementius efferuescat, cum ira, qua inflammatur grauissima fit, maximeq; obesse possit.

13 *Dolor patris* הות hauuoth calamitas. Vecors parenti est ipsa calamitas, & pernicies ob iram vehementem, & mærorem, quibus succumbit ob nefariam agendi rationem filij. Idem etiam grauissimè angitur, cum ab vxore sua iurgia, rixasq; fieri aduertit, quemadmodum ab assiduo stillicidio in domũ iugiter defluente vexatur; hinc .n. efficitur, vt domi se continere grauissimum ducat, quod idem ob mulierem seditiosam contingit, vt explicabimus.

14 *Domus & diuitiæ* Obtinere quidem potest a maioribus suis hęreditariam domum, quę grata, iucundaq; sit, ac egregias facultates: verum si mulierem sapientia insignem habeat, id eius generis est, vt Deo tantum acceptum sit habendum; neq; .n. a libera eligendi facultate quodcunq; velis pendet, sed omninò diuina opera intercedat necesse est.

### Vers. XV.XVI.

15 Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.

16 Qui custodit mandatum, custodit animam

suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

## VAR. LECT.

a *Chal. dolosa. Syr. anima superba*. b *Syr. sibi ipsi cauet.* c *Chal. qui spernit viam suam.* d *Syr. interimetur. Chal. morietur*.

## SALOM. ISAC.

15 *Pigredo* Ab inertia soporem inijci facer textus eleganter explicat: verum allegoria pertinet ad eum, qui negligenter se gerat in legis studio; hic .n. ad extremum si quando de rebus ad sapientiam pertinentibus rogetur, somno sepultus iacebit.

*Anima dissoluta esuriet* Huius exitus erit, vt inopia laboret; quod idem contingit negligenter in doctrina capescenda se gerenti: qui nimirum legis suæ certa adminicula recipere, & constituere sibi negat, ad extremum omnia obliuioni tradet.

16 *Qui negligit* Mortem oppetet qui instituta sua attento animo pensitare nolet.

## A. ABEN EZRA.

15 *Pigredo* Est nomen substantiuum. q. d. Pigredo ipsa est, quæ soporem in desidem immittit. Eadem quoq; ratione qui alijs fraudem facere meditatur, fame premetur.

16 *Qui custodit mandatum* Qui præcepta seruat, nec illa auersatur seipsum à morte eripit.

*Viam suam* Quæ opportuna erit.

*Mortificabitur* Morte afficietur, Deo ità statuente, immaturo adhuc tempore: scribitur autem יומת iaumath, quoniam morte mulctabitur à iudicibus, si euulgetur eum propalam præcepta contempsisse.

## LEVI GHERSOMITES.

15 *Pigredo* Inertiæ peculiare est, vt somnolenti reddamur, vt sensu pateat; a torpore .n. vires alligantur, & eneruantur.

*Anima dissoluta* Constat pariter, illum fame laboraturum, qui ad vitam sustentandam necessaria per desidiam se comparaturum speret, ideoq; torpeat, ne alicui arti se addicat, cuius ope acquirat ea, quibus vitam alere possit; nam ad necessarios vsus alimentis carebit. Ea etiam erit horum sententia. Quemadmodum inertia soporem inijcit, sentientemq; facultatem congruis actionibus spoliat,

llat, quod quiete, & voluptate facultates suas vti quis velit, ità torpentis animus esuriet, nec actionibus vacabit, quibus ad rerum cognitionem euehatur; persuadet .n. iners sibi hac ratione ea se habiturum, quibus opus habeat, ex quo magis sui absolutionem negliget; atq. id euenit, quod desidia virum arceat ab assequenda virtutum coronide.

16 *Qui custodit mandatum* Seipsum seruat qui diuina præcepta lege comprehensa obseruat; cum per illam vir, tum quoad corporis, tum quoad animi rectam constitutionem instituatur.

*Qui autem negligit* Qui verò Deum contemnit, mortem non effugiet ob morum improbitatem, ac mentis inopiam; quæ quidem efficiunt, vt immatura ætate quis obeat, præter pœnas, quæ ab ipsomet Deo infligentur ob legem violatam, vt ex plurimis prophetarum testimonijs patet.

## Verf. XVII. XVIII. XIX.

17 a Fęneratur Domino, qui miseretur pauperis: & b vicissitudinem suam reddet ei.

18 Erudi filium tuum, c ne desperes: d ad interfectionem autem eius, ne ponas animam tuam.

19 e Qui impatiens est, sustinebit damnum: f & cum rapuerit, aliud apponet.

## VAR. LEC.

*a Chal. qui quærit commodare Domino miseretur pauperis. b Syr. secundum eius opera retribuetur. Chal. retributio bona redditur ei. c quoniam est spes. d Chal. ad mortem eius ne attollas animum. Syr. ad opprobrium eius ne adÿcias animum tuum. e Chal. vir iracundus suscipit pœnam. f Chal. & quando exaltatur, super onus suum addit.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *Fœneratur Domino* Cum quis æger decumbit, in limineq; mortis ambulat, tunc eleemosina apud diuinam iustitiam intercedit pro liberali, inquiens, cum pauperes animam agerēt ob famem, hos hic ad vitam reuocabat, abunde opportuna suppeditans: cur ergò

istius animus longam cum corpore vitæ vsuram non habeat? cur membris non restituatur?

18 *Ad increpationem* Ne filio tuo plagam infligas, ex qua mortem oppetat.

19 *Qui impatiens est* Qui nimius est in ira pænas dabit: quod si ira edomita hostem tuum discrimini imminenti subtraxeris, adhuc addes dies, & bona.

## A. ABEN EZRA.

17 *Faeneratur* Dominus mutuum dat, & fæneratur ei, qui pauperis miseretur; diuitiæ .n. in viri manibus sunt instar rei creditæ, & mutui. Vicissitudo autem quædam intercedet, vt cum piè ergà pauperes afficietur, illius etiam Deus miseratione moueatur.

18 *Ne desperes* תקוה יש ies tikuah. est spes. Sperandum est, cum illum castigaueris, ad diuturnum tempus vitam producturum.

*Ad interfectionem eius* Qua cęteros morti dedit.

*Ne ponas animam tuam* Vt nimirum ex eius pręda nutriaris, iuxtà illud, & ad ipsum animam suam apponit, vt nimirum ex ea alatur. Alia explicatio.

*Ad interfectionem eius* Cum alium interemerit, tu illum neci adiudicasti, si illum non castigaueris; ex quo vehementi ira succendetur. Alia explicatio.

*Ne ponas animam* Ne te ab illo reuoces; hoc est, ne ab illo corripiendo te contineas; vel ne eius institutioni parcas.

19 *Qui impatiens* גדל חמה ghedol chamah. magnus ira. Sine filium iracundum, & furore percitum, vt ità det pęnas, quemadmodum peccato se obstrinxit. Neq; verò eum liberare studeas; cum .n. semel illum incolumem pręstiteris, necesse erit, vt alias sępissimè ad eum eripiendum labores.

## LEVI GHERSOM.

17 *Faeneratur Domino* Qui in pauperem liberalis est, perindè facit, ac si Deo feneraretur, ad quem spectat viuentium esuriem explere: quamobrem beneficium munifico Deus rependit, & eundem benedictione cumulat, quod ita gesserit: atque ideò diuiti ad quodcumq; manum suam extenderit, benedictionem, rerumq. copiam tribuit, quo eius bonis indigentes gaudeant, vt in sacris voluminibus memoratur.

18 *Erudi filium* A teneris filium tuum instrue; ità .n. sperandum est, ad virtutum culmen prouectum iri: licet verò cum illum verberabis gemitu, stridoreq; auras repleat, ne fletibus huius, & questibus flectaris, vt pietate motus ab illo castigando desistas, magis .n. illi conducit, vt plorans, ac fremens corrigatur, quam castigatione destitutus gaudio perfundatur.

19 Qui

19 *Qui impatiens* Qui modum irarum excedit, non euadet, quin abiectæ huius consuetudinis pænas soluat, nam cum hac ratione iurgia inter mortales excitet, si aliquando ob iram seruatus sit, quod qui hunc appetebat timore perculsus sit, immoderatum eius æstum contemplatus; iræ tamen assuescet, rursumq; in alios excandescet; vt deniq; quispiam existat, qni in hunc insurgat, maloq; mactet: atq; hic praua huiusmodi institutione calamitatis sibi opifex erit.

## Vers. XX. XXI.

20 Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in [a] nouissimis tuis

21 Multæ cogitationes in corde viri: [b] voluntas autem Domini permanebit.

## VAR. LEC.

*a Syr in semitis tuis. b Chal. consilium autem Dei ipsum permanebit.*

## A. ABEN EZRA.

20 *Audi consilium* Aurē mihi consulenti adhibe, vt duas vias ineas à me tibi demonstratas, vt nimirum sapientia imbuaris obiurgante audiendo, ac ne declines post cogitationes eorum; cum .n. multis cogitationibus humana mens scateat, nulla tamen pręter Dei consilium consistere potest.

## LEVI GHERSOM.

20 *Audi consilium* In singulis rebus consilia audi, vt honestis moribus imbuaris, & recte instituaris ad ea, quæ opportuna ratione assequi voles. Ne etiam sperne maiorum, legisq; correptionem; inde .n. fiet, vt tandem sapias. Illud etiam insinuabitur. Consilio meo obtempera, institutionemq; admitte; id .n. adiumento tibi erit ad sapientiæ possessionem; institutionem namq; sapientiæ acquirendæ præmitti necesse est, vt diximus.

21 *multa cogitationes* Illud etiam intelligas, oportet, non multū mortali conducere, si recte aliquid percipiat, ne labatur, quando in Deum noxa aliqua se obstrinxerit, itaut pænæ reus sit, vel beneficio spolietur, quod illi a Deo constitutum fuerat: quod quidem hac ratione cōtingit, quod scilicet hominis mens multas cogitationes verset, Deus autem aliquando efficiat, vt mortalis aliquam suscipiat cogitationem propter quam sequantur bona, vel mala, quæ a Deo con-

## LEVI GHERSOM.

22 *Qui inuenit* Cuius facultates animi ità in ordinem redactæ sunt, vt subiectæ principibus seruiant, easq; amore complectantur: cum nimirum menti omni conatu suam operam præstent, hic bonũ adeptus est; ita .n. perfectam viri absolutionem consequetur, & quę cupiebat obtinebit à Deo singulari prouidentia huiusmodi viri rebus consulente.

## Verſ. XXIII. XXIV.

23 [a] Cum obsecrationibus loquetur pauper: & diues effabitur rigidè.

24 [b] Vir amabilis ad societatem, [c] magis amicus erit, quam frater.

## VAR. LEC.

*a Chal. deprecationes loquitur pauper. Syr. mollia loquitur, & lenia verba. b Chal. Sunt socij, qui associantur. Syr. Sunt amici qui sunt amici. c Syr. & est amicus qui adhæret magis, quam frater.*

## SALOM. ISAC.

23 *Cum obsecrationibus* Supplex loqui solet pauper, inquiens, ità, vel ità rem esse transigendam. Ex quo morum institutio desumenda est, vt nimirum, licet diues dura respondeat, pauper tamen supplici sermone vtatur, quod idem a discipulo ergà suum institutorem præstandum est.

24 *Vir amabilis* Cum quis sibi amicos assiduè conciliat, forte tempus erit, quo ijs indigeat, qui quidem præsto aderunt. Quod si inquias, quęnam sit vis illorum magis amicus erit, quam frater ea satis plana est, nam hunc illi maiorem beneuolentia amplectuntur, quam fratres, aut affines.

## A. ABEN EZRA.

23 *Cum obsecrationibus* Cum aliquid à diuite pauper postularit, supplici sermone vtitur.

*Rigidè* עזות hazut .i. sæua, rigidaq; verba.

24 *amabilis ad societatem* איש רעים isc rehim .vir sociorum. Qui amicos conciliat, nam רעים rehim habet eandem formam, quam ריעים signi-

significatq; societatem, ad vim illius, להתרעע lehitroheha. vel erit ex ordine quiescentium in fine, velut באים baim q.d. Amicos amore complectetur, vt secum amicitiam ineant, & associentur; nam amicorum aliqui maiori necessitudine obstringuntur, quam frater.

## LEVI GHERSOM.

23 *Cum obsecrationibus* Ab indigentia efficitur, vt pauperis lingua vitã obtineat, cum sermone ad pietatem excitante vtatur, atque ità tantum abest vt diffidia ferat, vt iram, iurgiaq; à se arceat.

*Diues effabitur rigidè* Opulentus verò suis facultatibus fidens, quas sibi tanquam munitissimam vrbem arroganter opinatur, sæua profatur, ex quo cladem sibi struit, cum honestè versari, & assuescere nequeat cum vniuersis, vt cum amicis par esset: quamobrem ab eorum beneuolentia excidit.

24 *Vir amabilis* Quandoq; inter amicos reperitur aliquis fratre coniunctior necessitatis tempore: atq; ideò operę precium est, vt quisq; multos amicos sibi paret, & beneuolos, non item multos sodales, & socios; cum inter amicos aliqui reperiantur, qui alium ament sola amicitia ducti, licet sodales non sint: ob sociorum vero multitudinem, aliquorum societas dissuitur, quo alterius partis familiaritas conseruetur.

# CAPVT DECIMVMNONVM.

Vers. I.II.III.

1 Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam [a] diues torquens labia sua, & insipiens.

2 Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est [b] pedibus, [c] offendet.

3 Stultitia hominis [d] supplantat gressus eius: & contrà Deum [e] feruet animo suo.

## VAR. LECT.

a *Syr. quam stultus cuius viæ prauæ sunt. Chal. quam ille qui peruertit vias suas, & ipse est stultus.* b *Chal. festinus est pedibus in malum.* c *Syr. peccat.* d *Chal. instabilem facit viam eius,* e *Chal. Cor eius murmurat. Syr. conqueritur corde suo.*

## SALOM. ISAC.

2 *Vbi non est scientia* Mortali commodum non est, vt lege careat.

*Festinus est pedibus* qui eas conculcat. Qui flagitio se obstringit illud pedibus ludibundus proterit, inquiens, haud ita graue hoc est; quamobrem ab eodem perpetrando non me continebo.

Fabulę quædam prætermissę. 3 *Stultitia hominis* Ob crimina, aduersis vir premitur; cum præ sua dementia consuetudines suas peruertat, criminaq; incurrat, quorum pœnas persoluat: cum vero calamitate vexatur, in Deum ira æstuat, & in diuinum iudicium machinationes molitur, vt constat de fratribus Ioseph, qui aiebant; quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus.

Gen. 42. v. 28.

## A. ABEN EZRA.

1 Coniunguntur hi tres versiculi q. d. Qui integritatis consuetudinem amplectitur, præstantior est peruerso, qui nimirum propter oris, sermonisuè prauitatem hanc appellationem sortitur.

2 *Vbi* גם etiam. Particula hæc emphatica est, augetq; huius probrum, quod demens sit: q. d. cum facultas animi, qua quis intelligit expers est cognitionis, qua à nefarijs moribus reuocari possit, non bene res cedet.

*Festinus est pedibus* Qui verò ad rapinam festinabit, piaculi noxam subibit.

3 *Gressus eius* Industriam nimirum, artemq; eius, iuxtà illud opera gressuum tuorum.

*Contrà Deum feruet* Irascitur, tristatur, & cum vexatur, in Deo spem suam non collocat.

## LEVI GHERSOM.

1 *Melior est pauper* Qui ęquitatis, iustitiæq; normā sequitur, licet inops sit, longè pręstat in diuitias spem omnem roburq; reijcienti, qui ideò ad mores, instituta q; flagitiosa amplectenda adigitur, cū sibi persuadeat, diuitijs criminum suorum turpitudinem abolitam iri; atq; ità ratio explicari videtur, qua nonnulli opulenti ad crimina patranda adducantur. Vel etiam hæc erit sententia, præstantiorem esse indigentem ritè contemplationis rationem ingredientē diuite obliquam intelligendi rationem ineunte, cum vecordia laboret. Vel etiam duplex dementiæ genus insinuatur, cuius altero opiniones futiles, & a veritate alienæ imbibuntur; altero verò rerum cognitione destituimur. Quarè hæc ita expones, longe excellere inopem sapientia præditum diuiti excordi, vt in libro Ecclesiastæ declaratur.

2 *Vbi non est scientia* Cum quis peritia rerum spoliatus est, illud contingit, eius cupiditatem, & libidinem in id ferri, quod honestum

tum non sit: qui verò præceps cupiditatibus obsequitur, crimine se adstringit.

2 *Stultitia hominis* A viri demētia efficitur, vt negotia male succedant: cum aliquid vehementer optarit, quod accomodata ratione illa non sit aggressus, & post hæc, cum cogitata ex animi sentētia non absoluuntur, in Deum ira effertur, à quo plectitur, vt arbitratur, cùm animo destinata irrita sint, nec id à dementia sua comparatum fuisse animaduertit.

## Vers. IV. V. VI. VII.

4 Diuitiæ addunt amicos plurimos: ª à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.

5 Testis falsus non erit impunitus; & qui mendacia loquitur, ᵇ non effugiet.

6 ᶜ Multi colunt personam potentis: ᵈ & amici sunt dona tribuentis.

7 ᵉ Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper & amici recesserunt ab eo. ᶠ Qui tantum verba sectatur, nihil habebit.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. pauper segregatur ab amicis suis. b Chal. non liberabitur. c Syr. multi seruiunt ante faciem principis. d Chal. & malis dat munera. Syr. & ijs qui male agunt munera impendit. e Syr. omnes fratres. f Chal. vbi sunt qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residuum. Syr. qui insectatur verbis suis.*

## SALOM. ISAC.

4 *Diuitiæ addunt amicos* Quod multi diuitias ament. Idem etiam explicatur pertinere ad illum, qui sacræ legis studio vacet.

6 *Amici sunt* כל הרע col hareha. Omnis amicus. Omnes amicitiam contrahunt, socijq; efficiuntur.

*dona tribuentis* .i. Tum eius, qui eleemosinam impendat, tum etiam, qui studio assiduo sacræ legi operam suam nauet.

7 *Insuper &* אף כי aph chi multo magis. Multo verò magis à socijs, sodalibusq; longè recedent. *Qui*

*Qui tantum* Cum quis hunc, vel illum sibi affinem, vel amicum iactat, verba, quæ in auras euanescant, vsurpat. Atq; hęc pertinent ad inopia laborantem, quoad legis peritiam, rectisq. actionibus destitutum, qui ea persequitur, quę non sunt; cum .n. legis mentem proferre volet, ob rerum ignorationem id rectè præstare nequibit. Medras autem hæc explicat de Ioseph qui apud parentem fratres suos ignominia notabat, quos viuentis artubus vesci insimularet, vt ideò eorum maleuolentiam incurrerit. Is ergò pauper appellatur, quod mendacia fratribus affingeret, & in nullius momenti rebus versaretur.

Meræ nugæ, & fabellæ ex Berescit Rabba.

*Nihil habebit* לא המה lo emmah legendum est לו lo .i. illi.

*Et qui sectatur* Qui nimirum ex rebus emolumentum percipere studeat. Porrò לו lo illi, ad Ioseph refertur, quod in eundem redundaret calumnia; nam cum fratribus imponeret, hos viuentium membra edere, sacræ litteræ suo testimonio ijs suffragantur, nam etiam sceleris tempore, quo Ioseph diuenditus est, hos hædos iugulare solitos testantur, iuxta illud, & iugulauerunt hædum caprarum. Idem etiam hos ancillarum filios adspernari calumniabatur, atque ideò in seruitutem venundatus est: & denique illos in alienigenas mulieres oculos conijcere criminabatur, sed Deus inquit, adhuc te viuente crimen hoc in te reuoluam, quamobrem inquit sacra historia, iniecit Domina sua oculos in Ioseph.

Gen. 37. v. 31.

Gen. 39. v. 7.

## A. ABEN EZRA.

Pendent inuicem quatuor hi versiculi, in quibus laudes celebrātur in pauperes piè se gerentium, & ignominia diuitias suas profundentium in sceleratos declaratur.

4 *Addunt amicos* Opulento diuitiæ amicorum numerum augēt.

*A paupere autem* Quod si inopia laboret, ab amicis segregatur; hunc enim alter amicus ita a se arcet, vt tandem ab eo separetur. Nec ineptè dices, hunc esse testem periurum, qui idcirco ad inopiam redigatur.

5 *Non erit impunitus* לא ינקה lo ijnaKeh. non erit immunis .i. nō effugiet pænam.

*loquitur* יפיח iaphiach. Sermonem vox hæc significat.

Ierem. 41, v. 1 6 *multi* רבים rabbim. Magnates, nō dissimilis vox ab illa, Opimates regis. q. d. Munificus autem, cuius animus liberalitate excultus est pauperibus diuitijs impendendis, adeò dignitate extolletur, vt magnates eum rogent, quo suppetias ferat, vel beneuolentiæ necessitudinem non deneget; cui consentiunt illa, in muneribus vultum

Psal. 45. v. 13. tuum deprecabuntur.

*Et amici* Vniuersi socios se liberali adiungunt, a quo munera reportent.

7 *Recesserunt* רחקו rachaku. Vox hæc multos significat sigillatim

coa-

coalescētes: nam vox מרעהו merehehu singularis est, ità vt sit sensus singuli siggillatim recedunt, vt omnes prorsus procul abeant.

*Qui tantum sectatur* מרדף meraddeph. Vox hæc transitiua est ad agentem, auctoremq́. rei, quæ efficitur; pauper n. est agens, qui curat sectari; verba sunt illa, quæ ipse persequi, & consectari iubeat; fratres aut amici sunt, quos verba petunt, iuxtà vim illorum, & inimicos eius insectabuntur tenebræ: item illud, & insequuta est amicos suos. Series autem rei pendet a superioribus, nimirum ab illis, & a paupere amici eius separantur. Omnes ergò fratres indigentis illum inuisum habent, multoq́ etiam magis amici, qui iam ab illo recesserant, cum antea familiariter cum illo versarentur, quod munera reportarent. Pauper ergò est, qui præcipit, vt nuncij, hoc est verba sua eos insequantur, quo fortassè amici ad pristinam necessitudinē reuocentur.

*Nihil habebit* לא המה lo emmah. non ipsi. Haud ipsi eidem aures præbent.

## LEVI GHERSOM.

4 *Diuitiæ* A facultatibus multi amici diuiti conciliantur, quibus ille sua opulentia prodest: inops autem tantum abest, vt amicos sibi comparet, vt ab indigentia sua ab ijs, quibuscum amicitia deuinctus erat alienetur, quod ijs careat, quibus ad mutuam amicitiā colendam, & conseruandam iuuetur.

5 *Testis fallax* Qui suo periurio scelus affinget inculpato, criminisq; reum faciet, non euadet pœnam, quæ idcircò à Deo seuerissimè repetetur, quod idem cum eo factitur, qui mentiri vult, cum idcircò ærumnas grauissimas incurrat, vt diximus.

6 *Multi colunt* Liberalitas est optima viri pars; cum magnates, & qui summo honore pollent, liberalem honore prosequātur, quo illius munificum animum experiantur; mortales etiam omnes generoso socij adiunguntur. Quamobrem hac ratione diuitijs pollere præstantius est, quam inopia laborare.

7 *Fratres hominis* Illud præterea experimur, pauperem etiam suis fratribus inuisum esse, à quo nihil emolumenti percipiant, licet eadem ossium, carnisq; compagine constent.

*Insuper & amici* Neq; verò est cur inquias, eos, qui anteà amici essent modo recessisse; nam ab inopia, qua premitur id efficitur, vt eius fratres, & sodales vana verba consectentur .i. aliquid in eum cōminiscantur, quod ad horum dignitatem imminuendam dixerit, aut effecerit, cum tamen non ità se res habeat.

nari principibus.

11 ᵃ Doctrina viri per patientiam noſcitur:& ᵇ gloria eius eſt iniqua prætergredi.

## VAR. LECT.

*a doctrina viri eſt patientia. Chal. intellectus hominis eſt differre furorem ſuum. b Chal. pulchritudo eius. Syr. laus eius.*

## SALOM. ISAC.

10 *Nec ſeruum* אף כי aph chi; Eſt locus à minori ad maius .i. multo etiam minus ſeruum principibus dominari decet.

11 *Doctrina viri per patientiam* האריך heerich idem ac להאריך leharich .i. Si vir iram cohibeat, hæc ratione mente præſtabit.

*Iniqua prætergredi* Ad eiuſdem gloriam pertinet, vt ad mores ſuos conformandos excurrat.

## A. ABEN EZRA.

10 *Non decent* Non eſt optandum, vt ſtultus voluptatibus perfundatur: reſpondet autem ſtulti vox ex aduerſo illi, Et cuſtos prudentiæ inueniet bona. Rectè etiam pro ſtulto periurum teſtem interpretaberis.

*Delitiæ* Vt nimirum ſæculi huius delicijs fruatur.

*Nec ſeruum* Nec etiam ſeruum in principes, & honeſtos imperium habere decet.

11 *Iniqua prætergredi* עבר על פשע hauor hal peſah. ſupra ſcelus trãſire. Gloria eius eſt, vt ſcelus pertranſeat, quo ab illo longe recedat: metaphorice autem hæc dicuntur; nam cum aliquis alterius crimẽ puniri vult, illi inſiſtere ſolet; cum autem idem condonatur, perinde videtur, ac ſi ab illo lõge recederet: atq; illud prętergrederetur.

*Per patientiam* האריך heheric, produci curat. Eſt verbum tranſitiuum ad verum agentem, ad hunc ſenſum. A viri prudentia, & doctrina furor protrahitur.

*Ex gloria eius* Honor eiuſdem, quo à cæteris afficitur in eo ſitus eſt, vt crimina inoffenſus prætergrediatur.

## LEVI GHERSOM.

10 *Non decent* Amentem deliciarum compotem eſſe haud æquum eſt; quin illius vecordiæ conuenit, vt in vniuerſis ſuis negotijs prematur ærumnis.

*Nec seruum* Multo etiam minus par est, seruum in principes potestatem exercere, quod perindè est, ac si dixisset Salomon, consentaneum non esse, vt vir eam facultatem dominari velit, cui seruitiũ exibendum sit cæteris animi viribus hominem ad virtutum absolutionem promouentibus; cum .n. ita fit, humanæ actiones profligantur, ità vt animantium ratione carentium potius, quam hominis propriæ exerceantur.

11 *Doctrina viri* Viri prudentia iram produci curat, ne facile ab illa inflãmetur, quæ bilem ciere solent, si quando occurrant.

*Iniqua prætergredi* Ad eiusdem etiam gloriam spectat, vt crimina dissimulet, neq; rixæ mordicus adhæreat; ità .n. beneuolentia sibi alios deuinciet.

## Vers. XII.XIII.XIV.

12 Sicut fremitus leonis, ità & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & [a] hilaritas eius.

13 [b] Dolor patris filius stultus: & [c] tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14 Domus, & diuitiæ [d] dantur á parentibus: à [e] Domino autem propriè vxor prudens.

## VAR. LECT.

a *Syr. beneuolentia. Chal. voluntas, seu beneplacitum.* b *Chal. filius stultus grauis est patri sicut acida. Syr. confusio patris.* c *Chal. sicut stillicidium, quod distillat, litigia mulieris. Syr. tanquam guttæ stillantes cogitatio mulieris.* d *Chal. hæreditas parentum.* e *Syr. à Domino desponsatur vxor viro. Chal. à Deo traditur mulier viro.*

## SALOMON ISACIDES.

12 *Ira règis* Dei.

13 *Tecta iugiter perstillantia* דלף טרד deleph tored. Stillicidium assiduum, pluuiq; in domum defluentes vexant domesticos, eosdẽque domo pellunt, quod idem prauæ mulieris rixę efficiunt.

## A. ABEN EZRA.

12 *Regis ira* In illos, à quibus ad iram inflãmatus fuerit regius, est furor.

*Sicut*

*Sicut ros super herbam* Quod á rore herbam humectante præstatur, á regis beneuolentia efficitur ergá eum, quem amore complectitur.

13 *Dolor patris* הות hauuoth. infortunia. Demens filius in causa est, vt parenti suo aduersa contingant.

*Tecta iugiter perstillantia* דלף טרד deleph tored. Stilla expellens. Hoc est, vt stillicidium domesticos è domo eijcit, itá muliebres rixæ eosdem a domo eliminant. Alia explicatio.

*Iugiter* טרד tored. quod nunquam quiescat.

14 *A Domino autem* Postquam de flagitiosa muliere, & demente sermonem habuit, subdit, domum, diuitiasq; á patribus hæreditate ad filios transmitti; fieri tamen non posse, vt mulierem sapientia præditam hæreditario iure ijsdem tradant, cum hoc ad Deum spectet.

## LEVI GHERSOM.

12 *Sicut fremitus leonis* Ira regia discriminis plena est, cum perniciem illam uiro, cui iratus sit, inferre possit, quam ira suadet: quapropter comparatur leonis catulo rugienti ad prædam faciendam. Eiusdem autem beneuolentia similis est rori decidenti super herbas, easq fouenti, & alenti. Quamobrem maximè cauendum est regi, ne in cæteros vehementius efferuescat, cum ira, qua inflammatur grauissima sit, maximeq; obesse possit.

13 *Dolor patris* הות hauuoth calamitas. Vecors parenti est ipsa calamitas, & pernicies ob iram vehementem, & mærorem, quibus succumbit ob nefariam agendi rationem filij. Idem etiam grauissimè angitur, cum ab vxore sua iurgia, rixasq; feri aduertit, quemadmodum ab assiduo stillicidio in domű iugiter defluente vexatur; hinc .n. efficitur, vt domi se continere grauissimum ducat, quod idem ob mulierem seditiosam contingit, vt explicabimus.

14 *Domus & diuitiæ* Obtinere quidem potest a maioribus suis hęreditariam domum, quę grata, iucundaq; sit, ac egregias facultates: verum si mulierem sapientia insignem habeat, id eius generis est, vt Deo tantum acceptum sit habendum; neq; .n. a libera eligendi facultate quodcunq; velis pendet, sed omninò diuina opera intercedat necesse est.

### Vers. XV. XVI.

15 Pigredo immittit soporem, & anima [a] dissoluta
esuriet.
16 Qui custodit mandatum, [b] custodit animam

 suam

suam: qui autem c negligit viam suam, d mor-
tificabitur.

## VAR. LECT.

a Chal. dolosa. Syr. anima superba. b Syr. sibi ipsi cauet. c Chal. qui spernit viam suam. d Syr. interimetur. Chal. morietur.

## SALOM. ISAC.

15 *Pigredo* Ab inertia soporem inijci sacer textus eleganter explicat: verum allegoria pertinet ad eum, qui negligenter se gerat in legis studio; hic .n. ad extremum si quando de rebus ad sapientiam pertinentibus rogetur, somno sepultus iacebit.

*Anima dissoluta esuriet* Huius exitus erit, vt inopia laboret; quod idem contingit negligenter in doctrina capescenda se gerenti: qui nimirum legis suæ certa adminicula recipere, & constituere sibi negat, ad extremum omnia obliuioni tradet.

16 *Qui negligit* Mortem oppetet qui instituta sua attento animo pensitare nolet.

## A. ABEN EZRA.

15 *Pigredo* Est nomen substantiuum. q. d. Pigredo ipsa est, quæ soporem in desidem immittit. Eadem quoq; ratione qui alijs fraudem facere meditatur, fame premetur.

16. *Qui custodit mandatum* Qui præcepta seruat, nec illa auersatur seipsum à morte eripit.

*Viam suam* Quæ opportuna erit.

*Mortificabitur* Morte afficietur, Deo ità statuente, immaturo adhuc tempore: scribitur autem יומת iaumath, quoniam morte mulctabitur à iudicibus, si euulgetur eum propalam præcepta contempsisse.

## LEVI GHERSOMITES.

15 *Pigredo* Inertiæ peculiare est, vt somnolenti reddamur, vt sensu pateat; a torpore .n. vires alligantur, & eneruantur.

*Anima dissoluta* Constat pariter, illum fame laboraturum, qui ad vitam sustentandam necessaria per desidiam se comparaturum speret, ideoq; torpeat, ne alicui arti se addicat, cuius ope acquirat ea, quibus vitam alere possit; nam ad necessarios vsus alimentis carebit. Ea etiam erit horum sententia. Quemadmodum inertia soporem inijcit, sentientemq; facultatem congruis actionibus spo-

liat,

llat,quod quiete,& voluptate facultates suas vti quis velit, ità torpentis animus esuriet,nec actionibus vacabit,quibus ad rerum cognitionem euehatur; persuadet .n. iners sibi hac ratione ea se habiturum,quibus opus habeat,ex quo magis sui absolutionem negliget;atq. id euenit, quod desidia virum arceat ab assequenda virtutum coronide.

16 *Qui custodit mandatum* Seipsum seruat qui diuina præcepta lege comprehensa obseruat; cum per illam vir, tum quoad corporis, tum quoad animi rectam constitutionem instituatur.

*Qui autem negligit* Qui verò Deum contemnit,mortem non effugiet ob morum improbitatem,ac mentis inopiam; quæ quidem efficiunt, vt immatura ætate quis obeat, præter pœnas, quæ ab ipsomet Deo infliguntur ob legem violatam,vt ex plurimis prophetarum testimonijs patet.

## Vers.XVII.XVIII.XIX.

17 *a* Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: & *b* vicissitudinem suam reddet ei.

18 Erudi filium tuum, *c* ne desperes: *d* ad interfectionem autem eius,ne ponas animam tuam.

19 *e* Qui impatiens est, sustinebit damnum: *f* & cum rapuerit,aliud apponet.

## VAR. LEC.

*a Chal. qui quærit commodare Domino miseretur pauperis. b Syr. secundum eius opera retribuetur. Chal. retributio bona redditur ei. c quoniam est spes. d Chal. ad mortem eius ne attollas animum. Syr. ad opprobrium eius ne adijcias animum tuum. e Chal. vir iracundus suscipit pœnam. f Chal. & quando exaltatur, super onus suum addit.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *Fœneratur Domino* Cum quis æger decumbit,in limineq; mortis ambulat, tunc eleemosina apud diuinam iustitiam intercedit pro liberali,inquiens, cum pauperes animam ageret ob famem,hos hic ad vitam reuocabat, abunde opportuna suppeditans: cur ergò

istius animus longam cum corpore vitæ vsuram non habeat? cui membris non restituatur?

18 *Ad increpationem* Ne filio tuo plagam infligas, ex qua mortem oppetat.

19 *Qui impatiens est* Qui nimius est in ira pænas dabit: quod si ira edomita hostem tuum discrimini imminenti subtraxeris, adhuc addes dies, & bona.

## A. ABEN EZRA.

17 *Feneratur* Dominus mutuum dat, & fæneratur ei, qui pauperis miseretur; diuitiæ .n. in viri manibus sunt instar rei creditæ, & mutui. Vicissitudo autem quædam intercedet, vt cum piè ergà pauperes afficietur, illius etiam Deus miseratione moueatur.

18 *Ne desperes* תקוה יש ies tikuah. est spes. Sperandum est, cum illum castigaueris, ad diuturnum tempus vitam producturum.

*Ad interfectionem eius* Qua cęteros morti dedit.

*Ne ponas animam tuam* Vt nimirum ex eius prēda nutriaris, iuxtà illud, & ad ipsum animam suam apponit, vt nimirum ex ea alatur. Alia explicatio.

*Ad interfectionem eius* Cum alium interemerit, tu illum neci adiudicasti, si illum non castigaueris; ex quo vehementi ira succendetur. Alia explicatio.

*Ne ponas animam* Ne te ab illo reuoces; hoc est, ne ab illo corripiendo te contineas; vel ne eius institutioni parcas.

19 *Qui impatiens* גדל חמה ghedol chamah. magnus ira. Sine filium iracundum, & furore percitum, vt ità det pęnas, quemadmodum peccato se obstrinxit. Neq; verò eum liberare studeas; cum .n. semel illum incolumem pręstiteris, necesse erit, vt alias sępissimè ad eum eripiendum labores.

## LEVI GHERSOM.

17 *Feneratur Domino* Qui in pauperem liberalis est, perindè facit, ac si Deo feneraretur, ad quem spectat viuentium esuriem explere: quamobrem beneficium munifico Deus rependit, & eundem benedictione cumulat, quod ita gesserit: atque ideò diuiti ad quodcumq; manum suam extenderit, benedictionem, rerumq. copiam tribuit, quo eius bonis indigentes gaudeant, vt in sacris voluminibus memoratur.

18 *Erudi filium* A teneris filium tuum instrue; ità .n. sperandum est, ad virtutum culmen prouectum iri: licet verò cum illum verberabis gemitu, stridoreq; auras repleat, ne fletibus huius, & questibus flectaris, vt pietate motus ab illo castigando desistas, magis .n. illi conducit, vt plorans, ac fremens corrigatur, quam castigatione destitutus gaudio perfundatur.

19 *Qui impatiens* Qui modum irarum excedit, non euadet, quia abiectæ huius consuetudinis pœnas soluat, nam cum hac ratione iurgia inter mortales excitet, si aliquando ob iram seruatus sit, quod qui hunc appetebat timore perculsus sit, immoderatum eius æstum contemplatus; iræ tamen assuescet, rursumq; in alios excandescet; vt deniq; quispiam existat, qui in hunc insurgat, maloq; mactet: atq; hic praua huiusmodi institutione calamitatis sibi opifex erit.

## Vers. XX. XXI.

20 Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in a nouissimis tuis

21 Multæ cogitationes in corde viri: b voluntas autem Domini permanebit.

## VAR. LEC.

a *Syr in semitis tuis.* b *Chal. consilium autem Dei ipsum permanebit.*

## A. ABEN EZRA.

20 *Audi consilium* Aurē mihi consulenti adhibe, vt duas vias ineas à me tibi demonstratas, vt nimirum sapientia imbuaris obiurgante audiendo, ac ne declines post cogitationes eorum; cum .n. multis cogitationibus humana mens scateat, nulla tamen preter Dei consilium consistere potest.

## LEVI GHERSOM.

20 *Audi consilium* In singulis rebus consilia audi, vt honestis moribus imbuaris, & recte instituaris ad ea, quæ opportuna ratione assequi voles. Ne etiam sperne maiorum, legisq; correptionem; inde .n. fiet, vt tandem sapias. Illud etiam insinuabitur. Consilio meo obtempera, institutionemq; admitte; id .n. adiumento tibi erit ad sapientiæ possessionem; institutionem namq; sapientiæ acquirendæ præmitti necesse est, vt diximus.

21 *multæ cogitationes* Illud etiam intelligas, oportet, non multū mortali conducere, si recte aliquid percipiat, ne labatur, quando in Deum noxa aliqua se obstrinxerit, itaut pœnæ reus sit, vel beneficio spolietur, quod illi a Deo constitutum fuerat: quod quidem hac ratione cōtingit, quod scilicet hominis mens multas cogitationes verset, Deus autem aliquando efficiat, vt mortalis aliquam suscipiat cogitationem propter quam sequantur bona, vel mala, quæ a Deo con-

constituta sint ad illum vel puniendum, vel beneficio afficiendum. Curandum ergo sedulo est, vt præ viribus ad Deum accedat, nulla enim ratione, si id desit, quod a Deo statutum est vllo consilio, & vi quis euadere poterit: quin aperte expietur, quando aliquid commentus fuerit, quo a re aliqua se cohiberet, affluere causas, quibus ad illam prope adigatur, vt perspicuum est ex multis quæ ex propheticis narrationibus repetuntur.

## Vers. XXII. XXIII. XXIV.

22 ᵃ Homo indigens misericors est: & melior est pauper, quam vir ᵇ mendax.

23 Timor Domini ad vitam: ᶜ & in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima.

24 Abscondit piger manum suam ᵈ sub ascella; nec ad os suam applicat eam.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Desiderium viri est bonum suum. Chal. Desiderium viri misericordia eius. b Syr. vir diues qui mentitur. c Chal. & qui saturatus fuerit pernoctabit, nec visitabitur a malo. d Syr. in sinu suo.*

## SALOMON ISACIDES.

22 *homo indigens misericors* תאות אדם חסדו taauath adam chasdò. desiderium hominis misericordia eius. Misericordia, & pietas in primis efficit, vt vir sit in hominum desiderijs.

*& melior* Qui mentiatur, montes aureos pollicitus, & nihil præstans, eo pauper præstantior est.

23 *in plenitudine commorabitur* שבע ילין sabeah ialin. Satur commorabitur. Qui Deum veretur, ita se gerit, vt nullius noxæ reus deprehendatur.

24 *manum sub ascella* בצלחת betsalachath. in lebete. Cum ab igne remouent, & exhauriunt, tunc deses in illo manus calefacit. Vox au-
2. paral. 35. v. 13. tem eadem vsurpatur in paralip. coxerunt in lebetibus, cacabis, & ollis. Ex Leuita autem Isace circumfertur vocem צלחת tsalachach ex paraphrasi Caldæa desumptam, vbi צלח tsalach scindendi vim habet frigoris, geluq; tempestate. frigus ergo appellatur צלחת tsalachath, quod frigus, geluq; manus findant, cutimq; disrumpant.

Audiui

Audiui etiam eandem vocem veſtis ſciſſuram ſignificare, qua manus in ſinum induuntur.

Vis eſt inertē hyemis tēpore manus abdere.

## A. ABEN EZRA.

22 *homo indigens* תאות אדם חסדו taauath adam chaſdo. Deſiderium hominis miſericordia eius. q. d. Pie ſe vir gerere optat in eos, qui pietate & benignitate opus habent. Vel vox תאות eadem erit quæ in pſ. נאוה קדש domum tuam decet ſanctitas.

Q. d. virum maxime decere pietatē pſ. 1. v. 61. v. 5

*melior eſt pauper* Præſtat pauper mendaci ſe beneficum oſtentanti, & tamen fallenti ſpem; præclarius .n. hoc ſe gerit inops, vt indicant illa, vir glorioſus, & promiſſa complens.

23 *timor Domini ad vitam* Deum .n. timemus propter vitam.

*in plenitudine commorabitur* שבע ילין ſabeah ialin ſaturatus pernoctabit.

*abſq; viſitatione peſsima* Neq; .n. timore concutietur, nec laborum recordabitur, quos pridem pertulit. q. d. Non venient in mentem calamitates, cum Dei benignitate perfruetur ampliſſime.

24 *ſub aſcella* בצלחת betſalachath in vaſe, ad vim illorum, afferto vos nouum. Senſus ergo erit, manus deſidis perinde eſt, ac ſi in vaſe abdita eſſet.

4. reg. cap. 4 v. 20.

*applicat eum* Cum nihil reperiat, quod comedat, manum ad os applicare non poterit. Quamobrem neceſſe eſt, vt ad vitam ſuſtentandam neceſſaria vir comparet, non autem deſidiæ indulgeat.

## LEVI GHERS.

22 *homo indigens miſericors eſt* תאות אדם חסדו taauath adam chaſdò. Deſiderium hominis iniquitas. Hominis cupiditas natura ſua vitioſa, probroſaq; eſt, cum humani cordis machinatio ab ipſis incunabulis in malum prona ſit. quamobrem illius vota nihil aliud ſpectant, quam res materiæ ſordibus conſtantes, in quo cum mutis animantibus conuenit. Neq; ideo pauper, qui cupiditatem ſuam explere nequit mendaci præſtabit, ex rebus hiſce vanis, & mēdacibus ad ſatietatem vſuram capienti Neq; etiam à vero diſſidet, viri conatus, & optata eo ſpectare, vt diuinam beneuolentiam ſibi conciliet, cui præſtando aptior eſt rerum cognitione tenui præditus, hoc eſt pauper, qui non ita multas opiniones animo imbiberit, quam mandax fallacium ſententiarum opinione imbutus. Ex quo fit, vt huiuſmodi pauperi ſola ſapientia comparanda ſit, mendaci vero prius eliminandæ, abſtergendæq; ſint maculæ opinionum a veritate diſſidentium. quibus a Deo maxime arcetur. Maxima vero difficultas intercedit, vt a ſentiendi lapſu prauo ſubducamur; deinde vero eidem ſapiētia iuxta accomodatas rationes, verosq; canones cōparanda eſt.

חסדו chaſdo prorſus contrarium .i. probrum, vt Leu. 20. v. 15.

23 *timor Domini ad vitam* Dei timor inſtituit ad vitam nullis ter-

minis circumscriptam; quocirca qui Deum veretur, satietate perfusus durabit, neq; vnquam esurie premetur, nec corporis cupiditatibus æstuabit, nec in memoriam aliquid mali reuocabitur, quod cogitationem abripiat, cùm à diuino timore coerceatur, ne turpia exoptet.

24 *abscondit piger* Inerti idem contingit, ac si manus exiguæ læci inclusisset, ex qua illas ægre abstrahere posset; præ desidia .n. manib. sopitis, ligatisq; videtur, itaut nullum opus præstet; licetq; alimenta desint, vt ideo oporteat aliqua arte necessaria ad vitam transigendam lucrari, manibus tamen suis imperare nequit, vt aliquid elaborent, quo vitam conseruet; quod insinuant illa, nec ad os suum applicat &c.

## Vers. XXV. XXVI. XXVII.

25 a Pestilente flagellato stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget b disciplinam.

26 c Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, d & infelix.

27 e Non cesses fili audire doctrinam, f nec ignores sermones scientiæ.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. percute derisorem, & insipiens. Syr. stultus quando flagellatur prudens cauet.* b *Chal. vt intelligat scientiam.* c *qui deridet. Syr. qui contemnit patrem suum, & tristem reddit matrem suam.* d *Chal. confusione dignus. Syr. filius est pudorem inurens, & confundens.* e *Chal. Cresce, sed in Bibl. Reg. pro* רבו *legendum* רבא *Syr. Permane fili mi, ausculta correptionem. Chal. non erres a verbis oris eius. Syr. ne obliuiscaris sermonis scientiæ.*

## SALOM. ISAC.

25 *pestilente flagellato* Ob plagas Pharaonis, & deletum Amalech Ietro resipuit ad Dominum conuersus, & proselita est effectus.

26 *qui affligit* Perdit patrem, matremq; fugat filius ijs ignominiam

niam inurens, improbumq; terens iter; vt .n. exemplis agam, cum vidisset Sarah filium Agar Ægyptiæ idolis cultum deferentem, & verenda nudantem, inde effectum est, vt mater eij ceretur, quod Abraham graue visum est.

27 *cessa fili mi* חדל chadal. Textus concisus, & mutilus est, atq; ita exponendus. Iam cessa, finemq; pone aberrando fili ab eloquijs scientiæ, quo institutionem admittere possis, nam cessa idem est ac abstine, errorique modum statue, cuiusdem rationis est illud, & cessauit a Paschate; item, quia cessauit a numerando, quod copia numerum excederet. Gen.41.v.49. Num.9.v.13.

## A. ABEN EZRA.

25 *Sapientior erit* יערים iahrim. Sapientiam obtinebit.

26 *qui affligit patrem* משדד mesadded. vastationem seu abolitionē curans. Est vox participij actiui ad hanc vim. Filius ignominiosus patrem aboleri iubet, matremq; effugere curat.

*ignominiosus* Qui parenti ignominiam inurit.

27 *cessa* חדל chadal. Abstine ab errando propter verba scientiæ, & audi disciplinam. Alia etiam adhibebitur explanatio, itaut versiculi prima pars cum postrema iungatur ad hanc sententiam. Cessa fili a rebus scientiæ, si audire voles disciplinam, & deinceps in errore versari.

## LEVI GHERSOM.

25 *pestilente flagellato* Quando derisorem verberabis, vt emendetur, si id stolidus animaduertat, inde sapiētiam arripiet, prudentiaq. excoletur, vt id deuitet, propter quod alter verberatus sit, alteriusq. plagis corrigetur. Quod si sapientem solum verbis obiurges, scientia informabitur, cum animum ad virtutum absolutionem propensum gerat.

26 *qui affligit patrem* Ignominia, probrisq. progenitores suos afficiens ob morum improbitatem, tum etiam, quod cupiditatibus obsequatur, hic inquam parentem suum a prædonibus diripi curat, quo prædæ partem cum illis ineat. Vel etiam si forte ab illis mutuo acceperit, hi ad parentem huius accedunt, vt quæ filius debebat, persoluat, eademq. de causa mater in fugam conijcitur. Quamobrem filios a prima ætate a parentibus recte institui necesse est, ne ab ijs pernicies inferatur.

27 *ne cesses* Postquam autem filium hortatus est, vt institutionis conformationem admitteret, eūdem denuo monet, ne ætatem vniuersam in philosophia politica terat, cum satis sit, vt ad mores temperandos instruatur, qui gradus quidam est ad sapientiam acquirendam.

*Ne cesses* Modum statue fili, nec disciplinæ sapientiam semper audias, itaut in illa plus ęquo scientiæ sermones vsurpes, cum nefas sit, virum ætatem suam perdere in huiusmodi inuestigatione, vt in Genesi declaraui. Illud autem in primis cōsentaneū est, vt magnopere enitaris in amore scientię, postquam ex norma institutionis id tibi desumpseris, ex quo rite, abundeque ad sapientiam via sternatur.

## Vers. XXVIII. XXIX.

28 Testis iniquus deridet iudicium: & os impiorum
[a] deuorat iniquitatem.
29 [b] Parata sunt derisoribus iudicia: & [c] mallei
percutientes stultorum corporibus.

## VAR. LECT.

*a Chal. profert. Syr. sectatur, & inuestigat iniquitatem. b parati sunt dolores ijs, qui iudicium corroborant. c virgæ populo dementi. Chal. verbera corporibus eorum.*

## SALOM. ISAC.

28 *testis iniquus deridet* יליץ ialits. effabitur. Iniquus testis in aliū illa testatur, ex quibus iure verberibus, morteque afficiatur.

*os impiorum deuorat* Iniquitas, & scelus vorat impios.

29 *parata sunt* Deus ipse lepræ pœnam constituit in eum, qui nefaria sermone suo enarret.

## A. ABEN EZRA.

28 *deridet* יליץ ialits. interpretabitur. Testimonia sua vera, sinceraq; esse affirmabit, ac si esset interpres. Vel certe pronunciabit ludibria in iudicia.

*deuorat* יבלע iebaleh. tegit. i. occultat scelera, ad vim illorum, Exod. 4. v. 19. quando sanctuarium tegit, & operit.

29 *parata sunt* Deus in derisores iudicium exercebit, quod ludibrio, derisioneuè iudicia sint insectati: verbera autem parata sunt, stulti. n. a cæteris cæduntur, iuxta illud, & virga in dorso imprudentium. hic 26. v. 3.

## LEVI GHERSOM.

28 *testis iniquus* Qui in alium falsa testatur, ideo nefaria, quæ ani-

mō machinatùs fuerat ore prodit, vt a iudice ea ſententia feratur: quam periurus animo deſtinarat, quod illi opportunum eſt, cum al terius opera calamitatem inferat.

*os impiorum* Impij vero ore ſcelus tegunt, quodq; animo verſant, occultant, ne quis conſcius illius ſit, ac ita quæ optant obtinere poſſint, cęteris ab huius pernicioſis artibus ſibi non cauentibus &c. Futilis & frigida commētatio prætermiſſa.

29 *parata ſunt* Cum alios deriſione ſcioli quidam excipiant, nō deſunt, qui eos acerbiſſimis iudicijs inſectentur: ſtultorum vero corpori extrema parata ſunt, cum præ vecordia, qua laborant, in hominum genus ignominioſa præſtent. Veriſimile etiam eſt, hiſce inſinuari fabuloſas narrationes inculcantem, quo ſapientiores in errores quoad contemplationem pelliciantur; quamobrem parata deriſoribus iudicia dicuntur, cum maxima damna inferant, niſi res animaduertatur. Cauendum igitur in primis eſt, ne narrētur niſi quę veritati conſentanea ſint, atque perſpectum habeat oportet, ſermonem ſuum maxime remotum eſſe ab ijs, quæ labi cogant, nam ex. gr. ſi quando aſtrorum perito ſydus ab altero magis diſtans videbitur, quam re ipſa ſit, qui illius auctoritati fidem adhibebit, huius artis contemplationi vacantes in errorem pertrahet huius pronunciatis nitentes. Stultos igitur Salomon appellat futilibus opinionibus imbutos, qui quidem intelligentia quadam, quem habitum vocamus præditi ſunt; cum autem hic ex ijs, quæ præmittuntur peſſime cedat, & euaneſcat ob illa quæ conſequuntur, ita eorumdem membra conteri conſentaneum eſt, cum conſectandis ijs, quæ ad corpus attinent in contemplatione ignominioſe labantur: nam cū in immoderato corporis cultu nimij ſint, congruam operam in meditatione rerum non collocant.

# CAPVT VIGESIMVM.

## Verſ. I. II. III.

1 [a] Luxurioſa res vinum, [b] & tumultuoſa ebrietas:
[c] quicunque his delectatur, non erit ſapiens.
2 [d] Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: [e] qui
prouocat eum, peccat in animam ſuam.
3 Honor eſt homini, qui [f] ſeparat ſe a contentionibus: omnes autem ſtulti [g] miſcentur contumelijs.

VAR.

## VAR. LEC.

*a Chal. derisorem* facit *vinum. Syr. forte est vinum. b Chal. inebriat sicera. Syr. ebrietas contumeliosa. c quicunque errauerit in ea. Syr. quicunq; ea exarserit. d Syr. rugit sicut leo furor regis. e qui illum ira inflammat. f Chal. qui supersedet a contentione. g Syr. Chal. deridet.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *qui prouocat eum* Qui regi iram ciet.

3 *honor est homini* Honorificum est viro, si litibus finem ponat, vel ab ijs abstineat.

*stulti miscentur* יתגלע ijtgallah .i. patefiet. Probra vero, & ignominia vecordis a diffidijs nequaquam supersedentis patefient.

## A. ABEN EZRA.

1 *Luxuriosa res vinum* לץ היין lets haiain derisor vini .i. derisor est, supple vir vini .i. tumulentus est derisor.

*tumultuosa* הומה homeh. tumultuosus. Temulentus exclamat, vt sibi vinum effundant.

*non erit sapiens* Cum vino quis indulget, sapientię cõpos non fiet.

2 *qui prouocat eum* Qui cum eo lites miscet.

*peccat in animam suam* Cum regi honorem non impendit, eius animus noxam subit.

3 *honor est* Rex honorem impendit rixoso viro quando quieuerit, & se a diffidijs exemerit, illi inquam a quo ad iram inflammatus fuerat, quod indicat Camets ascriptum.

*contumelijs* Litibus sese inmiscebit.

## LEVI GHERSOM.

2 *Sicut rugitus leonis* Iram regis, qui in homine principatum tenet, intelligentis nimirum facultatis, quam in cæteras animi vires dominari oporteret, cum ita a Deo in rerum molitione constitutũ sit, hanc inquam iram ita vehementem esse oportet, ac si velut leonis catulus ad prædandum rugitus ederet; cum .n. ab huiusce regis ductu receditur, proculdubio exitij, extremæq; cladis iter initur. Qui vero cum eodem coniungitur, ac parere negat, se noxa obstringit, & ad perniciem adigit, tandemq nullius rei se compotem experietur. Qui vero hunc regem prouocat, is est, qui a suis cupidita-

tibus

tibus abripitur, cum vis ad appetendum excitans intelligenti plerumque repugnet, & ad extremam cladem adigat.

3 *Honor est* Gloriosum est viro, vt a litibus abstineat, nam ob diuinam reuerentiam id præstat, cum nulla mali cupiditate rapiatur; atq; ideo quæcunq; animo molietur recta erunt. E contra vero demens perturbatur, & sese dissidijs immiscet, ex quo grauissimas calamitates subit. Id autem stulto contingit, quod vtilissimas sibi ducat lites, præ tenui experientia, qua excultus est.

## Vers. IV. V.

4 a Propter frigus piger arare noluit: b mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

5 c Sicut aqua profunda, sic consilium in de corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.

## VAR. LECT.

a *Chal. penuriam sustinet piger, & non tacet. Syr. deest pigro.* b *Syr. postulat in messe, & non est. Chal. petet in messe, & non habebit.* c *Syr. aquæ profundæ verbum in corde regis.*

## SALOM. ISAC.

4 *propter frigus* Algorem timens deses sedentaneus iacet, neque vllum opus præstat, studioq; legis non vacat.

5 *Sicut aqua profunda* Doctrina sapientis in animi penetralibus seposita est: sed .n. accedat prudens discipulus, illam ex huius præcordijs expiscabitur, & hauriet.

## A. ABEN EZRA.

4 *propter frigus* מחורף mechoreph. Mem vices gerit Beth significantis in .i. in frigoris tempore.

*mendicabit* ישאל ijsaal. Precibus postulabit a messoribus, nec illi ob desidiam eiusdem quidquam impendent.

5 *Sicut aqua profunda* Desideratur particula comparationis.q. d. sicut aquæ profundę frigidæ, pellucidæq; sunt; nullius .n. pedibus perturbantur, ita sapientia, consiliumq; quibus cor prudentis affluit sincera, perspicuaq; erunt.

*sed homo sapiens* Vir autem postquam prudentiæ compos factus fuerit consilium ex corde suo hauriet, hoc est, sibi ipsi magister erit, & suametindustria hanc comparabit.

LEVI

## LEVI GHERSOMITES.

4 *propter frigus* Hæc ideo dicuntur, vt inflammetur ignauus ad virtutum coronidem procurandam, quarum ad extremum expers futurus sit: iners .n. terram frigida tempestate non colit, nec eidem semina credit, vt operæprecium esset, ex quo fit vt consentaneos seminum fructus non præbeat. Eadem ratione deses in rei exordio corpus suum ad institutionis conformationem recipiendam parare non studebit, atq; ideo sapientiam adipisci nequibit, nec in illa vllam operam impendet: ex quo fiet, vt mens a Deo indita opportunos fructus non ferat.

5 *aqua profunda* Consilium in viri animo latens non ita facile exploratur, sed tantum post singularem indaginem, cũ sit velut aqua profunda, cui quæ subsunt, difficile pertingi possunt: Verum prudens sedula inuestigatione, ac diligenti studio consilium ex illius animo hauriet.

### Vers. VI.VII.

6 Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?

7 ª Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquet.

### VARIÆ LECTIONES.

ª *Chal. qui ambulat in simplicitate sua, iustus est.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *multi homines* Sæpissime viri amicis suis nituntur, a quibus promissa beneficentiæ, & pietatis reportarunt, eosq; cum ærumnis vexantur aduocant.

*Virum autem fidelem* Sed quotus quisq; fidus reperitur, qui promittat, promissaq; præstet?

*misericordes* איש חסדו isc chasdo. Vir misericordiæ. Certo promittens, se pietate in quempiam vsurum.

## A. ABEN EZRA.

6 *Multi homines* רב אדם rau adam Plerique e mortalium genere suam beneficentiam prædicãt, hoc est gloriose quisq; effert beneficentiam, quam exercuit. Verum quis inuenietur, qui beneficia conferat, nec eadem prędicet? Alia explicatio. Quis ille est qui de se vera loquatur? *iustus*.

7 *Iustus* Qui integritatis semitę insistit, iustus vocabitur. *beatus post se filios* Hi .n. propter parentum integritatem a cęteris honore afficientur, itaut etiam beati pędicentur. Beatitatem ergo ex parentum æquitate assequimur.

## LEVI GHERSOM.

6 *multi homines* Plerosq; mortales pietatem suam prædicare reperies; vnusquisq, enim erga quempiam ita, vel ita benęfice se gessisse narrat: quamobrem se beneficos, & liberales arbitrantur, cum tamen difficulter mortalem aliquem fidum, constatemq; reperias, qui id tantum præstet, quod opportunum, consentaneumue sit, tantum abest vt ad summum benignitatis gradum pertingat; nec .n. pium, benignumq; illum licet appellare, qui semel tantum pie se gesserit, nisi semper, & quandocunq; opus fuerit, ita assuescat; neq; etiam fidelem iure voces, nisi huius præclaræ consuetudinis constanter sit tenax, vt semper verax, æquusq; sit. Illa etiam placet explanatio. *Multi homines* Pleriq; illum aduocant, quem beneficio prosecuti sunt, vt ab eodem par beneficium referant, sed ægre existet, qui beneficio ornatus fidus, gratusq; ad beneficium pie liberaliterq; rependendum beneficio excitetur; quin ità immemor illius erit, ac si nulla re fuisset excultus. Spes ergo in mortali non est collocanda, sed Deo tantum fidendum.

*misericordes* חסדו chasdo. Vau postremo loco adscriptum forte paragogicum erit. Quare ea etiam erit sententia, Contingit aliquando, vt quis plerosq; viros pios, ac beneficos appellet .i. singularem ex plerisq; sed enim illud tibi persuadeto, haud ita se rem habere; nam maximo negotio inuenire poteris tum benignum, & pium, tum candidum, & fidum.

7 *Iustus qui ambulat* Probus integritatis, æquitatisque semitam capescens, quoad mores, & animi sensa, tum etiam fincere quoad veritatis normam se gerens, non ipse solum a calamitatib. seruatur, sed etiam diuinæ prouidentiæ eius soboles maxime cordi est ob parentis merita: quin eadem cum a parente suo honeste informata fuerit ad cultum diuinum id sibi demeretur, vt peculiarem prouidentiam Dei propitiam experiatur.

### Vers. VIII. IX.

8 Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum ᵃ intuitu suo.

9 Quis potest dicere: mundum est cor meum? purus sum ᵇ a peccato?

## VAR. LEC.

*a Chal. a facie sua omnes impios.* *b Chal. a peccato meo.*

## SALOMON ISACIDES.

8 *rex qui sedet* Id tum de præpotenti Deo, tum etiam de iudicibus ad veritatis normam se accomodantibus exponendum est.

## A. ABEN EZRA.

8 *rex qui sedet* Rex qui iudicij solio insidet, vt iustitiam administret quemlibet, qui profligatus videatur, exterminabit, ita .n. regni sui sedem confirmabit.

9 *quis potest dicere* Quis ille est, qui iure affirmet, cor meum a pueritiæ meæ criminibus expurgaui, purus, solutusq; sum ab adolescentiæ noxis? sed enim, nullus existet huiusmodi, qui incorruptum integritatis viam semper inuenerit, nec vnquam lapsus fuerit.

De communi hominum genere intelligendus est.

## LEVI GHERSOMITES.

8 *rex qui sedet* Hominis mens, quando iudicij solio insidet, vt congrua ratione de rebus ad contemplationē pertinentibus iudiciū ferat, & reliquæ facultates consentaneum seruitium detulerint, vt ad veritatem attingendam promoueatur in rebus, quas dilucidatas volet, hic inquam vniuersa mala sua contemplatione dispellit, & exterminat, quoad mores, & animi sensa; cauebit enim ab ijs, quæ in errorem pelliciant, & facultatibus suis moderandis nefarias, turpesq; cupiditates arcebit: quod quidem viro ad veritatis præscriptum se coercenti maxime necessarium adiumentum est.

9 *quis potest dicere* Declaratur autem in præsentia, huiusmodi virum ægre inueniri, vt paulo ante diximus: inquit .n. quis de se prędicare poterit, veritatis instantem se assseclam esse, illudq; vsurpare mentem meam aberroribus purgaui, mendacia caui; cum difficillimum sit ob multa, quę nos erroribus implicant, & ab absolutione contemplationis arceant quoad quamplurima? Quotusquisq, etiam de se affirmet, sceleris labe fœdatus non sum, quoad res corporis & politicas, neq; in hisce non nisi integre, & ad veritatis legem me gessi.

### Vers. X. XI.

10 Pondus, & pondus, mensura & mensura: vtrumq; abominabile est apud Deum.

11 Ex

11 * Ex studijs suis intelligitur puer a, si munda, & & recta sint opera eius.

## VAR. LECT.

*a Syr. etiam operibus suis. b Syr. an purus sit ipse, & an recta sint opera eius.*

## A. ABEN EZRA.

11 *intelligitur* יתנכר ijthnaccher. Verbum hoc cognoscendi contrariam significationem habet, & eiusdem est sententiæ, & alienum se ostendit eis. Sensus ergo erit, futurum est, vt adolescentiam suam dissimulet propter actiones, & studia sua. Gen. 42.v.7.

*si munda & recta* Si peccati innoxius, si eius actiones rectæ sint; vecors .n. adolescens ob stultitiam perspectus fit: hic autem probis actionibus occultatur, & quasi circumoperitur, itaut qui hunc intuiti fuerint eius opera agnoscere nequeant, an ab adolescente profecta sint, cum ita labe careant, & recta sint.

## LEVI GHERS.

*pondus & pondus.* Pondera æquo leuiora, vel grauiora: mensura itẽ breuior, vel longior iusto, vtraq; hæc Deo inuisa sunt, tum quoad mores, tum quoad animi sensa; morum .n. æqualitas, & rectitudo præstantissima res est, itaut ad extrema non recedat, vt in philosophia politica declaratur; præclarissimum item est quoad opiniones, quas quisq; amplectitur nec de singularum rerum veritate detrahere, nec eandem plus æquo amplificare vt exempli gr. Cum res aliqua manifeste nititur demonstrationi, adhibenda non est infirmior probatio, vel pronũciata quædam communia apud omnes recepta, & euulgata; cum etiam parenti probatione euulgari non potest res aliqua, nec in eadem contemplatio est collocanda, nec solers meditatio in ijs adhibẽda, quæ assequi nequeamus, vt ẽt prætermittenda non est illius inuestigatio, quod comprehendere possimus. Quæ cum ita sint, quis ille est, quem veritatis tenacẽ affirmare iure possis?

11 *Ex studijs* Licet viri actiones, vt oculis subijciuntur recte conformatæ videantur, is tamen forte dissimulator, fallaxq; erit, itaut quæ agit in fronte probitatis speciem præbeat, eius vero mens impura sit, & sceleribus scateat. Hic ergo pueri appellationem habet, non autem rex, quod intelligens facultas in eo serui vices gerat, non autem imperium obtineat.

## Verſ. XII. XIII. XIV. XV.

12 Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.
13 Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat: aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.
14 ᵃ Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cum receſſerit, tunc gloriabitur.
15 Eſt aurum, & multitudo gemmarum, ᵇ & vas precioſum labia ſcientiæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. ſocius ad ſocium dicit, quod emit, & tunc gloriatur, & dicit. b Syr. & vaſa precioſa, & labia ſciẽtia.*

## SALOM. ISAC.

12 *aurem audientem* Diuinum opus ſunt aures, & oculi mortaliũ, ſummopereq; delectatur Deus auribus reprehenſionem audientibus, oculiſq; rerum euentibus proſpicientibus.

13 *noli diligere* Ne ſomniculoſus ſis, ne ad egeſtatem adigaris.

14 *malũ, & malum* Qui ſacræ legis cognitione ditatur per ærumnarũ, famiſq; flagella, illud ſæpe queritur, & heu clamitat ob hunc cruciatum, & anguſtiam; verum vbi ſapientia cumulabitur, labores, quibus functus eſt ſibi glorioſos prædicabit.

## A. ABEN EZRA.

Nectenda ſunt hæc viciſſimi.q.d. Aures ad inſtitutionem auſcultandam, oculi vero ad ea obtẽplãda, quibus corrigimur, procreati ſunt à Deo: quamobrem ne diligas ſomnum, oculi .n. nonniſi ad ſomnum ſtatis horis capeſcendum ſunt effecti, cum poſtea penetrãdis, ac arripiendis diſciplinæ inſtitutis vacare debeant.

13 *aperi oculos* A ſomno euigila, tunc .n. panis copia afflues. Emptorem etiam intuere vendentis merces vituperantem, quod deterrimæ ſint, vt eas vilius emere poſſit; cum autem diſceſſerit ſolus gloriatur, ſecumq; gratulatur, quod optima comparare ſciuerit: atque equidem ita ſe res habet; auro .n. gemmiſq; locuples eſt qui peritia loquendi, quiq. mercaturæ cognitione pollet.

# LEVI GHERSOM.

12 *aurem audientem, & oculum* Vtraq. hæc a Deo effecta sunt velut adminicula ad veritatem quoad mores, & opiniones indagandam; cæteris .n. sensibus nobiliora sunt, vt ex ijs repetantur primę rerum notiores, si ad ea, quę sensu percipimus nos transferamus. Sunt pręterea pręcipuę partes, quibus mortalis sapientia cumuletur, quam alij sibi comparauerant, nam auribus aliorum sermones admittimus, & mente recondimus, oculorum vero opera legendis libris illorum res, sermonesq. intuemur. Quamobrem hi ambo sensus peculiarem pręcæteris operam pręstant, vt vir quoad mores, & animi sensa absolutus, veraxq. euadat, licet nonnunquam vsui sint mortalium generi ad crimina incurrenda, vt constat.

14 *noli diligere* Ne inertia sopitus somniculosus iaceas, vt solent ignaui; inde .n. facultates tuę profligabuntur, & ad egestatem adigeris.

*Aperi* Quodsi oculos solerter aperias diues eris pane, grauissimisq; alimentis tum scientiæ, tum opinionum: per inertiam vero præter quam quod absolutione virtutum carebis, illa etiam prima principia, quæ e sensibus petita apud te reposita erant abolebuntur & euanescent, itaut nullus ex ijs fructus tibi constet.

14 *malum est* Longe dissimilis est sapientiæ ab aliarum rerum possessione; cum .n. cætera argenti precio æstimentur, ea ab emptore deprimuntur, & vitij insimulantur, precioq; paria negantur, quod venditor exigit, postq̃ autẽ hic discesserit, merces dilaudat, seq; eas non emisse dolet, atq; ideo vilia videntur quæ obtineret, & optima, quibus careat. Secus vero prorsus contingit in sapientia comparanda; nec .n. eam quis sibi vtilem arbitratur, nisi cum illam sit adeptus.

15 *est aurum* Eadem de causa subditur, inter cæteras opes aliquas esse præstantissimas, vt aurum, gemmarumq; copiam, nullum tamen vas preciosum scientiæ labijs par esse; cætera .n. sunt in precio ob maximam illorum æstimationem; secus vero censendum de scientiæ labijs; ea .n. vniuersis rebus superiora sunt, & apprime instruunt ad grauissima adipiscenda, cum ita vir scientia exornetur. Vel etiam ea erit sententia. Cum quis partem eorum, quæ intelligũtur, assecutus fuerit, quæ quidem sunt sciendi adminicula, tunc præ cæteris celebrat quod mente conceperit, quod antea vilipendebat, quæ quidem laus illis verbis insinuatur, cum inquit, esse quidem multam auri, gemmarumq; copiam, sed sapientiæ labia esse vas maximi precij, cum nos promoueant ad illud obtinendum, quod auro puro puto longe sit præferendum;

Vers.

## Vers. XVI. XVII.

16 Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni: & pro extraneis aufer pignus ab eo.
17 Suauis est homini panis mendacij: & postea implebitur os eius calculo.

## SALOM. ISAC.

17 *panis mendacij* Cum alterius vxore habenda summopere quis delectatur.

*calculo* חצץ chatsats .i. minutis lapillis, non dissimili forma ab illis, & fregit dentes meos calculo.

Thren. c. 3. v. 16.

## A. ABEN EZRA.

16 *aufer pignus* חבלהו chabbeleu. Imperandi voce, pignus capito.

17 *panis mendacij* Propter quem quis falsa testatus sit.

## LEVI GHERSOM.

17 *qui fideiussor extitit alieni* Qui obsequitur facultati ad corporis cupiditates excitanti omnium rerum possessione spoliatur, & pro eo debitum persoluet: intellectus igitur est qui pro alieno spondet .i. pro anima appetente, vt in lib. exordio diximus: ab illo igitur pignus accipitur, quo debitum soluat; intellectus .n. pænæ obnoxius est, propterea quod nullam delectationem percipiat ex hisce corporis actionibus, vt diximus.

17 *suauis est* Cum quis meditationi operam nauare aggreditur, mendacij pane delectatur, si erret, pænasq;, & pręmia e medio tollenda arbitretur, & postea cibus ille suauis in calculos conuertitur, qui vescendo non sunt vtui, cum præterea dentes confringant, quibus ad vescendum vtimur.

## Vers. XVIII.

18 Cogitationes consilijs [a] roborantur: & [b] gubernaculis tractanda sunt bella.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. diriguntur. Syr. propter prouocationes fit bellum.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *gubernaculis* Cum ad pugnandum cum Sathana deueneris id aggredere munitus adminiculis pęnitentię, precum, & ieiunij.

## A. ABEN EZRA.

18 *roborantur* תכון ticchon roboratur. Vnaquęque cogitatio firmatur propter consilium, quod cum amicis quis iniuerit. Vel etiam feliciter succedent quę pręstare animo destinarit.

## LEVI GHERSOM.

18. *cogitationes* Cum autem quis cogitationibus inter se repugnantibus implicatur, consilio inito tranquillitate, & quiete fruetur: id autem euenit cum molitionibus hisce animi simul collectis vera a falsis secernuntur contemplatione suis numeris absoluta, & animo sedato. Quodsi duæ aliquæ cogitationes inter se pugnent alacriter bellum gere in eam, cuius opera a virtutum coronide arcearis; ita .n. tutus eris ab iis, quibus grauissimis difficultatibus irretiris nam inter se pugnantes cogitationes, quibus quis distrahitur perturbationem pariunt quoad rerum seriem. Intelligi etiam hęc possunt de nefarijs machinationibus mortalem ad crimina adducentibus. Tu igitur cum illis bellum gere prudenti consilio, quod apte tibi constiterit, acumineq. solerti, itaut improbas cogitationes compescas.

## Vers. XIX. XX.

19 Ei, qui reuelat misteria, a & ambulat fraudulenter, & b dilatat labia sua, ne commisceearis.
20 Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna eius c in medijs tenebris.

## VAR. LEC.

*a Chal. qui reuelat arcanum delator est. b Chal. ei qui allicit labijs suis ne commisceearis. Syr. qui fidelis est spiritu, rem occultat, & cum eo cuius labia sunt festinantia ne commisceearis. c Chal. sicut caligo tenebrarum. Syr. sicut papilla tenebrosa.*

## SALOM. ISAC.

19 *dilatat* פתה poteh blanditus. Qui tecum blando sermone vtitur, vt te transuersum agat.

20 *in medijs tenebris* באישון beiscon, cum tenebræ, quam densissimæ, & obscurissimæ erunt, hoc est cum calamitatibus vexabitur auxilijs vniuersis destituetur.

## A. ABEN EZRA.

19 *dilatat* פתה poteh, labijs seductus. Qui scilicet aliorum blanditijs in deuia protractus est.

*ne commisceatis* Cum .n. fraude vtatur, arcana tua deteget.

20 *lucerna* Spiritus nimirum quem ducimus, seu vita.

*extinguetur* Internicioni tradetur.

*in medijs tenebris* באישון beiscion in obscuritate tenebrarum. Iteratur idem q.d. in tenebris interiturum. Vel etiam tenebrarum voce calamitates insinuabuntur.

## LEVI GHERSOM.

19 *ne commiscearis* Ne societatem contrahas cum vafro, ac arcana patefaciente, cum id in communi hominum societate perniciosissimum sit; nec etiam te adiungas sermones ferenti, quibus a virtutis tramite seducaris. Hęc etiam non inepte intelliges de eo, qui rem difficultatibu inuoluat arcanis reuelandis, quando cogitationes varię, & repugnantes quoad principia incidunt, quas consilio, & solerti acumine, rebus rite examinandis, e medio tollere oporteat, hic .n. impostori persimilis est, orbem suis fraudibus perdenti. Idem etiam dubitationibus animos perturbat, ea carens cognitione, qua illas excutiat, atq; ita cæteros graui calamitate mactat ob illa, quę animo hauserint. Quamobrem caue, ne societatem amplectaris cum dilatante labia ad sermones de huiusmodi habēdos, quibus indagandis grauissimum discrimen subsit Atq; ideo operępretium non est, vt quis supervacaneam operam collocet in illis inuestigandis, seu consilio cum alijs communicato, seu secum ipse, nisi quando altius radices egerint in animo veritates opinionum, quoad legem, & contemplationem; tūc .n. impauidus ab aduersis erit.

20 *qui maledicit* Parentes execratione patentis lucerna extinguetur, & in densissimis tenebris relinquetur, inde .n. fit vt reprehensionem refugiat, ac morum absolutione careat. Accedit pręterea, hunc beneficia agnoscere non solere, quibus ab illis benignissime exceptus fuerat, ex quo ita obdurescit, gradatimq; perfricati animi fit, vt etiam progrediatur ad Deum ipsum e medio tollendum bonorum omnium fontem, a quo sit effectus. Hoc insuper

ciui-

eiusdem omnem ordinem demolietur, cum nemo in alium beneficium conferat, nisi speret acceptum illi relatum iri, a quo collatum fuerit.

## Vers. XXI.

21 Hæreditas a adquam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. quæ festina est in principio.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *Hæreditas* Ad extremum benedictione carebit hæreditas ad quam primo capessendam quis festinarit, & temerè præcipitarit, vt filij Gad, & Ruben, qui partem suam festini ceperunt in Iordanis transitu, ac præcipiti sermone sunt vsi, iuxta illud, & dixerunt, caulas ouium fabricabimus, & stabula iumentorum, paruulis quoq; nostris vrbes munitas, primas .n. abiectiori tribuerunt, gregesq; suos paruulis antepofuerunt. Hi vero deinde multis fere annis ante alias tribus in captiuitatem migrauerunt, vt constat ex seder Holam. In allegorijs autem Tanchuma illud habet, anno duodecimo Achaz excitasse Deum spiritū regis Assur &c. reliquas vero tribus captiuas effectas anno sexto Ezechiæ, qui quidem erat nonus Oseæ filij Elah. Nu.32.v.16.

## A. ABEN EZRA.

*ad quam festinatur* מבהלת meuoheleth .i. Quæ ex rapina cōgesta fuit.

*in nouissimo* Finis eius cum rapina conflata sit benedictione carebit, nec .n. imbres felicitatis in illum effundetur. Vox autem מבחלת mebocheleth scribitur cum Chet, vt intelligamus hæreditatem furto congestam penitus detestabilem esse Deo; nam significat idem, quod illa, & anima eorum nauseauit in me. Zach.11.v.8.

## LEVI GHERSOM.

2 *hæreditas* Fęlicitas ergo hęreditatis in exordio virum perturbat, cum subito absq; vllo labore acquiratur; sed ad extremum benedictione carebit; cum .n. hæres nullum laborem impenderit re coaceruanda, illam magni non facit, neq; de ea conseruanda sollicitus est, vt ideo eandē facile dilapidet, vt constat ex hęreditatis euentibus. Monemur pręterea, sapientię diuitias, quibus congeren

dis alacriter insudandum est, prçclatiores, nobilioresq; ijs esse, quç facili negotio intelligimus, magnáq; esse felicitatem, cum ijs augemur, & ditescimus. Qui vero absq; labore, & solerti inuestigatione, & vigilia res percipere volunt, horum exitus proculdubio benedictionis expers erit, nam in errore versabuntur hac cognitione acquirenda, neq; fælicitas vlla inde emerget, sed exitium, & quod illi prorsus contrarium sit.

## Vers. XXII. XXIII.

22 Ne dicas: Reddam malum: a expecta Dominum, & liberabit te.

23 Abominatio est apud Dominum pondus, & pondus statera dolosa non est bona.

## VAR. LECT.

*a Syr. reddam malum pro bono. b Chal. spera in Deo, & saluabit te. c Chal. non placet coram eo.*

## A. ABEN EZRA.

22 *reddam malum* אשלמה asallemah. He vocis huius coniungitur ope machaph cum sequenti. Sensus autem est; Ne dicas te par repensurum ijs qui te malo affecerint.

*expecta Dominum*, Deum præstolare, qui mala rependere potest, & te ab impiorum manibus subducet.

## LEVI GHERSOM.

22 *ne dicas* Ne te iniuriæ vltionem sumpturum ab eo affirmes, a quo male acceptus sis, cum id fortem, constantemq; deceat, quem improbe facta non dedeceant: Verum Deo innitere, a quo ab hostium viribus seruaberis. Neque ad eundem enixe preces fundas, quo hosce seuere excipiat, quod .n. postulandum est, absq; alterius detrimento sit, oportet.

23 *abominatio* Varia ponderum genera, & mensurarum detestatur Deus, hoc est in moribus inconstantem agendi rationem, itaut, cum hoc hac ratione, cum alio alia te geras; consentaneum .n. est eũdem erga vniuersos te esse, hoc est, iustitiã, integritateq; in votis habere te decet; alteri .n. te perniciosum esse velle, in alterum beneficum, & liberalem, nefarium est; sed nitendum est tibi, vt vniuersos beneficiis omnes, ita .n. diuinam semitam capesses. Eadem

de

de causa diuinis oculis dolosæ trutinæ non placent, quibus pondera dolosa, & varia imponuntur.

## Vers. XIV. XV.

14 *a* A domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum *b* intelligere potest viam suam?

15 *c* Ruina est homini deuorare sanctos, & post vota retractare.

## VAR. LECT.

*a Chal. a facie Domini gressus viri. b Syr. quis est, qui dirigit viam suam. Chal. filius hominis non intelligit viã suam. c Chal. laqueus est viro, qui vouit sanctuario, & postea tangit eum anima ipsius. Syr. laqueus est homini, qui vouit sanctitatem, & postea voti pæniteat.*

## SALOMON ISACIDES.

14 *deuorare sanctos* ילע ialah perdit. Cum mortalis piaculo obstringitur, tunc sanctitatem a Deo concessam perdit, & corrumpit ad mentem illorum bibent, & absorbebunt. Abdię v. 16.

*post vota* Oportet etiam, virum post oblationes, votis se obstringere, eaq; persoluere, & pro te preces fundere.

## A. ABEN EZRA.

29 *gressus* Quibus ad iter agendum graditur.

*quis autem intelligere* Nescit mortalis, quo tempore procedere debeat, donec a Deo ducatur, ac reducatur, ad quem id spectat. Idem etiam laqueos constituit incedenti, cum sanctum deuorauerit: postquam autem laqueis irretitus fuerit, vota suscipiet, quæ adducat: solers autem consilium stolidum init, vt a voti obligatione sese subducat.

*deuorare* ילע ialah, Deglutiendi vim habet, iuxta vim illius, absorbebunt sanguinem.

## LEVI GHERSOM.

24 *a domino* Incedentis gressus a Domino sunt, cum opera diuina indigeat, quæ singulis passibus adsit, & comitetur.

*quis autem* Quomodo autem vir suam prospiciat semitam, nisi

diuina ope iuuetur? vt indicat illa, noui domine, quod non sit hominis via eius; quod patet in politicis, cū sæpissime id obstare, vel conferre nostris conatibus animaduertamus, quod minime arbitrati fuissemus. Clarius etiam idem constat in contemplatione; nam licet pleraq; principia petantur ex ijs, quæ sensibus subijciuntur, hæc vsui non sunt in singulis probationibus; rationes .n. & ordines, quibus ad hæc instruimur, a Deo tantum dimanant, vt alibi declarauimus.

25 *ruina* Mortalis, qui noxa obstrictus sit, deuorat, perditq; sanctimoniam, quam a Deo perceperat; illam .n. benignissime transfundit Deus in eum qui apte constitutus sit ad illam recipiendam: ex quo fit, vt inuestigemus vota, hoc est intelligere studeamus, quid in causa fuerit, quidq; obstiterit, quo minus ad metam constitutā quis peruenerit; atq; illud nihil aliud est, quam interpositum piaculum, a quo effectum fit, vt a proposito scopo aberrarit; secus .n. quæ animo pingebat, suo feliciter euenissent, votiq; reus fuisset.

## Vers. XXVI.

**26 a Dissipat impios rex sapiens: b & incuruat super eos fornicem.**

## VAR. LEC.

*a Chal. dispergit. b Chal. voluit super eos rotam. Syr. reducit super eos currum.*

## SALOMON ISACIDES.

26 *impios* Dissipat Pharaonem, eiusq; exercitum.
*rex sapiens* Deus.
*incuruat super eos fornicem* In eos rotam circumducit, par pari referens, cum .n. duros se præbere solerent, par a Deo relatum est, iuxta illud, induratum est cor Pharaonis.

## A. ABEN EZRA.

26 *dissipat impios* Eos in angustias deducet Deus, ac super eosdē rotam circumuertit, a qua proterantur, q.d. Hos conteret, quos deinde a suo conspectu amandabit.

## LEVI GHERSOMITES.

26 *dissipat impios* Regum sapientiam iniqui verentur, atq; ab illius conspectu dilabuntur: quadrigæ vero rotas, quas ij ad alios profligan-

fligandos, & exterminandos circumducebant, in eosdem conuoluet; laqueis .n. vincientur, quos cæteris comparauerant, & in foueam alijs constructam, decident. Pertinere hæc etiam possunt ad regem sapientem, qui in homine fræna moderetur, hoc est ad intelligentem vim, hæc .n. sapientia sua impios fugabit, & profligabit, sentētias nimirum a veritate alienas animo fouentes, qui ab erroribus reuocabuntur, nec quæ animo destinarant, conficient, quamobrem a calamitate grauissima subducentur: atq; id ex ipsis, met ortum trahet cum suis erroribus perturbari incipient, vel alterius ope iuuabuntur, cum erudientur, vt erroris sedem, locumq; animaduertant.

## Vers. XXVII. XXVIII.

27 Lucerna Domini spiraculum hominis, * quę inuestigat omnia secreta ventris.

28 Misericordia, & veritas custodiunt regem: & [b] roborabitur clementia thronus eius.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. & scrutatur omnia interiora ventris. b Chal. preparatur.*

## SALOMON ISACIDES.

26 *Lucerna* Cum vir iudicio sistetur, anima, qua informatus est, in eundem testimonium feret.

## A. ABEN EZRA.

26 *Lucerna* Metaphorica sunt hæc, cum hominis anima ex eius luce pendeat; atq; eius sedes in capite est; vnde animæ lux præstatur propter intelligendi vim, qua excellit, ex cuius luce splendor dimanat: quamobrem Domini lucerna appellatur, quasi per eam ventris latibula perscrutetur, hoc est cor mortalium, quod est cogitationum latibulum. Aliter etiam placet hoc exponere, lucernam Domini nihil aliud esse, quam diuinæ intelligentiæ lucem q.d. Lucerna Domini rimatur hominis animū, ac ima ventris latibula perscrutatur. Cum autem Deus regis mentem penetrarit, quidq; animus impiorum machinetur, prorsus perspexerit, tunc misericordiā ac veritatem emittet, quibus rex discrimini subducatur, eiusq; solium firmabitur, cum pie, ac benigne se geret.

## Castigatio.

Errat grauissime, si animum diuinæ lucis partem arbitratur, vt ab ea desumptus sit, licet.n. nullum alium auctorem habeat, præter Deum, diuinitatem tamen non habet admixtam. Videtur etiam alius error innui, animas ob exordio æternas; licet .n. materiæ concretione careant, a Deo in tempore cum singulis humani generis indiuiduis creantur, vt patet ex rerum genesi, vbi Deus vitæ spiraculum inspirauit.

## LEVI GHERSOM.

27 *lucerna* Vt intelligamus, quis ille sit rex, inquit, hominis spiraculum, hoc est intellectum esse lucernam Domini, cum profunda rimetur rerum omnium, quo illorum recessus, & abdita, vt fas est, Dei ope iuuante penetret, a quo cum lumen, ac splendor dimanet in intellectum, veritatem rerum contemplationis finibus comprehensam assequetur.

28 *misericordia* Veritas, & pietas regem seruant, cum .n. in populum benigne se gerat, eiusdem animas sibi deuincit, ex quo regnum diuturnum, stabileq; efficitur, atq; ita extollitur, & honoribus cumulatur, ac vniuersi ad eiusdem seruitutem sese abijciunt; quocirca regni, populiq; hac de causa perfectus est consensus, & constitutio &c.

## Castigatio.

Seuere nimis inuehitur in corporis castigationem, quam ab intellectu prohiberi debere censet, sed dum nimia pietate erga membra rapitur, in animi exitium ruit. Nescit Euangelicæ doctrinę pręclara monumenta, qui perdiderit animam suam, inueniet eam.

## Vers. XXIX. XXX.

29 a Exultatio iuuenum fortitudo eorum; & b dignitas senum canities.

30 c Liuor vulneris absterget mala: & plagæ in secretioribus ventris.

## VAR. LEC.

a *Chal. decus iuuenum.* b *laus. Syr. honor.* c *Chal. pauores, & plagæ occurrunt malo. Syr. contritio, & cruciatus*

*ciatus occurrunt malo.* d *Chal,* & *puncturæ acus in interioribus ventris eius.*

## SALOM. ISAC.

29 *exultatio* Vt iuueni gloriosum est, viribus excellere, ita senibus canities ornamento:

30 *liuor vulneris* Rabbini hæc ita interpretantur. Qui se abstergit, & fricat, vt nefaria loquatur, ad extremum vulnera, plagasque subibit.

& *plaga*.i. hydropisis.

## A. ABEN EZRA.

Adhærent hæc duo.

30 *liuor* Cum quis liuidus redditur ob verbera.

*vulneris* Cum sanguis effluit.

*absterget* תמריק tamroK. Vim eandem habet, quam illa accelerare fecit purificatoria: & polire lanceas. Sensus ergo erit. Qua ratio- Est.2.v.9.
ne iuuenum gloria in virium robore sita est, & senum canitiei cum Ier.46.v.4.
sapientia adiuncta est dignitas, qua a cæteris colūtur, ità liuores, & vulnera dignitatem habent, cum scelestum exorient, quando is impietate sua se spoliabit. Plagæ pariter abditos corporis recessus penetrantes, erunt nefarij pigmenta, quibus expoliatur.

## LEVI GHERS.

29 *Exultatio iuuenum* Quemadmodum iuuenum gloria collocata videtur in eorumdem viribus, cum tunc, per iuuentutis nempe ætatem maxima vi, roboreq; firmissimo præstent: ita maxime gloriosum est senibus, in senectutis ætate constitutos esse, cum tunc animo foueant opiniones veritati consentaneas ob causas antecommemoratas.

30 *Liuor vulneris* Plerisq; malis nonnisi malo medicina paratur; liuores enim ex vulnere relicti nonnisi acerba re absterguntur, cum nimirum adhibeatur medicina, quæ corrodat cutim, itaut patefiat, pateatq; locus, a quo sanies erumpat; in vteri autem plagis ictu illato penetralia patefiunt, quò corruptus omnis humor remoueatur. Idem pariter præstandū est in afferenda medicina morbis morum, & opinionum: ei.n. qui improbitate morum laboret, medeberis, si contrariæ consuetudini totum se dedat, quæ licet non ità probetur, ità tamen in ea se debet exercere, vt tandem ęgritudinem, morbumq; vniuersum depellat. Non dissimili ratione agendum cum eo, qui prauas opiniones tueatur, hunc.n. oportet loca vniuersa solerter animaduertere, quibus ad huiusmodi errorem per-

trahebatur, eaq; omnia cauere. Licet autem quandoq; contingat contemplationem in illo, quod opportunum sit, collocari oportere id tamen prohibendum non est ab eo, qui hunc curandum susceperit, quo eundem ab huiusmodi morbo incolumem prestet.

# CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

## Vers. I.

1 Sicut a diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumq; voluerit, inclinabit illud.

## VAR. LECT.

a *Syr. riuuli aquarum.*

## A. ABEN EZRA.

1 *Sicut diuisiones* פלגי palghi. Desideratur Caph particula comparationis.

*quocumque voluerit* Quocumq; Deus voluerit, illius cor inclinabit.

## LEVI GHERSOM.

1 *Sicut diuisiones* Cor voluntasq; regis ita est potestate definita, quemadmodum riuuli, qui eo deriuari possunt, quo quis voluerit; pari etiam ratione a Deo regia voluntas eo deflectitur, quo eidem numini videtur. Insinuant autem hæc actiones, cogitationesq; regum diuinæ moderationi in primis subiectas esse, cum illi nihil aliud sint, quam ministri, diuiniq; nuncij ad regni negotia transigēda, pendentque vniuersa ab æquitate diuinæ sapientiæ: si enim regis actiones quoad hæc negotia liberæ, absolutæque huius potestati permitterentur, quemadmodum cæteræ actiones ab eiusdem libero arbitratu pendent, maximi discriminis id esset populis sub eius regia potestate constitutis. Quamobrem non permittit Deus regibus totum regendi negotium, cum sublimem sublimior cohibeat, & moderetur. Hac ergo de causa inquit Eliu- Iob 34. v. 30. qui regnare facit hypocritam hominem propter peccata populi. Q. d. populorum criminibus effici, vt à Deo rex flagitiosus præficiatur: Ideo etiam sibimet Deus iudicum sententias tribuit, cum Exod. 23. v. 7. inquit, quia non iustificabo impium; vt ibidem declaratum est. Hoc verò versiculo precipue insinuatur rex ille antea memoratus,

qui

qui in homine primas tenet, indicantq; ista regem, hoc est, intelligentem facultatem quoad se attinet, noxa carere, cum omnia eius vota ad bonum dirigantur ex insita propensione, vt ideo dicatur voluntatem regis esse in manu Domini, quemadmodum aqua rum riui eo deriuantur, quo idem censuerit. Verum noxam vir subl t ob reliquas facultates.

## Vers. II.III.

2 Omnis via viri recta sibi videtur: a appendit autem corda Dominus.

3 b Facere misericordiam, & iudicium magis placet Domino, quam victimæ.

## VAR. LECT.

*a Chal. dirigit. b Chal. Qui facit iustitiam, & iudicium complacet sibi magis in illo Deo, quam in sacrificio.*

## SALOM. ISAC.

2 *appendit* תוכן tochen idem ac מונה moneh .i. enumerat Deus hominum corda.

## A. ABEN EZRA.

Connectuntur hæc duo. Explicatio autem hæc adhibenda. Vniuersas vias viri oculis suis Dominus intuetur: dirigit autem corda, vt quæ sibi placent, præstentur, atque ideo nos agnoscit.

*recta sibi* בעיניו behenau in oculis eius. Oculi vero insinuant diuinum intellectum: actiones autem, quibus misericordiam, & iustitiam exercemus, longe gratiores sunt Deo quibuscumq; sacrificijs.

## LEVI GHERSOM.

2 *omnis via recta* Vniuersa sua instituta recta esse sibi vir persuadet, cum in singulis aliquid boni reperiat, siue illud vtile, siue delectabile, siue honorificum, siue æternum, siue deniq; quidpiam aliud sit, cui boni species inesse videatur. Verum enim vero, qui hominum corda instituat, & efformet ad verum bonum obtinendum est ipsemet Deus; illius .n. auxilio in primis indigemus, quo ad huiusmodi bonum pertingere, vel nos ipsos instruere possimus; ob multa quæ mortali obsfent, ne ad illud se comparet, cum etiam nonnisi diuinæ beneficentiæ auspicijs hoc idem adipisci possimus.

3 *facere misericordiam* Longe Deo lectius est, vt vir pie, recteq; se

gerat in ijs, quæ ad communem ciuium societatem, atq; etiam rerum contemplationem pertinent, quam vt sacrificia offerat; id .n. efficit natura sua, & vi, vt virtutibus quis absoluatur: sacrificijs vero licet insint incitamẽta, quibus ad absolutionem virtutum appetendam excitemur, vt in pentath. explicaui, id tamen nonnisi per signa quædam, & nutus præstare videntur, non autem seipsis. Hic præterea versiculus idem insinuat, quod Samuel illis verbis melior est .n. obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam afferre arietem; idemq; quod inquit Salomon, multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ; Quorum omnium vis est, longe gratiorem esse Deo virum iuste; & honeste agendo, diuinæ legis institutionibus seruandis assuetum, eo, qui piaculis se obstringat, deinde vero ad illa expianda sacrificia, hostiasq; offerat.

Nota de anti quis sacrificijs.

1. reg. 15. v. 22

Ecclesiast. 4. 17.

## Vers. IV.

4 * Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum.

## VAR. LEC.

*a Syr. lux oculorum, & dilatatio cordis, & lucerna impiorum peccatum. Chal. tumor cordis.*

## SALOM. ISAC.

4 *exaltatio oculorum* Animi elatio.

*Lucerna impiorum peccatum* נר nir cultura. Cum quis cupiditates animi explere optat, impiorum culturam amplectitur, qui quidem nihil aliud animo agitant, & conantur, quam crimina, & impia.

## A. ABEN EZRA.

4 *exaltatio* רום rum, eiusdem ordinis ac שח sug. i. qui superbe oculos attollit, dissimilis alteri, qui inclinauerit oculos suos saluabitur.

Iob. 22. 2. 29.

*dilatatio cordis* Cum quis corde magnanimo est ad calamitates patienter ferendas, Deumq; veretur.

*lucerna* נר nir, vbi desideratur iod vocis ניר nir, quod arationem significat; sensus autem est impius arabit .i. molietur, & machinabitur peccatum, hæc .n. tria synonima videntur.

## LEVI GHERSOM.

4 *exaltatio oculorum* Qui suos oculos attollit ad id peruidendum

quod

quod ab humana cōditione obtineri nequeat, licet cor ſuū dilatet, hac ratione ſe habiturum ſperans quæ abſtruſæ, reconditæq; ſint inueſtigationis, hic inquam flagitioſam machinationem molitur quoad ſcientiam, & cogitationem, cum a rei exordio non attendat, quanam ratione ad rei explanationem promoueri queat, & an veritatē expiſcari poſſit, nec ne: Hoc autem vitium contingit ob ea quæ deſint, non quod aliquid præſtantius addatur intellectus dignitati, iuxta illud, ne plus ſapias, quam neceſſe eſt, vt quid deſolaberis? Eccl. 7. v. 17.

## Verſ. V.

5 [a] Cogitationes robuſti ſemper in abundantia: [b] omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt.

## VAR. LEC.

a *Syr. cogitationes electi fideles. Chal. cog itationes collecta (* vererem potius *quæ electa ſunt) ad abundantiam.* b *Chal. pes feſtinus ad egeſtatem. Syr. flagitioſi (ſupple cogitationes) ad penuriam.*

## SALOM. ISAC.

5 *robuſti* חרוץ charuts. Vir integer, qui veritatis ſemitæ inſiſtat, & æquitatem colat.

*in abundantia* Huius inquam cogitationes ſolum tendunt ad fælicitatem, & honeſtum lucrum.

*piger* אץ ats. Præceps quilibet, & moræ impatiens, qui tempus tradere velit, in egeſtate eſt.

## A. ABEN EZRA.

5 *ſemper* אך ach. Solum. Cogitationes ſeduli viri eo ſpectant, vt aliquid amplius ſemper acquirat; cum .n. mercaturæ vacet, rerum copia affluet.

*ſemper* אך ach. Hoc vero loco hęc particula diminutiua eſt, imminuitq; vim operum impiorum, de quibus mentio facta eſt.

*piger* אץ ats. deductum ex illis אץ ברגלים ats beraglaim feſtinus pedibus. Qui ad male agendum præceps ruit, ideo id efficit, vt rerum omnium copia ſpolietur, vbi etiam particula אך ach oſtendit quantum a viri ſolertis abundantia diſtent impij. hic 19. v. 2.

## LEVI GHERSOM.

5 *Cogitationes robusti* Solertis, & acuti viri cogitationes limitibus circumscriptæ, & veluti iudicio decisæ sunt ab ipso negotij exordio, cum nimirum actiones suas aggreditur, ad emolumentum, & copiarum incrementum spectant: in suis .n. negotijs aptam init rationem, ideoq; optato rerum fine potitur. *piger* ו*nats* festinus. Præceps vero in agendo nullam cautionem adhibens, vel attentam meditationẽ an consentaneum id agere sit, nec ne, quæue ratio ineunda, hic inquam nihil aliud reportabit quã rerum indigentiam, non autem cumulum bonorum, & incrementum. Atq; hoc explicare videtur, quod paulo ante commemoratum est, virum nempe, qui cor dilatet, oculosq; superbe extollat ad eã quæ minus consentanea sint, idcirco erroribus implicari, cum temere agat in huiusmodi inuestigatione, neque ab exordio rei soler ter perpẽdat, an ad optatam metam, quaue ratione deuenire possit.

## Vers. VI. VII. VIII.

6 ᵃ Qui congregat lingua mendacij ᵇ vanus, & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

7 ᶜ Rapinę impiorum detrahent eos, ᵈ quia noluerunt facere iudicium.

8 ᵉ Peruersa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus eius.

## VAR. LEC.

*a opera cellariorum in lingua mendacij: sed arbitror in Bib. Reg. interpretem non percepisse vocem* רכיבתא *quæ thesaurum significat. Syr. qui congregat thesauros lingua mendaci. b Chal. dissipabuntur, & euellentur illi qui quærunt mortem Syr. ad perditionem, destruentur mortem quærentes. c Chal. rapina impiorum tollet eos. Syr. fractio impiorum veniet super eos. d Chal. quia non se submiserunt, vt facerent iudicium. e Syr. qui peruertit viam suam, vir est extraneus.*

## SALOM. ISAC.

6 *qui congregat thesauros* ad vires suas amplificandas.
*impingentur* Sunt hæc illi mortis pedicæ.
7 *detrahent eos* יגורם iegorem, habitabit cum eis rapina .i. profligabuntur.
8 *peruersa via viri, aliena est* איש וזר isc vazar viri, & alieni. Peruersa est via alieni viri, qui nimirum a diuinis præceptis sit alienus.

## A. ABEN EZRA.

Tria hęc mutuo adhærent, hac ratione.
6 *qui congregat* פעל pohal opus. Opus, quod præstat thesaurorum robur propter linguam mendacem fal sum testimonium ferentem eo spectat, vt qui diuitias conflarit vanus sit, & amandetur. Vel etiam, opus illud, seu coaceruatio thesaurorum res futilis, & vana est quoniam ex re inani, & mendacio sunt conflati, atq; ideo opus illud exterminabitur.
*impingentur ad laqueos mortis* מבקשי מות meuak Kese maueth quærentes mortem. Huiusmodi homines testimonio ferendo periuri, mortem sibi studiosè quærunt.
7 *rapina impiorum* Eadem ratione præda, quam ex aliorum pernicie reportarint, quamq; in suos thesauros intulerint.
*detrahet eos* יגורם iegorem. serra secabit, desumptum ex illo, serra dissecauit illum. Huiusmodi ergo præda eos pænitus confringet & ad exitium detrudet. 1. paral. 20. v. 3.
8 *peruersa via* Vox peruersa est est thoar viæ .i. via peruersi, quæ opponitur viæ recti. q. d. Via peruersa, est viri via, & alieni viri via.

## LEVI GHERS.

6 *Qui congregat thesauros* Ingentium thesaurorum aceruus quoad contemplationem principijs a vero alienis nititur, atque ea ex quibus huiusmodi copia conflatur, nihil aliud sunt, quam quid futile, prorsusq; reijciendum, cum nihil horum omnino consistere possit: hi autem thesauri mortem expetunt, & perniciem, cum per illos vitæ compotes fieri nequeamus, sintq; merum figmentum, & hilum, ex quo pernicies, extremaq; calamitas animo infertur.
7 *rapina impiorum* Iniqui male sentientes, qui spoliati sunt cogitationibus, & principijs, quibus ad veritatis inuestigationem iuuarentur, itaut ideo imbuti sint opinionibus a vero alienis ob principia, ij inquam ab huiusmodi errore quodammodo in vincula conijcientur, & a veritate assequenda arcebuntur, ob ea, quæ ex ijs principijs consequentur; ex quo fiet vt in omnibus turpissime labantur; Hoc autem vitium quoad recte sentiendum ijs continget, quod

rectam, aptamq; in contemplatione viam inire negauerint, itaut eis insisterent principijs, a quibus recto tramiti ad veritatis cognitionem expiscandam, insisterent.

8 *peruersa est via* Hac ergo de causa peruersa erit via cuiuslibet huius generis viri, vel etiam alieni, cum illa perpendentur, quæ ex huiusmodi principijs deducuntur; necesse .n. erit vt illorum contemplatio perturbetur, alienaq; admittantur, & veritati repugnantia, itaut studiose obseruet primas rerum origines, & principia. Neque vero opus erit ei, qui se integrum, & purum ab huiusmodi erroribus seruarit, quoad fundamenta, & primordia, vt in ijs operam collocet, quæ ex hisce principijs consequuntur, sed solum in integritate, & iustitia.

## Vers. IX.

9 Melius est sedere in angulo a domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi.

## VAR. LECT.

a *Chal. tecti angulo. Syr. super cornu tecti.*

## SALOMON ISACIDES.

9 *in domo communi* בית חבר beth chaber. domus amici. Cum ingreditur quis amici domum ad sermones serendos cum eius vxore. Medras autem Agadæ inquit, hoc esse vaticinium, quo insinuatur diuini numinis præsentiam ab Israelitis tandem ablatam iri, cum essent tanquam mulier litigiosa: domus autem communis, seu societatis appellatur, quod in ea additi sint præpotenti Deo socij velut simulachrum a Manasse in templo collocatum.

## A. ABEN EZRA.

9 *in angulo domatis* Satius est sedere super angulum tecti, si enim domus corruerit, angulus tamen persistet, cum sit ædificij pars solidior: melius inquam est sedere super eum, ventorumq; impetum sustinere, quam mulierem litigiosam ferre.

*in domo communi* בית חבר beth chaber vbi חבר chaber est nomen adiectiuum, cum substantiuum habeat accentum in vltima, significatq; societatis domum; q. d. futuram domum, in qua cum ea societate coniungatur.

## LEVI GHERSOM.

9 *melius est* Longe præstat viro supra tecti pinnam a cæteris dissitum

ctum sedere, & carere tuto loco, quo ab imbribus, pluuijsq; tegatur, quam cum muliere rixosa morari, licet sit in domo communi, quam nimirum multi incolant, cum huius molestias tolerare grauissimum sit. Monemur etiam hoc versiculo, magis è re intelligentis facultatis esse, vt iuuetur a muliere simul cum eadem procreata, vt illi obsequium preberet, ac contemplationem ineat, quam vt quispiam alius opem præstet, vel alter illius curam gerat, qui impedimento futurus sit; mulier .n. procreata, vt huic iugiter inseruiret altercabitur cum alijs, cum nemo ab ea malegesta resarcire possit, neq; iuuent auxilia, nisi cum ea pax, & beneuolentia intercedat, itaut hæc libenter se subijciat ad consentaneum obsequium exhibendum, quod quidem ita perspicuum est, vt probatione nō egeat.

## Vers. X. XI.

10 Anima impij ᵃ desiderat malum: non miserebitur proximo suo.
11 Mulctato ᵇ pestilente ᶜ sapientior erit paruulus: ᵈ & si sectetur sapientem, sumet scientiam.

## VAR. LECT.

*a Syr. non apparet in oculis sociorum suorum. b Syr. improbo. c Syr. stolidus sapiens fiet. d Chal. & in prudentia sapientis assumet scientiam. Syr. sapiens autem in consilio, seu meditatione accipit scientiam.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *mulctato* Castigationes, & verbera illusoribus inflicta, fatuis sapientiorem mentem inijciunt, vt resipiscant.

## LEVI GHERSOM.

10 *anima impij* In votis habet profligatus, vt scelestè se gerat, nec gratiam init ab amico suo.

11 *mulctato* בענש bahanos. Quando magistratus illum plectet, ad normam illorum, cum illum plectent, atque בענש erit verbum transitiuum: Vel בענש bahanos, in mulctando. Cum illum ergo puniam, tunc incautus, & simplex sapientiam acquiret.

*sectetur sapientiam* ובהשכיל vbhaschil. Est verbum transitiuum. Cum efficiet, vt alter sapientia cumuletur.

*sumet scientiam* Corde suo scientiam reponet.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

10 *anima impij* Constat ergo tibi, iniqui animum nihil aliud appetere, quam vt perdite agat, cum nullam apud illum gratiam amicus ineat, improbi consuetudinem non probans; consentaneum .n. esset, vt eos amore prosequeretur cum quibus societas intercedit quemadmodum in sublimi dignitatis gradu constitutis alterum ab altero diligi animaduertimus.

11 *mulctato pestilenti* Cum mulcta derisori irrogatur ob deploranda facta, tunc paruulus, qui ob singula se auocari patiebatur, sapientia imbuetur; intelliget .n. viuendi consuetudinem honestam haud esse: Quando autem sapientia arripienda res suas feliciter succedere animaduertet, tunc etiam doctrinæ, ac sciētię obtinendę vacabit.

## Vers. XII.

12 a Excogitat iustus de domo impij, b vt detrahat impios a malo.

## VAR. LEC.

*a Chal. contemplatur iustus domum impij. Syr. intelligit iustus corda iniquorum. b Chal. impios in malum. Syr. detrudit scelestos in malum.*

## SALOMON ISACIDES.

12 *excogitat* Iustus hic est ipsemet orbis moderator Deus, qui animum adiungit ad impij domum abolendam, vt constat ex historia Amalecitarum.

## A. ABEN EZRA.

12 *excogitat* משכיל maschil, intelligere faciens. Iustus doctrina imbuit, & erudit domum impij, iuxta illud, vir, & domus eius, vbi domus pro familia accipitur. Alia etiam erit explanationis ratio, itaut משכיל maschil sit verbum ad aliud non transiens ad hunc sensum. Prudentiam comparat, & sapientior redditur ob impij domum, quę male se gerat, atq; ideo ab exitio non multum absit.

*vt detrahat impios* מסלף רשעים mephalles resahim, peruertit impios. Id diras demonstrat. Deus .n. illos extremis deuouebit, & exterminabit, quod valde mihi probatur.

LEVI

## LEVI GHERSOMITES.

12 *excogitat* Iustus domui iniqui prosperam fortunam parat, cū nimirum in eius domo moratur, tunc .n. Deus in huius gratiam hunc benedictione cumulat. Vel etiam cum bonis huiusmodi gaudent profligati ob parentes suos, inter quos aliquis iustus extiterit, propter quem cum scelestis bene agatur, id in causa est, vt extermimentur, perditamq; semitam ineant, cum sibi persuadeant, profligatum ob scelera hisce bonis cumulari: in quo quidem stolidus prę terea errat grauissime, cum ideo statim seducatur ab illo, quod in exordio cogitationis profuturum videbatur.

### Vers. XIII.XIV.

13 Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis,
a & ipse clamabit, & non exaudietur.
14 Munus b absconditum extinguit iras: c & donum in sinu indignationem maximam.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Deum inuocabit, qui non respondebit. b Chal. in abscondito. c Syr. & qui prabere negat excitat furorē.*

## SALOMON ISACIDES.

14 *munus absconditum* Eleemosina.
*donum in sinu* Hæc etiam est liberalitas in pauperes.
*indignationem* Eleemosina iras, grauissimamque indignationem extinguit.

## ABEN EZRA.

13 *ad clamorem pauperis* Qui cum calamitatibus premetur ad illius opem implorandam exclamat.
*& ipse clamabit* Idem etiam ad Deum, seu mortales exclamabit, cum ærumnis vexabitur.
*extinguit iras* יכפה אף ijchphe aph deijciet, & deprimet, idem ac יכף ijcaph, quemadmodum dicimus מטה, & נגב, item מחוק, & מחקה Atq; hoc est verbum actiuum, quod duplici loco vsuuenit. q. d. Donum, quod in sinu allatum sit, seu occulte, iram vehementem sedabit. Hoc autem versiculo demonstratur, si exclamatio nil prosit, dona liberaliter impendenda; hæc .n. iram, furoremq; sedant: nam

solemne est ijs, vt ante aliorum conspectum efferuescant, verum largitionibus mites redduntur, sapientesq; efficiuntur.

## LEVI GHERSOM.

23 *qui obturat aures* Qui indigentis clamorem audire negans aures occludit, ne pie cum illis agat, ac partem eorum, quæ a diuina liberalitate accepit, eidem præbeat, pari pœna a Deo punietur, a quo ad egestatem adigetur. hic .n. exclamabit, sed non audietur; nec .n. mortales erga illum miseratione mouebuntur, parq; pari reddetur. Ea etiam erit horum vis, futurum nimirum vt idem cum calamitate premetur, ad Deum vota fundat, a quo illa non audientur; qui etiam ita cum illo se geret, quemadmodum cum alijs hic assueuerat.

14 *munus absconditum* Cum quis irato sibi munera occulte defert, huius iram, furoremq; sedat: donum etiam in sinu .i. clam oblatum vehementissimam etiã iram lenibit, prorsusq; demulcebit.

## Vers. XV. XVI.

15 Gaudium iusto est facere iudicium: ª & pauor operantibus iniquitatem.

16 Vir qui errauerit a via ᵇ doctrinæ ᶜ in coetu gigantum commorabitur.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. confractio.* b *Chal. intellectus.* c *Syr. cum filijs terræ requiescet.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *gaudium iusto* Magnam capit Deus voluptatẽ iudicio in iustos exercendo, vt vitam bonis omnibus cumulatam sæculi venturi meritis circumfluentes obtineant: gaudio item iustus .i. Deus perfunditur, cum flagella, ærumnasq; in iustos immittit, vt futuro æuo puri reddantur. Ita in Medras psalmorum.

*pauor operantibus iniquitatem* Cum illi animum non adiungant, vt ad meliorem frugem redeant, nec fructum vllum ex hisce calamitatibus percipiant, nec ærumnis vexati proficiant cõsternabũtur

*qui errauerit* Qui a sacræ legis norma aberrat.

*in cœtu gigantum* In cætu gehennæ erit.

## A. ABEN EZRA.

15 *gaudium iusto* Cum iudicia iustus exercebit, salutis gaudio per-

perfundetur; pauor autem, seu consternatio iniqua gerentibus ingruet.

16 *qui errauerit* Cum sapientiæ iter rectum sit, qui ab ea discesserit prauis actionibus, errat.

*a via doctrinæ* A via intelligendi, seu intellectus, nam השכל haschel est adiectiuum, vel nomen verbale.

*in cætu gigantum* רפאים rephaim .i. mortuorum.

*commorabitur* Quiescet, nec amplius aberrabit. Vel etiam ibi erit illius quies, nec partem cum iustis habere poterit, quod consentaneum arbitror.

## LEVI GHERSOM.

15 *gaudium iusto* Cum iustitia apud mortales exercetur, id iusto gaudium afferet; tunc .n. confidet, regni retibus haud se inuolutum iri, cum a nefarie agendo sedulo abstineat. Hoc idem agentibus inique est ipsa calamitas, & consternatio; vehementer enim formidant, ne criminum suorum pœnas luant.

16 *Qui errauerit* Qui quoad animi sensa falletur, cum adultæ ætatis erit, in eorum cætum migrabit, qui repentino casu moriantur, simulq; cum illis mortem obibit. Vel etiam insinuant ista, versari hunc in illorum cætu, qui ad mortem, exitiumq; tendant, cum flagitijs suis maxime gaudeant, quibus aditus præbeatur ad improbas suas cupiditates explendas.

## Vers. XVII. XVIII.

17 [a] Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.

18 [b] Pro iusto datur impius: & pro rectis [c] iniquus.

## VAR. LECT.

*a Chal. vir qui egenus est, & diligit lætitiam, diligitq; vinum, & vnguentum non ditabitur. Syr. Vir indigens, & diligens gaudia, & vinum, & iucunditatem nõ ditabitur. b Chal. in commutatione iusti. c Chal. direptores.*

## SALOM. ISAC.

17 *qui diligit epulas* שמחה simchah. gaudium. Qui diligit assidui conuiuij gaudium ad egestatem redigetur.

18 *pro iusto datur impius* Iustus seruatur a discrimine, impius vero eius vices subiens calamitate plectitur, vt contigit Mardocheo, & Haman.

## A. ABEN EZRA.

17 *epulas* שמחה simchah gaudium. Gaudium edendi, & conuiuiū iucundi virum egentem reddit, quod rerum omnium expers futurus sit; idem etiam fit cum vini amico, ac pinguium, qui hæc in cibos adhibeat, diuitias enim congerere nequibit.

18 *pro iusto* כופר copher, vice. q.d. Iustus ex ingruentibus calamitatibus subducetur, illiusq; vice iniquus in exitium ruet.

## LEVI CHERS.

17 *epulas* שמחה simchah gaudium. Qui gaudia corporis amat, eiusdemq; cupiditatibus oblectatur ad egestatem detrudetur, cum in hasce voluptates diuitias profundat. Qui item vino deditus est, delicijsq; affluere gestit, eadem de causa non ditabitur, quod quidem ijs, qui praua hac consuetudine sunt imbuti, ita perniciosum est, vel etiam quoad res corporis, vt efficiat, ne vir aliquam animi absolutionem, virtutumq; coronidem obtineat. & forte illa, *in egestate erit & non ditabitur* id insinuant, egestatem nullam grauiorem esse ea, qua quis rerum cognitione caret: præstātissimās item diuitias esse, cum ijs, quæ ad cognitionem, pertinent absoluimur.

18 *pro iusto datur impius* Cum forte iuxta communis prouidentiæ ordinem noxium quid iusto obuenire oporteret, pro illo Deus iniquum supponit, vt pro integris scelesti calamitatibus inuoluantur, quod quidem euenit, cum ob peculiarem prouidentiam, qua Deo cordi sunt, subducantur probi hisce ærumnis: Cum vero impij fructum hunc reportent ex suis criminibus, vt ab ijsdem abluantur, vt constat ex allatis ad declarationem libri Iob, hac de causa profligati ad huiusmodi calamitatem adiguntur.

## Vers. XIX.

19 Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda.

## SALOM. ISAC.

19 *melius est* Hoc etiam pertinet ad demonstrandum, quando diuini numinis aura mortales spoliantur.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

16 *in terra deserta* in qua perferendus æstus, ac gelu. *muliere rixosa* quæ marito subinde bilem ciet.

## LEVI GHERS.

19 *melius est* Lōge præstat, ut in solitudine moretur quam domi cum uxore rixosa, & iracunda, quæ cum marito suo iras, iurgiaq; assidue exerceat. Declarant præterea hæc, iram turpem esse consuetudinem, ut etiam gaudium ob corporis illecebras, & uoluptates.

## Vers. XX. XXI.

20 *a* Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: *b* & imprudēs homo dissipabit illud.

21 Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.

## VAR. LECT.

*a Chal. argentum desiderabile, & oleum in habitaculo sapientis. b Syr. sapientia, & prudentia filiorum hominum degluttet illud.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *imprudens* כסיל chesil. Vecordia, imprudentiaq; præditus illud profundet.

## A. ABEN EZRA.

20 *thesaurus* אוצר otsar. Nomen genericum vniuersa præstantiorum ciborum genera comprehendens, quæ a viro reponuntur: olei vero tantum facta est mentio, quod inter cætera primas obtineat, cum illo cultum Deo deferamus. Mortales autem inter arbores cæteras oleæ principatum tribuerunt ob illius præstantem pinguedinem, vt testatur tritum illud, sapientis esse, oleum recondere, nec illo vesci.

*& imprudens* כסיל chesil stultus. Demens ergo diuersa prorsus ratione a sapiente statim ac illud compararit, dissipat etiam, & deuorat. Vox autem כסיל chesil si coniungatur cum אדם adam nomen erit generis .i. stultus hominum, velut זבחי אדם zouche adam, ho- Hos. 13. v. 2

minum ſacrificantes. Vel etiam is ſtultus erit. Vtrumq; autem mihi non ineptum videtur.

21 *qui ſequitur iuſtitiam* Qui iuſta decernere properat, iuſtitiæ veſtigia ſequi videtur.

*inueniet vitam* Longiorem vitæ vſuram capiet, & a Deo ſalutari ſuo ea obtinebit, quibus egebit.

*& honorem* Honorem etiam, quo ab hominum genere afficietur, reportabit: aut dabit illi Deus כבוד cheuod .i. diuitias, iuxta vim illorum כבד מאר cheuod meod. diues valde.

## A. ABEN EZRA.

20 *theſaurus* In ſapientis domum theſaurus deſiderabilis, oleūq; inferetur, ob diuinæ prouidentiæ beneficium, quo peculiariter gaudet; cum præterea hic ſuas facultates conſeruet, nec eas niſi in vſus opportunos inſumat. Quodſi vecors huiuſmodi theſauro præditus ſit, alter aderit, qui illum abſorbeat, hic vero nulla huius parte veſcetur.

21 *qui ſequitur* Qui iuſtitiam, integritatemq; quoad mores, ac animi ſenſa conſectatur, ac benefice, & pie in cæteros ſe gerere ſtudet, animi, corporiſq; vita gaudebit, opinioneſq; veritati, & æquitati congruentes animo fouebit, ex quo gloriam reportabit, iuxta illud, gloriam hæreditabunt ſapientes: Atq; id contigit, quod cum recte ſentiat, eorum verba refellet, ſceleriſq; reos demonſtrabit, qui in iudicio illi aduerſati fuerint.

## Verſ. XXII. XXIII. XXIV.

22 Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & a deſtruxit robur fiduciæ eius

23 Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam.

24 b Superbus, & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam.

## VAR. LECT.

*a Chal. detrahit. Syr. edomuit arces fortitudinis eius. b Chal. Deriſor; tumidus, ſuperbus, eſt nomen eius; faciens iram ſuperbia ſua. Syr. audax cuius nomen validum eſt, iniquitatem facit in furore ſuo.*

SA-

## SALOM. ISAC.

22 *ascendit sapiens* Hic est Moyses, qui inter angelos maximo robore præditos prouectus est.

24 *vocatur indoctus* לץ שמו delusor nomen eius. Qui animo tumido, arrogantiq; est, ad extremum delusor fiet, aures arguenti præbere denegans.

## A. ABEN EZRA.

22 *ciuitatem fortium ascendit sapiens.* Declarant hęc sapientiam fortitudini, ac robori præstare.

*robur* Vox hæc mœnia demonstrat, iuxta illud, & destruentur muri tui firmi. deut. 28 v. 52.

*fiducia eius* Cui fortiores fidebant.

23 *Qui custodit os suum & linguam* Vtraq; enim in sermone societatem habet. Sententia autem ea est. Qui hæc a verbis contumeliosis cohibet, seipsum a malis vniuersis seruabit. Vel etiam hæc de illo exponenda, qui os suum a cibo, & linguam suam a nefarijs verbis, cohibet.

22 *arrogans* יהיר iahir. Vox hæc conuenit cum illa גבר יהיר gheuer iahir. Vir superbus: q. d. Superbus arrogans derisoris appellationē sortietur. Apud Rabbinos autem illa vsitata est dicendi formula נתיהר עליהם בעברה nitiaher halehem beheurah. i. ira in illos æstuauit, superbeq;, & contumeliose se gessit: ira vero appellatur עברה heura. i. excessus, quasi limites excedat iratus, & beneuolentię consuetudinem prætergrediatur, & violet, iuxta illud, iniquitates meæ supergressę sunt caput meum. Abac. 2. v. 5. ps. 38. v. 5.

## LEVI GHERSOM.

22 *ciuitatem fortium* Sapiens ergo fortium ciuitatem ingreditur, eamq; sapientia expugnat, cum sapientia robori pręstet, vt memoratum est ab Ecclesiaste; idem etiam diripit munimenta ciuitatis, arcesq; munitissimas, quibus ciues fidebant. Declarant hæc pręterea sapientię dignitatem, & commoda ex eadem dimanantia, etiam quoad illa, quę ad robur, & fortitudinem spectant; quę quidem sapienti obueniunt, tum ob sapientiam, qua excultus est, tum ob peculiare diuinę prouidentię beneficium, quo gaudet.

23 *qui custodit* Qui os, linguamq; suam moderatur, ne sermoni vacent, seipsum etiam a multis calamitatibus seruat, cum plurima crimina ex sermone incurrantur, vt iam declarauimus.

24 *superbus arrogans* Iniquus inflatus, qui nefarie agendo superbe se gerit, derisoris appellatione insignitur; nam ad scelera patranda ab arrogantia, & fastu adduci videtur, cęteros ludibrio habēs, quos

flocci facit, & superbiæ æstu sannis excipit, & deludit. Quare huius generis aliqui reperiuntur, qui sannis, & cacchinis perniciem affectant alijs, quos in nulla existimatione habent, vt de illo constat, qui licet alterum odio insequeretur, illi tamen noctu somno sopito pedem præcidit, idq; tantum ioci, ludibrijue gratia. Quamobrem maximum dedecus reportatur ob deridendi vitium, & damna ex eodem ortum habentia.

## Vers. XXV. XXVI.

25 Desideria occidunt pigrum: * noluerunt enim quidquam manus eius operari:
26 Tota die concupiscit, & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit.

## VAR. LEC.

*a* *Syr. quia noluit, vt manus eius operarentur aliquid.*

## SALOM. ISAC.

26 *Qui autem iustus est tribuet* Iustus familiæ suæ necessaria subministrat, quæ abunde a Deo suppeditantur.

## A. ABEN EZRA.

Coniunguntur hæc duo.

25 *occidunt pigrum* Cupiditatibus suis deses perimitur, quando votorum suorum compos fieri nequibit.

*noluerunt enim* Perinde ac si hic aliquid præstare vellet, manus vero dissuaderent.

26 *tribuet* Probus inerti largietur.

*non cessabit* Nec munera sua continebit.

## LEVI GHERS.

25 *desideria* Iners cupiditate iugiter inflammatur coronidis virtutum obtinendæ, verum a desidia retrahitur, quo minus huic comparandæ vacet, ex quo mortem obibit, nihilq; eidem præter cupiditates supererit, cum illius manus elaborare aliquid noluerint, quo vota succederent.

26 *tota die* Æstuat subinde piger desiderio, sed id nullam in eo impressionem facit.

*qui iustus est tribuit* Iustus autem opportunam actionem, studijque par-

partem ſingulis rebus impendit,nec operam ſuam deeſſe vult ad artes,vel ſapientiam adipiſcendam.

## Verſ. XXVII.

27 Hoſtiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere.

## VAR. LECT.

*a Chal. ſacrificium. b Syr. in iniquitate.*

## SALOMON ISACIDES.

27 *quia offeruntur ex ſcelere* Multo etiam magis deteſtatur Deus hoſtias, quæ vt Deus ſceleris auctor fiat, ac impio conſilio offeruntur, vt conſtat de victimis Balaham, & Balach, quę nonniſi ad execrationem gentis Iſraeliticę offerebantur.

## A. ABEN EZRA.

27 *Hoſtiæ* זבח Zeuach,hoſtię,& vniuerſa,quę offeruntur,vt teſtatur illud, & obtuliſtis ſuper eum hoſtias tuas. Q.d: Auerſatur Deus hoſtias,quas aſſidue criminoſi offerunt:cum vero id pręſtent,vt callide ſe gerant,multo magis eas idem infenſas habet.

## LEVI GHERSOM.

27 *Hoſtiæ impiorum abominabiles* Si victimas perditi Deo offerant, licet ad diuinum cultum id præſtent,eas tamen ille inuiſas habet;hi .n. illis adducendis quod a Deo conſtitutum eſt,in votis non habēt: quod ſi etiam accurate rem meditantes, & ſingulari cogitatione peruidentes,hoſtias adducant, id tamen Deo abominabile eſt, cum ſacrificia offerant ad crimina abolenda, ſe tamen dum ſacrificio vacant criminibus nō expiantes.Atq; is mihi videtur poſſe cum eo cō parari,qui ad macularum ſordes diluendas aquis ſe intingeret,interim vero reptile,vel rem maculis fędatam manibus geſtaret. Et forte hęc etiam erit mens. Multo magis deteſtatur Deus hoſtias impiorum,quas adducunt animo praua molientes,quod eſt ſcelus,quo ſe obſtringunt.

## Verſ. XXVIII.XXIX.

28 Teſtis mendax peribit: vir a obediens b loquetur victoriam.

29 [c] Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, [d] corrigit viam suam.

## VAR. LEC.

*a Chal. Vir bene audiens. b Chal. recte loquetur. c Chal. impudens facie vir impius est. d Syr. dirigit. Chal. præparat.*

## SALOM. ISAC.

28 *obediens* שומע someha audiens. Qui admittit quę a sacra lege præscripta sunt, non dices falsum testimonium in fratrem tuum. *loquetur victoriam* Assidue loquetur.

29 *vir impius* Quo tempore perditus ira excandescit, impudentiam, ac proteruiam suam demonstrat.

*vultum suum* בפניו bephanau. in ira sua. Hæc vox idem significat quod אף aph .i. naris, & ira.

## A. ABEN EZRA.

28 *testis mendax* Mendax periurus.

*vir obediens* שומע someha audiens. Qui audierit mendacem perijsse, omni ętate; quam deget cęteris prędicabit, huius memoriam propter mendacia eiusdem interijsse.

29 *Vir impius* Obfirmat vultum suum impius, nec erubescit; probus vero intelligere potest, quid sibi consentaneum sit, frõtemq; perfricatam in primis honestum virum dedecere.

## LEVI GHERSOM.

28 *testis mendax* Si sępius quispiam ad falsa recensenda adductus fuerit, illius testimonium, nullam vim habebit, & abolebitur.

*viro obediens* שומע someha audiens. Qui ex alterius ore mẽdaciũ audiet, illud indicabit, semperq; sibi constabit in ijs, quę narrabit ad longissimum temporis interuallum, cum vera testetur, nunquam varius quoad ea, quę ex periuri testis ore se audiuisse narrabit; in mendace vero secus se res habebit, cum inter se diffidentibus cogitationibus illius mens abstrahatur.

29 *vir impius* Perditus ergo non solum sermone diffidebit ab ijs, quę animo machinatur, sed etiam frontem perfricat, ne illius mutatio cognoscatur, atq; is motus, qui consequi solet speciem uultus, cũ quis mentitur. Verum integer vir optime perspectum habebit quod institutum, quoad oris, vultusq; conformatione amplecti oporteat.

Vers.

## Verſ. XXX. XXXI.

30 Non eſt ſapientia, * non eſt prudentia, non eſt
conſilium contra Dominum.
31 Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſa-
lutem tribuit.

## VAR. LEC.

* *Chal. intelligentia.* c *Syr. non eſt conſilium ſicut Domini.*

## SALOM. ISAC.

30 *non eſt ſapientia* Sapiens quilibet, ac prudens in nulla prorſus eſt exiſtimatione, ſi cum Deo comparetur; multoq; magis ſi ſua ſapientia abutatur in Deum, licet nobilis ſit magiſter, nullo honore afficietur.

## A. ABEN EZRA.

Coniunguntur hęc duo, ad hunc ſenſum. Non eſt vir, cui prudentia, ſapientia, vel conſilium proſit contra Dominum, hoc eſt, vt ab illius manibus ſubducatur aliqua horum ope, etiamſi ad fugam capeſcendam ad prælij diem, equum pręparatit, ſe tamen ſubducere nequit, & diſcrimen euadere; Dei enim eſt, in columem pręſtare quem magis pro arbitratu voluerit.

## LEVI GHERSOM.

30 *non eſt ſapientia* Nulli vſui ſunt ſapientia, prudentia, conſiliũque in ijs, quę quis animo in Deum machinatur; licet .n. is maxima ſapientia polleat, remq; apprime intelligat, & aptiſſimum deniq; cõſilium ineat, haud tamen diuinum decretum poterit immutare, vel illud aſſequi, vt conſtat ex ijs, quæ Ioſepho contigerunt, ac ex varijs hiſtorijs, quę in ſacris vaticinijs paſſim leguntur. Illam etiam mentem huius verſiculi forte affirmabimus. Haud nimirum opus eſt ſapientia, prudentia, conſilioq; illi, qui charus ſit Deo, proximuſq; eiuſdem curę, qui nempe Deo adhęſerit, vt votorum ſuorum compos fieri ſtudeat; diuinum .n. numen ita conatus, & ſtudia mortalis inſtituit, vt recte cogitata ſuccedant. Vtriq; autem explicationi optime conſentit, quod mox ſubditur.

31 *equus ad bellum* Inſtruitur ergo equus ad certaminis diem, vt ad irruptionem in hoſtem faciendam, eundemq; expugnandum,

præsidio sit: sed .n. mentitur equus, proditq; cum de salute agitur, quæ solum a Deo tribui potest. Quocirca sæpissime exercitus validissimos, & maximos a tenuibus, infirmisq; copijs profligatos reperies, quod clare demostrat, nullam vim habere bellicos apparatus ad diuinum decretum abolendum; superuacaneos illi etiam eosdem esse, cui diuinum præsidium præsto adsit.

# CAP. VIGESIMVMSECVNDVM.

## Vers. I. II.

1 [a] Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ super argentum, & aurum, [b] gratia bona.

2 Diues, & pauper obuiauerunt [c] sibi: vtriusq; operator est Dominus.

## VAR. LECT.

*a Chal. electum est nomen bonum: b Syr. misericordia. c Chal. obuiauerunt sibi mutuo.*

## SALOM. ISAC.

1 *nomen* Supple bonum. Longe præstat honesta fama diuitijs maximis.

*gratia bona* Auri, argentiq; copijs anteponendus est fauor, & beneuolentia.

2 *diues & pauper obuiauerunt* Cum pauper diuitis opem implorat vt sibi alimenta subministret, diuesq; acerbis verbis in illum vtitur, tunc omnia a Deo mutantur, itaut hic ad egestatem redigatur, alter diuitijs cumuletur.

## A. ABEN EZRA.

Connectuntur hæc inuicem.

1 *Melius* Duplici loco vsui est, hac nimirum ratione: Tum gratia, tum nomen honorificum diuitijs anteponenda; diues .n. & inops sibi obuiauerunt. Atq; hoc ita intelliges, cum rerum causæ cælitus in terram deueniant, homines qui hisce afficiuntur, eas obuias habere .q d. huic diuitias, alteri egestatem occurrere; quod quidem indicant illa, vtriusq; operator est Deus, cum a Deo diuitiæ, paupeniesq; impertiatur, diuitesq;, ac indigentes efficiantur Verum honorifica fama forte non est obuia; hanc .n. sibi mortales com parāt præclare

gestis,

gestis, vt etiam gratia, quam ab illis inibunt, qui horum gloriosa gesta contemplati fuerint; quocirca multitudini diuitiarum hæc sunt anteponenda.

## LEVI GHERSOM.

1 *melius est* Constat inter omnes, famam viro parari morum probitate, ac recte factis, quod lectius est, quam si opulentissimis facultatibus instructus esset. Beneuolentia etiam, quam sibi quis à cæteris conciliat, auro, & argento est præferenda; maiori namq; præsidio, & robori in calamitatibus est morum integritas, præclare facta, & charitas, quam si quis auro, argentoq; muniatur, vt trito prouerbio circumfertur, præstantius esse habere amicum in foro, quam aurum arca reconditum.

2 *diues & pauper* Vt autem declaretur, diuitias haud ita præoptãdas, inquit, contigere, vt diues inopi mutuo occurrat, hoc est, paulisper diuitem a suis facultatibus decidere, inopem vero promoueri, & paulatim ijsdem augeri, itaut hi pares facultatibus euadant, Deo hunc ad pauperiem tradente, alterum ad diuitias prouehente. Illud etiam hisce verbis insinuari affirmabimus, obuiare sibi pauperẽ, & diuitem, quod alter absq; alterius opera vitam traducere nequeat. Atq; vt exemplis agamus. Si vniuersi facultatibus pollerent, nullus esset, qui in vlla arte, ac opere insudaret, communisq; societas interiret: Quodsi omnes paupertate laborarent, alter ab altero educari non posset. Quamobrem constat, aliquos a Deo diuites, alios inopes fieri, vt res creatæ cõseruentur. Hæc etiam, diues & pauper obuiauerunt sibi eandem habebunt sententiam, quam illa, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt se. ps. 84.

## Vers. III.

3 ª Callidus vidit malum, & abscondit se: ᵇ innocens pertransijt, & afflictus est damno.

## VAR. LECT.

a *Syr. Astutus vidit improbum flagellari, & vehementer correptus est.* b *Chal. insipientes transierunt, & mulctati sunt. Syr. stulti autem pertransierunt super eum, damno affecti sunt.*

## SALOMON ISACIDES.

3 *callidus* Prudens pœnam noxæ impositam animaduertit, &

*& abscondit se* Ne piaculum incurrat se maxime cohibet.

## A. ABEN EZRA.

3 *callidus* Prudens, qui rerum prouidentia sit imbutus imminentia mala prospicit, dilabiturq; ac se in latibulum proripit, donec furoris æstus prætereuehatur, ac deferuescat.

*innocens* פתיים petaijm. stolidi, Incauti vero impij ad scelera excurrentes mulctantur, ac pœna afficiuntur.

## LEVI GHERSOM.

3 *callidus* Prouidus igitur vir, & sapiens calamitatem præuidet, antequam eadem prematur, seq; subtrahit, vt eam effugiat. Improuidi vero ad id mentem non adijciunt, atq; ideo discriminis locum prætereuntes, ibidem pœnas, exitiumq; subeunt.

## Vers. IV. V.

4 [a] Finis modestæ timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita.

5 [b] Arma, & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.

## VAR. LEC.

*a Chal. merces mansuetudinis. Syr. extrema humilitatis.*

*b Syr. retia, & laquei in via peruersa. Chal. pedica & laquei.*

## SALOM. ISAC.

3 *finis modestiæ* עקב hekeu. propter. Propter modestiam diuinus timor nobis inditur. Aliam etiam adhibe expositionem. Modestia est præcipua rei pars, & quoddam fundamentum: timor autem est id cuius minor ratio habetur, quodq; subsequitur, ad pedes .n. modestiæ timor incedit.

4 *arma, & gladij* צנים tsinnim. Vox hæc eandem vim habet, quam illa בצנינים betsaninim, & conuenit cum illis, & veniet super te הצן quæ significant armatos viros, & latrones. Latrones igitur, & laquei sunt absconditi in via profligati .i. calamitates, & pœnæ eidem imminent.

*Qui custodit* Qui vero rebus suis prospicit, suasq; actiones rite instituit, huiusmodi discrimina euadet.

## A. ABEN EZRA.

4 *finis modestiæ* Modestiæ finis parit timorem Domini, iuxta vulgatum illud, præceptum ex alio ortum ducere.

*& gloriæ* כבוד chauod opulentiæ. A modestia opulentia comparatur. Vel efficitur ab eadem, vt huic cæteri honorem impendant.

*& vita* Vt ad multam ętatem vita producatur.

5 *arma* צנים tsinnim. Hæc vox deducitur a radice צן & vim illorum habet לצנינים spinasq; significat, quæ in perditi semitis reperiuntur, quibus transfadigatur. Hinc præterea fit, vt qui sibi ipsi inuigilat, nec piacula perpetrat, longe a spinis diuellatur.

## LEVI GHERS.

4 *finis modestiæ* Modestiam, suiq; demissionem amplectenti ea merces rependitur, vt ad diuinum timorem animo imbibendum promoueatur; cum .n. abiecte de se sentiat, ideo subliminora, & præstantissima intelligere poterit. Cum autem diuinæ virtutis infinitã vim animaduertet præ viribus eiusdem timori assuescet, atque ideo iuuabitur, vt sibi paret diuitias præstantissimas quoad mores, & rerum peritiam, augeaturq; gloria, & vita quoad res politicas, vt facile constat ex ijs, quæ paulo ante recensuimus.

5 *arma* צנים tsinnim frigus In via peruersi, qui scilicet deuium iter habet, cum caute non prospiciat, quę nam via opportuna sit, vt arripiatur, in huius inquam via est, tum frigus, a quo cum aer refrigeratur, acerbe lædatur, tum laquei, quibus pedes implicentur. Qui vero sibi cauet .i. qui sedulus sua instituta examinat, rectumq; iter tenet, a noxijs hisce subtrahetur; neq; enim se discrimini committet, solerterq; intelliget, quidnam illud sit, cui adipiscendo studere oporteat; qua item ratione impendẽtes, calamitates, discriminaq; euitare queat.

### Vers. VI.

Prouerbium est: ᵃ Adolescens iuxta viam suam, ᵇ etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. erudi adolescentem. Syr. qui corripit puerum iuxta vias suas. b Syr. quamuis senescat.*

## SALOM. ISAC.

6 *adolescens* חנך chanoch. Imbue adolescentem. Quę adolescentem docueris, quando illum instruxeris, siue laudabilia, siue nefaria sint, etiam cum ad senectam deuenerit, mordicus retinebit, nec vnquam deseret.

## A. ABEN EZRA.

6 *adolescens* חנך chanoch. Instrue. Adolescentem imbue nam vox חנך chanoch eiusdē est significationis, ac חניכיו chanichau, expeditos vernaculas suos, seu armis bellicis assuetos.

*etiam* גם gam. Particula emphatica, qua adolescentiam, senectamq; in hoc versiculo includi declaratur.

## L E V I G H E R S O M I T E S.

6 *adolescens* Cum quis adolescentem instituerit, iuxta morem, quem naturę propensione, vsuq; amplexus fuerit, id secum statuens futurum, vt cum prouectioris ętatis fuerit, rectam semitam ineat, grauissime fallitur; nam experimento animaduertet, nunquam futurum, vt hunc ab huiusmodi praua cōsuetudine reuocare possit, cum etiam quando consenuerit seipso ab ea non diuellatur.

## Vers. VII. VIII. IX.

7 [a] Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum seruus est fęnerantis.

8 Qui seminat iniquitatem metet mala, & virga iræ suæ consummabitur.

9 [b] Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.

## VAR. LEC.

*a Syr. pauper imperat diuiti, & seruus mutuum dabit fæneratori. Ita vertit Isaac Maronita, sed nescio an recte.*

*b Chal. Qui bonum occulum habet.*

## SALOMON ISACIDES.

7 *Diues pauperibus* Qui in ignorationis tenebris versatur, procul dubio

dubio sapientiæ studioso semper opus habebit.

8 *qui seminat iniquitatem* Qualem quisq; sementem fecerit, talem & messem reportabit: præmium etiam actionis par erit.

*virga iræ suæ* Palea, seu spicæ calamus absumitur, & euanescit. Nec desunt qui inquiant, virgam iræ suæ iræ nimirum potestatem, qua in mortales abutebatur abolitam iri, eiusq; vim, & auctoritatem pessum ituram.

## A. ABEN EZRA.

Pendent inuicem hæc tria.

6 *diues pauperibus imperat* Diues pauperibus imperabit, cum nullius rei copia sint instructi: mutuo autem accipientem, violenter in seruitutem rediget.

9 *qui seminat iniquitatem* Opulentus inique agens, vt in pauperes imperium obtineat, metet mala .i. pœna consentanea afficietur.

*viga iræ suæ* Ira virgæ comparatur, iuxta illud, Assur virga furoris mei, & sensus erit. Quando in inopes ira efferuescet, consummabitur virga, nec enim præterea illis insultare licebit, Deo illum abolente.

9 *Qui pronus ad misericordiam* טוב עין tou hain benigno oculo. Qui e pane suo indigentibus impertietur coelestibus benedictionibus cumulabitur.

## LEVI GHERS.

7 *Diues pauperibus imperat* In pauperes imperium obtinet diues, atq; hac ratione diuitię laude, dignitateq; non carent.

*Et qui accipit*. Cum vero diues alteri mutuo dat, mutuo accipiens prosternitur, & subditur velut si seruus esset ob beneficium, quo ab illo affectus est. Hac igitur ratione pauperibus diues imperat, quando illis beneficia confert.

8 *Qui seminat* Sed qui secus, quam diximus mortalibus dominari cogitat, seq; impotenter, & inique in eosdem gerit, huiusmodi imperium in illos diutius non durabit; malo enim ob nefaria, quę prętat, mulctabitur; cum enim iniquam sementem faciat, paria reportabit ijs, quæ inique præstiterit, nam nullus alius fructus consequetur, quam labor, atq; flagitia, non autem quippiam, ex quo aliquid emolumenti percipiatur. Illud præterea eueniet, vt ob crimen aliquod virga furoris eius absumatur, cum nimirum potestate imperioq; spolietur, ita vt alios furoris virga verberare nequeat, velut antea solebat.

9 *Qui pronus est* Sed qui benignis est oculis, in aliosq; imperium exercet in eos beneficijs conferendis, benedictionem a Deo repor-

tabit, viribusq; augebitur, vt ijsdem prodesse, & imperare queat, quod panem suum indigeti elargiatur, nam ita se gerentem Deus benedictione cumulat.

## Vers. X, XI.

10 Eijce derisorem, & [a] exibit cum eo iurgiū, [b] cessabuntq; causæ, & contumeliæ.

11 [c] Qui diligit cordis mundiciam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

## VAR. LECT.

*a Chal. & expelle contentiosum. b Chal. & cessabit iurgium & ignominia. Syr. cessabit lis, & opprobrium, ne si sedeat in consessu, omnes probris afficiat. c Chal diligit Deus mundum corde, & in gratia labiorum suorum socius erit regis. Syr. & amat labia sociorum regis.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *Eijce derisorem* Mali fomitem, ac propensionem a te auellere stude.

11 *Habebit amicum regem* Qui labiorum puritate præstat, amicum habebit regem, idest Deum, qui & hunc amabit, & cæteris in amoribus esse curabit.

## A. ABEN EZRA.

10 *Eijce* Derisorem a conspectu tuo remoue; tunc .n. iurgia procul a te recedent.

*cessabuntq; causa* דין din iudicium. Nec enim in iudicium vocaberis.

*& contumelia* Nec contumelia appeteris.

11 *Qui diligit* Duplici loco hoc vsui est. Qui diligit cordis mundiciem, & scelerum purus est, quæ scorijs comparātur: qui etiam labiorum gratiam diligit .i. Vir, quis in oculis fertur, quod peritia loquendi præstet, vbi חן chen potest esse nomen thoar: Qui ergo vtraque hæc amore prosequitur, dignitate augebitur, itaut etiam ipsemet rex cum illo amicitiam sit initurus, quemadmodum habetur de Chusai Archite, qui cum munditiei studiosus esset, in Dauidis amoribus erat.

LEVI

## LEVI GHERS.

10 *Eijce derisorem* Cæteros derisor odio,sannisq; prosequi solet, atq; inter alios dissidia disseminare: quod si hunc domo detrudas, cum eodem simul iurgia erumpent, cessabuntq; lites,& ignominia lites ferentis,aliosq. pudore suffundentis.

11 *Qui diligit* Sed cum quis sincero corde præstat, aliosq. amore sincero prosequitur, huiusmodi beneuolentia, & charitas,quam in socios suos, amicosq. verbis prodit in eo imperium, ac potestatem obtinet. Vel etiam ea erit sententia. Hic ea tantum sermone profatur,quæ animo prestare decernat. Sed prior sensus verbis precedentibus magis consentit.

## Vers. XII.XIII.

12 a Oculi Domini custodiunt scientiam: & a supplantantur verba iniqui.

13 b Dicit piger: leo est foris, in medio platearum occidendus sum.

## VAR. LEC.

a *Chal. protrudit verba prædonum. Syr. profligantur verba mendacij. b Syr. dicit piger quando mittitur. c Syr. ecce occisor in platea.*

## SALOM. ISAC.

13 *Dicit piger* Hos deses vsurpat sermones: leo foris est, quomodo ad legem addiscendam progrediar?

## A. ABEN EZRA.

12 *oculi Domini* Vsurpatur hec dicendi formula in sacris litteris de Deo, vsitato hominum more: oculi autem tum voluntatem, tum beneplacitum, vel eiusdem intellectum significant.

*custodiunt scientiam* Custodiunt viros scientia imbutos ab vniuersis calamitatibus.

*& supplantantur* יְסַלֵּף iesalleph. Deus ipse verba iniqui praua machinantis in scientia excultos peruertet,& irrita reddit.

13 *piger* Scelestus.

*leo est foris* Hec sermone vsurpat, ne ad victum procurandum prodeat.

*occidendus sum* Leo enim me morti tradet.

## LEVI GHERSOM.

12 *Oculi Domini* Sapientum mentem conseruant oculi, seu prouidentia Dei, vt illorum cogitata, & consilia reipsa eueniāt. Idem verò Deus iniqua verba demolitur, cum eos deijciat ab ijs, quę consulto deliberauerant.

13 *Dicit piger* Ignauus domo non prodit ad opus suum, prę insigni desidia, qua torpet, inquitq; leonē foris esse, a quo discerpatur, si domo exeat, prędonesq; forum occupare, a quibus iuguletur, si in illud se conferat.

## Vers. XVI. XV.

14 Fouea profunda os alienæ: Cui iratus est Dominus incidet in eam.

15 ª Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinę fugabit eam.

## VARIÆ LECTONES.

ª *Syr. Stultitia auolare facit cor pueri, & virga disciplinæ longe est ab eo.*

## SALOM. ISAC.

14 *Os alienæ* Idololatria.

*Incidet in eam* Qui Deo inuisus est, in eam delabitur. Vox autem זעום zehum eum significat, qui a Deo sit acriter obiurgandus.

## A. ABEN EZRA.

Mutuum hæc habent sensum. Velut fouea profunda est os mulierum alienigenarum erga eum, cui Deus iratus sit. Quem ergò Deus infensum habet, cuiusq; morte delectatur, in eā corruet. Adolescens verò licet stultitiam corde foueat, virga castigationis verberari necesse est, vt ità stultitiam a se depellat.

## LEVI GHERSOM.

14 *Fouea profunda* Cum quis aliena, pugnantiaq. loquitur, quæ nimirum veritati, aptisq; fundamentis, & principijs repugnant, id prorsus simile videtur profundę foueę, in quam qui decidat nullum habeat adminiculum, quo inde exeat.

Cui

*Cui iratus est*. Ei iratus est Deus, qui in hanc foueam corruit, nam subinde a recto tramite, virtutumq; culmine recedet, ita vt semper in perniciosó hoc instituto firmius obdurescat.

15 *Stultitia colligata est* In rei exordio stultitia adiuncta est cordi pueri, cum fluctuet perturbatus, & deliberatione matura careat ad ea peragenda, quę destinarit, nec in suis negotijs consentaneis, accommodatisq; causis vtitur; neq; animo sedato est, vt aptè intelligat, quid prętandum quiduè pręterm ittendum. Sed enim virga institutionis ab huiusmodi adolescente dementiam arcebit. Atq; ideò operę pretium est, vt a parentibus puer instituatur in negotiorum primordijs; tunc enim aptus erit institutioni recipiendæ.

## Vers. XVI.

16 Qui calumniatur pauperem, ᵃ vt augeat diuitias suas, ᵇ dabit ipse ditiori, & egebit.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. multiplicat sibi malum. Syr. multiplicat malum. b Syr. qui dat ditiori est sibi pernicies.*

## SALOM. ISAC.

*Qui calumniatur* עשק hosech. opprimens. Qui tenuem opprimit, vt sibi diuitias conflet, & congerat, ad extremum diuitias suas diuiti dabit, ideſt gentiū regibus, qui maximis diuitijs affluant, & procul dubio ad egestatem redigetur.

## A. ABEN EZRA.

16 *Qui calumniatur* עשק Qui opprimit egentem אך ach etiam. Particula hæc detrahit illi, quod animo versabat, vt diuitias augeret q. d. Qui vi proterit egenum, vt copias suas amplificet, vel etiam vt diuitibus eas tribuat, solum id præstat propter inopiam, vt nimirum ad eam redigatur, propterea quòd alterum circumuenerit.

## LEVI GHERSOM.

16 *Qui calumniatur* עשק hoseK. Premens; Qui coercet appetentem facultatem, qua corporis cupiditatibus inflammatur, cum nimirum huius propensioni morem non gerit, id maximi lucri erit; quanto enim magis ijs cohibendis quis assiduè insudabit, tanto minori cura, & cupiditate laborabit, atq; ideo maxima copia ad facietatem semper affluet. Qui verò diuiti dabit, qui nimirum cupidita-

tibus

tibus suis obsequetur, exinde egestate laborabit, tanto enim magis assidue esuriet, quo plura desiderabit, iuxta tritũ illud, Homini exigua sunt membra, quæ qui saturet, famescat, qui fame excruciet, saturſit. Aliam etiam horum mentem esse non ineptè affirmabis. Si pauper alium fraude circumueniat forte sollicitus, vt diuitias congerat, eo adigetur, vt operam suam omnem collocet in re sua augẽda. Sed enim inops qui diuiti facultates elargitur ex hisce muneribus nullum fructum reportat, tantumq; ad facultates imminuendas id pertinet; neq; enim diues oblata in pretio habet: quin pauperem contemnit, & subsannat, quod aliquid præbuerit, nec beneficium rependere studebit, quod satis perspicuum est in diuitibus. Verum prior explicatio magis arridet.

## Vers. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

17 ª Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ᵇ ad doctrinam meam,

18 ᶜ Quę pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, ᵈ & redundabit in labijs tuis.

19 Vt sit in Domino fiducia tua, vnde & ostendi eam tibi hodie.

20 ᵉ Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus, & scientia.

21 Vt ostenderem tibi ᶠ firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt te.

## VAR. LECT.

*a Chal. fili mi inclina. b Chal. ad scientiam meam. c Chal. Quoniam dulcia sunt, custodi ea in ventre tuo. d Chal. dirigantur simul in labijs tuis. Syr. firma ea tanquam vnum super labia tua. e Chal. Ecce ea tibi in tribus vicibus, in consilijs, & scientia. Syr. vt notum tibi faciam consilium, & scientiam. f Chal. veritatem, & verba recta, vt referas verba veritatis illis, qui mittunt te.*

# SALOMON ISACIDES.

17 *Audi verba* Ausculta sermones, ex quibus legem addiscas a sapiente, quisquis ille sit.

*Appone autem cor*. Quod si magister tuus flagitiosus sit, nè ex actionibus illius doctrinę exempla desumas.

18 *Quæ pulchra erit*. Iucũdum tibi accidet alio tempore, si ea verba conserues, ac mente recondas, nec vnquam obliuioni tradas. Verum vsquequo ea ita conseruanda tibi sunt? quoad vsquè nimirum labijs meis apte conueniant, cum scilicet ea pronunciabis, vt à Deo spes mea firma pendeat.

19 *Ostendi eam tibi*. Illud scias velim, in Domino spem tibi collocandam, & in sacra lege exercitationem ineundam. Neq; vero inquias, quomodò artis meę labores prætermittam, vndè mihi alimẽta subministrabuntur?

20 *Tripliciter*. שלשים Salifcim tria. Tria tibi descripsi, Sacram legem pentatheuco compręhẽsam, & prophætica, & sacra sapientiæ seu hystoriæ monumenta.

21 *Vt ostenderem tibi*. Hæc igitur triplici ordine tibi descripsi, vt ex ijs intelligeres firmitatem sermonis, vt vera respondere possis.

*His, qui miserunt te*. Ijs, qui dubia tibi proponent.

## A. ABEN EZRA.

Hi quinque versiculi connectendi;

17 *Appone cor*. Vt doctrina imbuaris.

18 *Quæ pulchra erit* Quoniam doctrina mea tibi erit oblectamento. Vel etiam quoniam amoenitate te perfundet, cum eam conseruaueris in ventre tuo, quo quidem cor, mensq; innuitur.

*Et redundabit* יכנו ijconnu firma erunt. Ita verba in labijs suis firma erunt, vt memoriæ consecrari possint.

20 *Descripsi eam tibi tripliciter* שלשים salifcim, quod scribitur cũ vau ad hunc sensum. Tribus iam ante diebus, ideſt nuper descripsi tibi, vt veraces sermones te docerem in libro consiliorum, & scientiæ.

21 *Vt ostenderem tibi firmitatem* קשט Keste, quæ vox more verbo-rum imitatur, vt שית ijste.

*eloquia veritatis* אמרים אמת amarim emeth, Verũ iuxta canones linguæ dici oportuisset אמרי imre emeth; Nõ dissimilis vero est forma illorũ טורים אבן turim euen שנים כסף sighim Chesceph, sed compendij gratia ita sæpe factitatur.

*respondere* להשיב lehasciu, quod eandem vim habet, quam illud, & retulit Moyses verba populi ad Dominum. q. d. Quando tibi firmitatem

catem verborum veritatis patefecero, eidem pariter referam sermones.

*Qui miserunt te* Referam Domino a quo missus sum, vt te erudirem; intelligēdi enim facultas Dei nuncius appellatur, cum autem de Deo loquatur adhibet vocem שולחיך solechecha numeri multitudinis ad normam illins אלוה עושי elohah hoseh. Deus facientes.

**Vult Elohim habere vocē singularem Eloha.**

## LEVI GHERSOM.

17 *Audi verba sapientium.* Vt ex eorum sapientia efficiaris sapiens *Appone cor ad doctrinam meam*. Nè verò tantum sapientum sermonibus nitaris, sed ijs, quæ consentient cum meis pronunciatis sacrę legis fundamentis aptè hærentibus; à lege enim institueris ad ea, quę scientię ope conparari nequeunt.

18 *Quæ pulchra erit.* כי נעים chi nahim quia iucunda. Quoniam iucundum erit, animumq; tuum oblectabit, si sapientis sermones altius mente insculpseris, ac consentiant pariter labia cum mea sententia, qua te instructum esse volui, & eam diserte depromes.

19 *Vt sit in domino fiducia.* Tu verò postquam ad hunc gradum euectus fueris, cuius mentionem feci, illud praetereá scias in præsentia volo, nè sapientię, prudentiævè tuæ nitaris, sed totus semper ex Deo pendeas, non reijciens causas, quibus ad optata consequenda instruaris vt diximus; frustrà enim causæ præmittuntur, nisi à Deo res liberaliter concedatur.

20 *Tripliciter* שלשים salíscim. pręclara. An non tibi descripsi res pręclaras, vt instruerem te quoad consilium idest politicem, & quoad scientiā.i. rerum contemplationem? huiusmodi autem arbitror appellari voce שלשים saliscim quasi dicas; quemadmodum rex populum vniuersum regit, & moderatur, idemq; præstatur ab eo, qui a rege secundus est, duces autem partē aliquā ex vniuerso populo regunt; ita pari ratione duces appellantur præcepta, quibus quis dirigatur quoad res singulares in vnoquoq; prudentiæ, & scientię genere.

### Vers. XXII. XXIII.

22 Non facies violentiam pauperi, quia pauper est: neq; [b] conteras egenum in porta.

23 Quia iudicabit Dominus causam eius: & [c] configet eos, qui confixerunt animam eius.

## VAR. LECT.

*a Chal. ne deprædéris pauperem. b Syr. neq; humilies egenum. c Chal. & vlciſcitur iniuriam animæ eorum. Syr. & retribuet oppreſsionem animæ eorum.*

## SALOM. ISAC.

22 *Non facies violentiam* Ne diripias pauperem, quando eum egeſtate premi videris, atq; ideo tibi obſiſtere non poſſe inopem animaduerteris.

23 *Configet eos, qui confixerunt eum* קבע את קבעיהם Kauah eth Kouehehem diripiet diripientèm eum. Deus diripiet animam diripiẽtis illum, nam lingua Aramęa rapina demonſtratur voce קביעה keuiha, & apud Thalmudiſtas קבען Kauhan direptor eſt, & prædo.

## A. ABEN EZRA.

22 *Quia pauper eſt* Cum & pauper ſit, & ob ſuam egeſtatem dolore afficiatur, ideò nè eum deprędéris.

*Ne conteras in porta* Ibi enim adiutorium ſitum eſt, iuxta illud cum in porta viderem auxilium meum. Iob 31.v.21.

23 *Et configet* קבע kauah Diripiet, & expoliabit eos, iuxtà illud, numquid diripiet homo, quæ ſunt Dei, quod vos diripiatis me? Malac.3.v.8.

## LEVI GHERSOM.

*Non facies violentiam* Ne violenter proteras pauperem, illud tibi perſuadens, tenuem illum eſſe, nulloq; damno ab eo te affectum iri, propterea quod indigus ſit, tibiq; obſiſtere nequeat.

*Neq; conteras* Ne ideò in porta egenum conteras, quod ibidem auxilium tibi præſto futurum intelligas, quo indigens deſtituetur.

23 *Quia iudicabit Dominus*. Quia ibidem adſtabit te fortior, qui ex te vltionem, pœnaſq; ob pauperis calamitatem repoſcat, Deus nimirum ipſe, qui illius patrocinium ſuſcipit, animumq; diripiet illi vim inferentis, par pari rependens, hoceſt vita illum ſpolians, qui alterius bona deprędatus fuerat.

## Verſ. XXIV. XXV.

24 a Noli eſſe amicus homini iracundo: neq; ambules cum viro furioſo.

25 Ne fortè discas semitas eius, & sumas ^b scandalum animæ tuæ.

## VAR. LECT.

*a Chal. non commiscearis cum viro bilioso. b Chal. laqueum.*

## SALOMON ISACIDES.

24 *noli esse amicus* אל תתרע al titrah. Ne societatem ineas cum iracundo, hæc enim vox significat societatem.

## A. ABEN EZRA.

Adhęrent hæc duo.

24 *Noli esse amicus* תתרע titrah. ne societatem ineas.

*homini* את eth. idem, ac cum homine.

*sumas scandalum* Ne tibi ipsi offendiculum construas, vt scilicet laqueis implicêre, & peccato tuo adstrictus intereas.

## LEVI GHERSOM.

24 *Noli esse amicus* Ne iracundo te socium addas, ità vt cum illo amicitiam contrahas, neq; furenti te adiungas, vt euntē comiteris.

25 *Ne forte addiscas* Ne fortè illius instituta amplectaris, ex quo id reportes, vt in grauissima discrimina te conijcias; iracundo enim grauissimę contingunt calamitates, à quibus perimatur.

## Vers. XXVI. XXVII.

26 ^a Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.

27 Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est, vt ^b tollat operimentum de cubili tuo?

## VAR. LEC.

*a Chal. Ne pepigeris manum tuam in fideiussione pro socio tuo. Syr. Ne des teipsum fideiussioni, quod vultum reuerearis, confunderis a persona. b Chal. subtrahetur tibi stratum. Syr. lectum auferent.*

SA-

## SALOM. ISAC.

26 *Vades se offerunt* ערבים מעשאות horeuim massahot. Qui fide iubent, se fęnus persoluturos iuxta, illud, si mutuaueris amico tuo mutuum aliquod. Deut.24.v.10

## A. ABEN EZRA.

27 *Operimentum* Auferet lectum tuum, in quo recumbis, cum nullius alterius rei tibi copia suppetat.

## LEVI GH ERSOMITES.

26 *Noli esse* Ne ex eorum sis numero, qui vt vades fiant, manus suas conserunt, & se pro socijs in seruitutem subijciunt, vt eorum debita persoluant; hi enim fideiubent, se alienũ fęnus persoluturos.

27 *Si enim non habes* Si quando fęnerator accedat ad debita exigenda, cum nihil aliud habeas, quare eo te adigis, vt stratum tibi subducat, neq; lectulum, in quo cubes, tibi relinquat? Est etiam hæc optima adhortatio, ne animus pro facultate concupiscente fideiubeat.

## Verſ. XXVIII. XXIX.

28 [a] Ne trasgrediaris terminos [b] antiquos, quos posuerunt patres tui,

29 Vidisti virum [c] velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

## VAR. LEC.

a *Chal. ne mutes. Syr. ne transferas.* b *Chal. qui a saeculo est.* c *Syr. peritum.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *ne transgrediaris* תסג tassegh. recedas. Ne a parentum tuorum consuetudine, institutisq; recedas, teq; retro auoces. Vox autem תסג tassegh eandem vim habet, quam illa, conuersi sunt retrorsum. Rabbini autem hoc vsurpant de eo, qui cistam vindemiæ tempestate viti supponit, vt grana colligat. quod in vite relicta deme teda nõ fiat.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur inuicem hæc duo.

28 *quos posuerunt* Termini, quos statuerunt, & collocarunt maiores tui.

29 *vidisti virum velocem* Illius arti operam dabis, qui in ea solers, veloxq; sit, atq; in eadem exercitatus; ita enim eius dignitas augebitur, vt ante reges consistere possit.

*ignobiles* חשכים chasuchim, tenebricosi, seu pauperes, nam paraphrasis indigentis est חשיכן chasican, vnde populus inops a paraphraste dicitur עמא חשוכא

## LEVI GHERS.

28 *Ne trasgrediaris* Indicant hęc non esse immutandos limites, quos maiores nostri in terræ solo defixerint, vt a vicino aliquid detrahatur, quod tibi adiungatur. Monemur etiam non esse mutandas definitiones, & terminos, quos priores statuerint, cum ex his vniuersis emolumentum constet.

29 *vidisti virum velocem* Pertinent hęc ad laudem solertiæ, & alacritatis, tum etiam ad eliminandam socordiam, inquit enim: Si videris solertem, & accuratum arti suæ incumbentem, hunc etiam in regum conspectu adstare intueberis, a quibus ob singularem diligẽtiam, qua pręstat, aduocabitur: neque ante mediocris fortunæ viros versabitur. Hęc ergo insinuare videntur, a sedulitate solertem ad dignitates euectum iri, & egestatem, rerumq; tenuitatem euasurũ, iuxta tritum illud. Sex annis fames cuncta occupat, nec ad ostium artificis pertingit.

# CAP. VIGESIMVMTERTIVM.

## Vers. I. II. III.

1 Quando sederis, a vt comedas cũ principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuã.

2 b Et statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam.

3 Ne desideres de cibis eius, iu quo est panis mendacij.

## VAR. LEC.

a *Syr. vt canes.* b *Syr. ne ponas cultrum in ore tuo.* c *Syr. Si est vir insatiabilis ne desideres cibum eius. Chal. ne desideres obsonia eius, quæ sunt cibaria mendacij.*

SA-

## SALOMON ISACIDES.

1 *vt comedas* ללחום lilchom. ad comedendum.
*Diligenter attende.* Mentem adijce, vt intelligas, quis nam is sit erga te, an auarus, an splendidus.
2 *statue cultrum in gutture tuo* בלועך beloheKha. in maxillis tuis Quodsi illum auarum videris, ne re quappiam illius vescaris.
*Si tamen habes in potestate animam tuam* Quodsi accubueris vescendi cupiditate inflammatas. prestat, vt inter dentes cultrum infigas. Rabbini vero id allegoriçe exposuerunt pertinere ad discipulum ante suum præceptorem consistentem; si enim discipulus responsũ ab illo se recepturum speret, illum interroget, & acutè res pensitet, ab illiusque doctrina se augeri roget. Quodsi neget, silentio vtatur.
3 *Ne concupiscas*, Ne illius præceptoris pulmenta desideres, sed ab eo te auellens ad meliorem magistrum te confer, neque illũ pudore suffundas quęstionibus, propterea quod petitionibus tuis satisfacere deficiat.

## A. ABEN EZRA.

Tria hęc simul copulantur.
1 *Vt comedas* ללחום lilchom. Vt panẽ vescaris.
*diligenter attende* בין תבין bin tauin. quod significat attentam meditationem, quod idem insinuat illud, considero vecordes. q. d. Eos intuere, qui coram te adsistunt, vt mores tuos, quibus in edendi cupiditate te geris, animaduertant.
2 *Et statue* Particula, et idem est, ac aut.
*In gutture* Quę est sedes, in qua cibi deglutiuntur, q. d. Aut pones cultrum in gutture tuo, quando facultatem concupiscentem moderabere, ac freno cohibebis. Ideo autem panis fit mentio, quod sit veluti conuiuij fundamentum, vel etiam, quod sit summa ciborum omnium, iuxtà illud, qui dat panem omni carni.
3 *panis mendacij* Desideratur vox, vir Q. d. si ipse sit panis mendacia loquentis viri, ne illum, vel illius delicias desideres.

## LEVI GHERSOM.

1 *Quando sederis* Cibus hic est sapientia, qua vescitur pars in homine imperium obtinens, idest intelligens facultas. Cum ergo animo sedato consederis ad sapientiam adipiscendam, continget tibi, vt ea intelligas, quę sub adspectum cadunt, si tamen in potestate habebis animam tuam, vt vescaris illius cibis, hoc est si imperium obtinebis in cupiditatem, quę menti dominatur.
2 *Et statue* Spinas potius in gutture tuo ponas, & in ea parte qua

cibum deglutimus, a quibus eneceris.

3 *Ne desideres*. Quod si palato tuo arrideat, illud tibi persuadeto huiusmodi escas esse mendacij panem, & res vanas, ex quibus nulla prorsus vtilitas capiatur, nihilq; reliquum sit.

## Vers. IV. V.

4 Noli laborare, vt diteris: sed prudentię tuæ pone modum.

5 Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.

## VAR. LECT.

a *Chal. ne accedas ad diuitem, sed in intelligentia tua recede ab eo. Syr. ne appropinques diuiti: sed sapienter ad illum accede.* b *Chal. si alligaueris oculos tuo in eum, non comparebit tibi. Syr. Si fixeris oculos tuos in illo non apparebit tibi.* c *quia faciet sibi alas.*

## SALOM. ISAC.

4 *Noli laborare* Ne valde solicitus sis de doctrina augenda transcursim, & desultorie rebus congerendis, & voraci lectione, nam tandem hęc omnia obliuioni trades.

5 *Ne erigas oculos* Si momento oculos deflectas, illosq; claudas studium illud euanescet, vbi התעיף hatahiph eiusdem est rationis ac illa נכפלת quod a paraphraste vertitur ועיף duplicauit.

## A. ABEN EZRA.

4 *Prudentia tuę ponę modum* Abstine a prudentia, qua ad diuitias comparandas vtaris.

5 *Ne erigas* התעיף hatahiph. Deducitur hæc vox ab illis תעופה tehuphek. Huius vero vis est. An oculos tuos in diuitijs defigere obtutum patieris?

## LEVI GHERSOM.

4 *Noli laborare* Cum ea adeptus fueris, quæ tibi satis sint, ne de facultatibus coaceruandis amplius angaris, id enim te a sapientia longe

longe arcet, cùm tempus in diuitijs cumulandis insummas, diuerso prorsus fine ab eo, qui proponendus sit in facultatibus comparandis; nam ideo illę parantur, vt mortali sint adiumento, quo curis omnibus solutus totus inuestigationi sapientię, & prudentiæ vacare possit.

5 *Ne erigas.* Quod autem emolumentum ex diuitijs capies? iam ad breuissimum temporis interuallum si in illis obtutum defigas absumuntur, & euanescunt, cum facillime profundantur, plurimaq; existant, a quibus minuantur, decimaq; pars detrahatur, opes enim seipsis facile dilabuntur, alasque assumere videntur, vt ex diuitis in alterius domum migrent, quemadmodum aquilę in astra euolare commodum est.

## Vers. VI. VII. VIII. IX.

6 Ne comedas cum homine a inuido, & ne desideres cibos illius.

7 b Quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris ęstimat, quod ignorat. Comede, & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum.

8 Cibos, quos comederas euomes, & perdes pulchros sermones.

9 c In auribus insipentium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. qui habet oculum nequam. Syr. cum homine guloso. b Syr. quia quemadmodum vir deglutit picem, sic manducas, & bibis cum eo, & cor eius non est tecum. Chal. quoniam sicut porta erigitur, sic eleuatur in anima sua. c Syr. coram insipiente.*

## SALOM. ISAC.

6 *In similitudinem arioli* כמו שער chemo sahar. Cùm vox hæc partim insigniatur puncto camets, & in vltima patac cum accentu, cõstat esse verbum, non autem nomen; si enim nomen esset vbique affigeretur Camets, & accentus esset in penultima; ita enim vbique in sacris voluminibus שער sahar scribi solet. Hæc igitur erit explicatio, ita auaro

uaro graue est, & acerbum si cibis illius vescaris, ac si eiusdem oni amarissimum fel instillares, vox enim שער significat ficus præcoces amaros.

8 *cibos* Hos ergo cibos, quos in illius domo comederis ad extremum euomes ob fœditatem, & fœtorem.

*Et perdes pulchros sermones* Cum eum blando sermone sis allocutus, eiq; adhærens blanditus sis, cuncta tamen perdes, & in auras cedent.

## A. ABEN EZRA.

Coniungenda simul hæc.

6 *Cum homine iniquo* רע עין rah hain. oculi iniqui, Ne comedas panem oculi iniqui, vbi desideratur vox viri, idest viri, qui toruis oculis aspicit, vt etiam alio loco bonus oculo benedicetur, vbi deberet adscribi vir boni oculi, idest, qui benigno obtutu respicit.

7 *In similitudinem arioli* כמו שער chemo sahar. Vox hæc est verbũ præteriti temporis, deducta ab illis מאה שערים centum cogitationes: Q. d. Velut vir, qui animo destinet suo, verset q; cogitationem de te ita alloquendo, comede, & bibe, ita se geret ille.

*Et mens eius non est tecum* Nec te amore complectitur, quando eius panem comederis.

8 *Euomes* Oculo enim toruo te aspiciet.

*Perdes sermones pulchros*. Helluo enim iudicaberis, nec verba tua suauia aliquo in pretio erunt.

9 *Ne loquaris* In auribus insipientis ne sermonem habeas, vt eũ castiges, quoniam doctrinam eloquij tui, sermones nempe tuos suauitatis plenos vilipendet.

## LEVI GHERSOM.

Postquam nos hortatus est sapiens ne cibos caperemus cum illo, qui a nimijs cupiditatibus abriperetur, monet ne vescamur pane auari, & inquit, ne comedas.

6 *Cum inuido* רע עין rah hain oculo auerso. Ne comedas panem auari, qui auerso oculo prosequatur vescentem, neque eiusdem cibos appetas.

7 *In similitudinẽ arioli* כמו שער chemo sahar. velut ianua. Cibus illius, quo vesceris grauis illi est, & acerbus, licet ore ad edendum, & potandum inuitet; panis autem, quem illo ægre ferente comedes visceribus tuis delectationem nullam præbebit, subinde exitum quærens, & euomes illum.

8 *Perdes pulchros sermones* Iucundissimos sermones, quos in mensa cum illo habueris perdes. Non inepte etiam auarus appellabitur, qui in rerũ cõtemplatione prauas opiniones flagitiose amplectatur,

ae ideo inquit, ne desideres cibos illius, neq; enim solent ab illo sapida proponi. Hæc igitur ideo dicuntur, quod illius axiomata, & propositiones quoad prima principia, rerumq; origines iucundæ accidant ei, qui quoad corporis cupiditates ijsdem vtatur, vt memorauimus. Illud autem perspicuum est, mentem huius cibi tecum non esse; cum hęc futilia fiat, & vanissima commenta, ex quo fiet, vt cibos tuos optimos, quos comederis, euomas, & perdas sermones tuos pulchros, quorũ virtuti totũ te tradideras. Inquit autẽ cogitationẽ illius, qui in contẽplatione rite non versetur, esse tanquã ostiũ in anima eiusdem, quod necesse fit assidue patefactum esse; cum enim, quę consequuntur aduersentur prioribus fundamentis, ac principijs, hęc ad alia principia reduci oportebit, remque ita accommodare studebit, ne aduersetur ijs a quibus in errorẽ protractus fuerit &c.

9 *In auribus*, Ne coram insipiente de rebus sapientiæ sermonem habeas; contemnit enim, vituperatque pondus, & vim verborum ac etiam sapientiam, quæ illis inest.

## Vers. X.XI.

10 Ne a attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas.

11 b Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.

## VARIÆ LECTONES.

*a Chal. Syr. ne mutes terminum qui a sæculo est. b Chal. redemptor.*

## SALOM. ISAC.

19 *Agrum pupillorum, ne introeas*, Ne in partem decidui granorum ingrediaris, & in angulum, qui pauperibus debitus sit.

## A. ABEN EZRA.

10 *Ne attingas* Repetit id quod subditur agrũ pupillorum ne introeas, cuius sensus est, ne horum agrum introeas, vt segetes demetas. Vel etiam, ne per vim introeas.

11 *Propinquus enim* Dominus enim, qui est eorum propinquus, siue redemptor agrum illum e manibus tuis redimet, fortis quippe est, nec ei obsistere poteris.

## LEVI GHERSOM.

10 *Ne attingas*, Ne antiquos terminos mutes, agrorumq; fines, illud tibi persuadens, eos, a quibus partem aliquam soli per fraudem abstuleris infirmos esse, ac tenues cum sint pupilli.

11 *Propinquus enim*, Nec enim illis deest vindex te fortior, qui illorum partes in litibus contra te suscipiat, iuxta illud, si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

## Vers. XII. XIII. XIV.

12 a Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad uerba scientiæ.

13 Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga non morietur.

14 Tu virga percuties eum; & animam eius de inferno liberabis.

## VAR. LECT.

a *Chal. introduc ad doctrinam*.

## A. ABEN EZRA.

Tria hęc connectuntur.

12 *Ingrediatur ad doctrinam* הביאה hauiah. adduc. Ad disciplinam adduc cor tuum. i. ad locum, in quo sapientia informeris.

12 *noli* Ne etiam subtrahas a puero disciplinam.

*non morietur* Illum liberabis, ne animus corpori mortem similem oppetat. Vel seruabis, ne immatura adhuc ętate diem suum obeat.

## LEVI GHERS.

12 *ingrediatur ad doctrinam cor tuum* Animum tuum adijce ad disciplinam comparandam, idest ad philosophiam politicam: postea vero aures adhibe ad audienda verba sapientię, eorum nimirum, qui sapientia, & prudentia sint exculti.

13 *Ne subtrahas a puero* Ne ideo abstineas a puero instituendo, quod tenera adhuc in ętate sit constitutus, verberibus enim, flagellisq; infligendis illum seruabis ne intempesta ætate corpus vita spolietur, nec altera pars, qua constat, vita careat, quam consequi potuisset, illa scilicet nullis terminis definita, & bonis omnibus affluente.

14 assi-

14 *animam eius de inferno liberabis* Illius animam ab exitio, & extrema pernicie seruabis.

## Vers. XV. XVI.

15 Fili mi, a si sapiens fuerit animus tuus, b gaudebit tecum cor meum.

16 Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia mea.

## VAR. LEC.

*a Chal. si sapiens est cor tuum. b Chal. lætabor ego in corde meo.*

## SALOMON ISACIDES.

16 *Cum locuta fuerint* Illud ita fiet, quod animus tuus sapientia sit imbutus.

## A. ABEN EZRA.

16 *Renes mei* כליותי chiliotai. Hęc vox eandem normam habet, quam illa, desiderauit salutare tuum anima mea; in renibus enim concupiscendi affectus præcipue demonstratur, atque ideo dicitur exultabunt renes.

## LEVI GHERSOM.

16 *Tecum* גם אני gam ani. etiam ego, qui te ad huiusmodi perfectionem institui, & absolui.

16 *Exultabunt renes mei* כליותי chiliotai, cogitationes meæ. Lętitia, voluptateq; perfundentur cogitationes meæ, quando audiam labia tua quoad sapientiam recta locuta fuisse.

## Vers. XVII. XVIII.

17 Non æmuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die.

18 a Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.

## VAR. LEC.

a *Syr. vt sit tibi nouissimum, & spes tua non pereat. Chal. vt sint nouissima tua bona, & spes tua non consumetur.*

## SALOM. ISAC.

17 *Ne æmuletur cor tuum* Ne flagitiosorum prosperitati, & felicitati inuideas, vt ideò illorum impia instituta sequaris.

18 *Quia habebis spem* כי אם chi im idem ac אך. Q. d. hoc tn. illud est propter quod ad extremum speres.

## A. ABEN EZRA.

17 *Peccatores* Notos nempe apud omnes; nã ideo in voce בחטאים bachataim litteræ Beth adscribitur patach.

*sed in timore Domini* Sed virum Deum verentem æmulare.

18 *quia* כי אם chi im, quod ad rei veritatem confirmandam pertinet, nam significat, equidem, profecto.

*habebis spem in nouissimo* In nouissimo sperabis, seu in extrema vitæ tuæ parte. Vel etiam senectus innuitur, vel filij., quos post se relinquet.

*non auferetur* לא תכרת lo ticareth. non amputabitur. Non succindetur spes tua, qua Deum tibi beneficia collaturum sperabas.

## LEVI GHERSOM.

17 *ne æmuletur cor tuum* Ne dicas, te illorum actiones imitari velle: sed Deum verere quoad actiones, & cogitationes tuas.

18 *quia habebis spem* Ne in vlla re occuperis, quæ ad certum aliquem finem nõ referatur, ac emolumentum: huiusmodi autem sunt actiones honestæ, & propositiones ad contemplationem pertinentes: neque enim ab horum spe cades, sed semper in ijs firmus, & stabilis persistes.

### Vers. XIX.

19 Audi fili mi, & esto sapiens: * & dirige in viã animum tuum.

## VAR. LECT.

a *Syr. exultabit cogitatio mea in corde tuo.*

SA-

## SALOM. ISAC.

19 *Audi* Postquam sapientiam adeptus fueris, cordis tui semitas tuto inire poteris, cum mens sapientia exculta te ad crimina sollicitatura non sit.

## A. ABEN EZRA.

19 *dirige in via* Castiga cor tuum, ac rite animum institue.

## LEVI GHERSOMITES.

19 *Dirige* Animum tuum assuesce præclaris institutis, tum quoad mores, tum quoad opiniones.

### Vers. XX. XXI.

20 ᵃ Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.

21 ᵇ Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Ne sis ebrius in vino, & ne sis carnium helluo. b Syr. quia vinolentus, & intemperans in carnium voracitate peribit: & qui dormit vestietur pannis laceris, & discissis. Chal. quia qui ebrius, et vorax est, inopia afficietur, & pannis ruptis vestietur dormitatio.*

## SALOM. ISAC.

21 *consumentur* יורשו ijuuares. Ad inopiam redigentur.
*vestietur pannis dormitatio* Ignauia, & somnus asseclas suos laceris vestimentis induet.

## A. ABEN EZRA.

21 *vestietur* Id ita exponito. Dormitatio ipsa somniculosum detritis vestibus induet.

## LEVI GHERSOM.

20 *noli esse in conuiuijs* Ne cum potatoribus, & commessatoribus socie-

societatem, amicitiamq; contrahas; qui .n. ita assuescit, facultates suas dilapidat, & ad inopiam delabitur.

21 *vestietur pannis dormitatio* Socordiæ etiam turpe vitium a te abijce; hæc .n. natura sua soporem inijcit, eademq; mortales pannosis, veteribus, & laceris vestibus induit ob indigentiam, & calamitatem, cuius illa fons est, & origo.

## Vers. XXII.

22 [a] Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas [b] cum senuerit mater tua.

## VAR. LECT.

a *Chal. Acquiesce patri tuo.* b *Syr. ne despicias senectam matris tuæ.*

## A. ABEN EZRA.

22 *cum senuerit* Etiamsi mater tua senio confecta sit, ne illam ludibrio habeas.

## LEVI GHERSOM.

22 *audi patrem* Te instituentem audi, vt sapientia imbuaris.

*cum senuerit* Licet vero mater tua consenescat, hoc est animi facultas, qua sentimus, cuius ope excipiuntur quæ sub sensum cadunt, ex quibus quæ intelliguntur in animum penetrant, ne inquam hac de causa sapientiam spernas, eamq; perire arbitreris; propterea quod illa deficiant, quibus ad hanc promoueamur, atque instituamur, vt multi philosophi censuerunt, quia hac de causa mentem nostram exitio obnoxiam sunt arbitrati, cuius opinionis errorem demonstraui lib. primo bell. Dei, atq; ibidem declaraui in dubium reuocari non posse intelligentis facultatis immortalitatem, cum nunquam intereat.

## Vers. XXIII.

23 [a] Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.

## VAR. LEC.

a *Chal. posside veritatem.*

## SALOMON ISACIDES.

23 *Veritatem eme* Quando veritatem absque vllo pretio assequi nequibis, eam vel persoluta mercede adipiscere.

*Noli vendere sapientiam* Ne inquias, quemadmodum sapientiam meis sumptibus mihi comparaui, ita pretio mihi persoluto eadem alios imbuam.

## A. ABEN EZRA.

24 *Veritatem eme*, Desideratur vox aliqua, libros nimirum eme, in quibus veritas continetur, emptosque ne distrahas, & diuendas.

## LEVI GHERSOM.

23 *Veritatem eme*, Veritatis cognitionem obtine, licet enim ita se habeat, nunquam tamen ea cognitio abolebitur, vt philosophus censuit, qui eam cognitionem caducam esse, & deleri arbitratur. Haud ergo distrahere, & a te reijcere poteris habitum illum, quem contraxeris in quolibet sapientiæ genere, & in philosophia tum politica, tum diuina, quę prudentię, & intelligentię appellationem habet, nam intelligendi habitus rerum cognitione amplificatus, nunquam peribis, vt diximus. Illud etiam explanauimus in lib. bell. Deî & de anima, quæ animo percepta sunt, obliuioni tradi nequire.

### Vers. XXIV. XXV.

24 *a* Exultat gaudio pater iusti; qui sapientem genuit, lætabitur in eo.
25 Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, qui *b* genuit te.

### VAR. LEC.

*a Chal. exultando exultabit. b Chal. quæ peperit te.*

## A. ABEN EZRA.

24 *Qui sapientem* Qui filium sapiētem genuit eo gaudebit, ideoq; inquit, gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te, vbi idem repetitur.

## LEVI GHERSOM.

24 *Exultat gaudio* Contemplare ergo in pręsentia quęnam sit illa pos-

possessio, quę domino suo nunquam deficiat, cui insuper illud additur emolumentum, vt gaudio perfundatur parens ritęse gerentis quoad opiniones, morumque conformationem.

*Qui sapientem genuit*, Sapientis genitor gaudet ob eiusdem præclare gesta, & negotia, cum illud præterea accedat, vt maiori Dei cura gaudeat ob filij merita; in hoc ergo parentes gaudio efferuntur, eadẽ de causa, qua ob filij insipientiã dolore, ęrumnisq; angũtur.

## Vers. XXVI. XXVII. XXVIII.

26 [a] Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant.

27 Fouea enim profunda est meretrix: & [b] puteus angustus aliena.

28 [c] Insidiatur in via, quasi latro; & quos incautos viderit, interficiet.

## VAR. LECT.

*a Chal. pone fili mi cor tuum ad me. b Syr. puteus angustiæ, & tribulationis. c Chal. & sicut rapina (κτα) oculis insidiatur, & venatur filios insipientis. Syr. & repente perdit, & multi homines iniquitatem multiplicant.*

## SALOM. ISAC.

28 *Quasi latro* כחתף chechteteph. Repente.

*quos incautos videris* בוגדים באדם תוסיף boghedim beadam tosiph. rebelles in hominem addet. Numerum eorũ augebit, qui inter Israelitas Deo sint infensi, atque sermo est de sceleratis.

## A. ABEN EZRA.

In hisce versiculis monemur cauendum à scortis.

25 *præbe fili mi cor tuum* Significat id animi attẽtionem ad sermonem animo accipiendum.

*Custodiant* תצרנה tiroftenah. Ita quidem scriptum est, verum idem significat ac ירצו iarustu. excurrant. Percurrent oculi præceptorum meorum semitas.

27 *fouea profunda* Desideratur Caph particula comparationis itaut dicas Sicut fouea.

*puteus angustus* צרה tsarah. Vox hęc latitudini opponitur, angu-

stiam-

Riamque significat; nec enim poterit quis ex latere in aliud se conuertere.

28 *Quasi latr* Cum prędari poterit tunc insidias struet.

*Quos incautos viderit interficiet* בוגדים באדם תוסיף boghedim beadā tosiph prædones in hominē addet. Prędonib⁹ alios addet cōsimiles.

## LEVI GHERS.

26 *Prabe fili mi aures* Ne aliud appetas, velisque, quam vt virtutibus cumuleris.

*Oculi tui vias meas custodiant* Eas seruent vias, ad quas te in hoc libro institui, vt nimirum corporis cupiditatibus bellum indicas, mentisque absolutioni studeas. Cum autem cupiditates, quibus maxime abstrahitur mortalis sint libidinis illecebrę, vinique voluptas ab ijs abstinendum inprimis admonet. Vt ergo repudiemus fędę libidinis vitium inquit, meretricem esse tanquam profundam foueam.

*Insidiatur in via* אף היא aph hi. etiam illa. Hęc insidias struit mortali, vt eum internicioni dedat, tanquam prędo: quod quidem per fraudem pręstat, & per insidias; cum nimirum quempiam aduocat, vt secum scortetur, à qua cum ille non caueat, interimitur.

*Quos incautos viderit* בוגדים באדם תוסיף boghedim beadam tosiph. prædones viro addet. Alij porro prędones eidem se socios adiungunt, vt eos neci dent, quos illa in casses per fraudem coniecerit, cum ad illam accesserint. Atque id planissimum est; meretrix enim cum parricidis societatem contrahit, atque incautos artibus suis in eum locum pellicit, in quo sicariorum manu cadant.

## Vers. XXIX. XXX. XXXI. XXXII.

29 Cui væ? cuius ᵃ patri væ? cui rixæ? ᵇ cui foueæ? cui sine causa vulnera? ᶜ cui suffusio oculorū?

30 Nonne his, qui commorantnr in vino, ᵈ & student calicibus epotandis?

31 Ne intuearis vinum quando ᵉ flauescit ᶠ cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur ᵍ blande.

32 Sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.

### VAR. LECT.

ᵃ *Syr. cui perturbatio? Chal. cui deformis adspectus.* ᵇ

*Chal. cui malorum congeries? Syr. cui mala? c Chal. cui extrema oculorum prominent? d Chal. ijs, qui vadunt, & inuestigant domum mixtionis Syr. ijs qui ita se detinent, ac si esset domus compotationis.* Mox addit *Ne vino inebrieris, sed loquere cum viris iustis, & ambula cum illis, & sermones confere. e Chal. cum rubuerit. f Syr. cum in calice sui pulchram speciem præbuerit. Chal. cum posuerit in calice colorem suum. g Chal. recte. h Syr. sed cogita mæstitias, quia finis viri est sicut plaga colubri, & sicut regulus qui volat. Chal. nouissimum autem eius sicut coluber mordet, & sicut aspis quæ volat.*

## SALOMON ISACIDES.

29 *Cui va* Significant hæc clamorem, & vlulatum.

*cui fouea* שיחה suchah sermo. Qui inimicitias cum alijs gerit, & suis peruacaneis sermonibus operam dat, hunc ad extremum gemitus, vlulatusque manent; cum loquax, & garrulus multis etiam se criminibus obstringat.

*Cui suffusio oculorum?* Cum enim plus æquo vino indulgeant, oculi rubore suffunduntur, quod est ignominiosum.

30 *Calicibus epotandis* ממסך mimsach. Nomen substantiuum eiusdem formæ, ac מכמר mimchar.

*& Student* לחקור lichKor. ad scrutandum. Studiose .n. vinolenti inquirunt, & scrutantur, quonam in loco vina generosa sibi famam parent.

31 *ne intucaris* Ne in vinum oculos tuos cupide conijcias.

*ingreditur blande* יתהלך במישרים ijthalech bemesciarim ambulat in rectitudine. Quando quis ebrietate diffluet quæcunq; crimina incurrit rectas actiones arbitratur, cum omnia sua instituta, & vias rectas arbitretur.

*in vitro* בכיס bachis in marsupio. Scribitur quidem בכים bachis, sed non prohibetur quin dicas בכוס bachos. q. d. Potator quidem oculos conijcit in calicem; mercator autem in huius crumenam.

*venena diffundet* יפריש iaphris, quod significat morsu petere, seu pungere, nam bouu m stimulus a paraphraste vertitur פריש paris. In Thalmud autem habetur, stimulus bouum דריש פרשא. Non desunt, qui voce מפריש maphris significare velint, separat, hoc est cum a vita disiungit.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

29 *cui væ* Id perinde est, ac si nos cautos reddat, vt a vino caueamus. Vel dicitur væ, propter ea, quæ ex vino contingunt.

*cuius patri væ* אבוי auoi nomen substantiuum eiusdem significationis, ac אביון ebion. pauper .i. cui paupertas?

*cui foueæ?* שיח siach .i. plagæ

*cui sine causa vulnera?* Nam absq; vlla causa temulento vulnera inferentur.

*cui suffusio oculorum?* חכלילות chachlilut, oculorum rubedo propter effusam vini compotationem.

30 *commorantur in vino* מאחרים maacherim vbi desideratur verbum sedere, q. d. qui longam moram in vino trahunt.

*calicibus epotandis* ממסך mimsach Est adiectiuum, significatq; vinũ effusum, iuxta illud vinum abunde effudit, seu infudit.

31 *Ne intuearis* Ne in vino obtutum figendo delecteris, etiam si calice eleganti propinatum sit.

*cum splenduerit in vitro color eius* Cum in calice sui speciem exhibuerit vinum.

*ingreditur* Ingreditur calicem:

*blande* במישרים in rectitudine; vinum consentaneum arbitrabere itaut damnum inferre nequeat.

*nouissima eius* Sed postquam compotatum fuerit velut serpens te mordebit.

31 *Venena diffundet* יפרש iaphris; punget Te quemadmodum serpens punget: regulus autem dicitur צפע propteb calcaria, quæ in pedibus gerit.

## LEVI GHERSOM.

29 *cui væ?* Cui nam damnum, perniciesq; infertur? quis nam litibus dissensionibusq; vexatur? quisnam lamentis, querelisq; æthera pulsat? quisnam dolore afficitur, & vulneribus absq; causa ob quam illa sint infligenda; quis deniq; oculos sanguine perfusos gerit, & vitiatos.

30 *non ne his qui commorantur in vino?* An non illis, qui vino epotando studiose inuigilant, quique sollicite inuestigant quodnam vinum sit generosius, quodque præstantius ad potandum. Cum ergo ab huiusmodi cupiditate se iugiter abripi patiantur, inde fit, vt ebrietate diffluant, grauissimasq; subeant calamitates, cum ebrij inuicem sibi damna inferant.

21 *ne intuearis vinum* In calice enim miram sui speciem exhibet: *ingreditur blande* יתהלך במישרים ithallech bemesarim .i. vinum

suum cursum naturæ seruabit ad rectitudinē, & æqualitē vergit, vt solet generosum vinum, quod in suprema calicis superficie cum primo effunditur pars subtilior apparet; at vero corruptum, in quo fęxusq; deq; conuertitur, apparebit, haud cursū constitutū seruare, quod .n. in superiori calicis parte est, vergit ad subobscurum colorem. Monet ergo ne ab optimo vini colore, & spęcie, eiusdemq; suauitate nos abripi patiamur.

32 *Sed in nouissimo* Iniquum hic exitus manet, eum inquam qui immoderatum vini vsum amet, vt quandoque tanquam colubri morsu percellatur, & velut a vipera perstringatur: quod quidem plane perspicuum fit ex grauissimis calamitatibus, quæ ebrietatem consequuntur, propterea quod ex eadem rerum maxima ignoratio oriatur.

## Vers. XXXIII. XXXIV. XXXV.

33 Oculi tui videbunt [a] extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.

34 Et eris sicut dormiens [b] in medio mari, [c] & quasi sopitus gubernator, amisso clauo.

35 Et dices, verberauerunt me, [d] sed non dolui: traxerunt me, & [e] ego non sensi: [f] quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

## VAR. LECT.

*a Chal. extranea. b Chal. in corde maris. c Chal. & sicut nauta, qui dormit in naui. Syr. sicut nauta in fluctibus maris. d Syr. non passus sum. e Syr. spreuerunt me, & nesciui. Chal. diripuerunt me. f Chal. & rursus addam quærere illud.*

## SALOM. ISAC.

33 *oculi tui videbunt extraneus* Quando ebrietate diffllues, in meretrices obtutum defiges; vinum .n. cum incalescit te ad impudicas mulieres inspectandas seducit.

34 *eris* Et eris haud tui compos tanquam qui in medio mari somnum capit.

*quasi sopitus gubernator, amisso clauo* בראש חבל berose chibbel .i. in vertice claui, nam nauis, malus monetur, ut facilius quis decidat.

35 *ver-*

35 *verberauerunt me* Quando euigilabit vini vi debilitata non aduertit damna, cui obnoxius fuerat, dum vino madesceret. ac denuo ad bibendum strenuus potator accedit.

## A. ABEN EZRA.

33 *oculi tui videbunt extraneas* Supple, mulieres .i. oculi tui videndis meretricibus oblectabuntur.

*sicut dormiens in medio mari* Qui se arbitratur quiescere, cum tamē moueatur.

34 *amisso clauo* בראש חבל berosch chibbel in capite mali, חבל autem est nomen funis, qui ferro nauis alligatus est, sensus autem est, nescire te quando commoreris, vel quando vela facias.

35 *& dices* Quando te vinum momorderit.

*sed non dolui,* בל חלתי bal chalithi. Nescio tempus, quo propter verbera ægrotaui.

*traxerunt* me הלמוני halamuni concusserunt me, nec sensi.

*Quando euigilabo* a vino meo.

*& rursus vina reperiam.* Nunquam illud quærere intermittam.

## LEVI GHERSOM.

33 *oculi tui videbunt extraneas* Vt ergo nobis caueamus, inquit, ab ebrietate oculis videnda exhiberi extranea, illa inquam quæ haud ita sint, ob varios vapores, qui ad cerebrum conscendunt.

*& cor tuum loquetur peruersa* .i. Falsa loqueris vel verba dementiæ ob eandem rationem.

34 *& eris sicut dormiens in medio mari* .i. in naui, vbi ob vehementem nauis impulsum cerebri perturbatio consequitur, eaq; apparent, quæ non ita sint.

*sicut sopitus gubernator amisso clauo* בראש חבל berosc chibbel Velut qui cubet in nauis prora, vbi magis quis perturbatur mari, celeriq; motu inspiciendo.

35 *verberauerunt me* Tūc autem inquies, mihi verbera intulerūt.

*sed non dolui* Ebrietas .n. efficit, ne verberum cruciatus sentiatur.

*traxerunt me* הלמוני halamuni, contriuerunt me verbera, & vulnerator, sed id non animaduerti, cum tunc sensu carerem. Licet vero hæc ita se habeant, te tamen ad se vinum rapit, itaut inquias, quando ab hac ebrietate euigilabo, quo vina adhuc repetere possim, quod quid em vinolentis est solemnissimum.

# CAP. VIGESIMVMQVARTVM.

## Vers. I.II.

1 Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis.
2 Quia rapinas meditatur a mens eorum, & b frau-
des labia eorum loquuntur.

### VAR. LEC.

a *Chal. cor.* b *Chal. iniquitatem.*

### A. ABEN EZRA.

Hisce duobus versiculis cauendum monet a viris nefarijs.

1 *Ne æmuleris viros malos* Vt eorum actiones imiteris.

2 *quia rapinas meditatur mens eorum* Illi .n. hoc vnum animo voluunt, vt alios fortunis euertant.

### LEVI GHERSOM.

1 *ne æmuleris* Ne huiusmodi sceleſtos ames, qui vino madentes in cæteros inique se gerunt: nec cum ijs consuetudinem habere desideres, cum nihil aliud animo versent, quam vt alios diripiant, & verba eorum sint cum labore coniuncta.

2 *& fraudes labia eorum loquuntur* עמל hamal & laborem. Vis eorū est, Huiusmodi homines mendacia tantum effutire, quę quidem non citra insignem laborem a mortali promuntur, cum sermo hic qui in ore versatur repugnet cogitationi, quæ in animo latet. Hæc ergo sunt incommoda, & calamitates, quas reportat qui cupiditatibus suis obsequitur.

## Vers. III.IV.

3 Sapientia ædificabitur domus, & prudentia a robo-
rabitur.
4 b In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa c sub-
stantia preciosa, & pulcherima.

### VAR. LEC.

a *Chal. præparatur. Syr. firmatur.* b *Chal. in scientia.*
c *Chal*

*c Chal. & suaui. Syr. replebuntur omni possessione, & gloria, & voluptate.*

## A. ABEN EZRA.

Sapientiam amplectendam monemur, cum eius opera domus, & cellaria facultatibus vniuersis repleantur.

## LEVI GHERS.

3 *Sapientia ædificabitur domus* Sapientiæ auspicijs ædificatur domus ædificij hominis. i. animus, qui, quidem est hominis pars præcipua, quæq; post mortem durat.

*Et prudentia roborabitur* Prudentia vero duce huiusmodi domus absoluetur, & exornabitur.

4 *in doctrina replebuntur cellaria* Cum sacrosanctæ legis arcana penetraris; huiusce domus replebuntur cellaria. i. mens hominis.

*vniuersa substantia preciosa, & iucũdissima* Longe. n. iucundior, & gloriosior est viro huiusce perfectionis possessio, quam quælibet preciosa facultas.

## Vers. V. VI.

5 Vir sapiens, fortis est: vir doctus robustus, & validus.

6 Quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia.

## VAR. LEC.

*a Chal. melior est vir sapiens robusto, & vir scientiæ magis quam qui accinctus est fortitudine sua. Syr. melior est sapiens forti, & doctus gigante robusto. b Chal. quia in gubernaculis facies tibi bellum. Syr. in prouocatione.*

## SALOMON ISACIDES.

5 *fortis est* עוז bahoz in robore Semper viribus pollet sapiens.

## A. ABEN EZRA.

5 *fortis est* עוז bahoz. i. Vir sapiens robore præditus inuenitur, *vir doctus robustus* מאמץ meammets Est participium actiuum q. d. Vi qui scientia preditus est, vires firmat, & roborat.

5 *Vir*

## LEVI GHERSOM.

5 *Vir sapiens* בעוז bahoz .i. Vir fit sapiens ob fortitudinem, & robur; mortalis .n. sapientiæ fit compos ob vim, qua eiusdem mens pollet, ad coercendas materiæ cupiditates, easdemq; prorsus expugnandas.

*vir doctus robustus* Qui autem doctrina refertus est, vires quibus præstat mens, firmat, & roborat, vt cęteras facultates coerceat, atq; in suam potestatem redigat: quod quidem euenit, ob præstantiam scientię, eiusq; incredibilem amorem, quo ad se doctum rapit itaut in ea studium, vigiliasq; suas collocet vniuersas, eidemq; inuigilet assidue, cæteręq; vires huic vni adipiscendæ subijciantur.

6 *quia cum dispositione initur bellum* Bellum geritur cum mali fomite nos ad terrenas cupiditates inflammante:

*& erit salus vbi multa consilia* Huiusmodi autem malum euademus, quando multi consilium præbebunt ad hasce cupiditates superandas.

*multa consilia* ברב יועץ berou iohets. In dignitate consiliarij Ea etiã erit horum mens Propter dignitatem, & diuitias consulentis aures præbentur libentius, maiorq. est insapientia progressus, cũ adiumenta, & artes subministrantur, quibus mali fomes edometur; Illud præterea accedit, facilius hanc praui cupiditatem expugnari, quod sapientię possessio, incredibilisq; voluptas, quæ ex sapientia obtenta consequitur corporis facultates contumaces debellet: Quare hoc versiculo declaratur causa, quare doctrina fortem faciat, & robustũ.

### Vers. VII.

7 Excelsa stulto sapientia: in porta non aperiet os suum.

### VAR. LECT.

*a Chal. murmurat stultus aduersus sapientiam.*

## SALOMON ISACIDES.

*excelsa* ראמות ramoth Lapidis preciosi genus vox hæc significat, quod difficulter reperiatur, iuxta illud, ראמות וגביש ramoth vegabis .i. vralia, & gabis lapis preciosus. Is ergo ergo erit sensus, sapientiã stulto videri maximi precij tanquam gemmam, & margaritas, difficulterque comparari, eaq; secum vsurpare; qua ratione in sacris voluminibus me exercebo? quãdo sapientiæ compos fieri potero? verũ qui sapientia præditus est, hodie quidem alicuius partem cognitione assequitur, partem vero altera die. A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

7 *excelsa* Stulto sapientia sublimis est, quod eam assequi nequeat, *in porta non aperiet os* Vbi sapientum est consessus obmutescet.

## LEVI GHERSOMITES.

7 *excelsa est stulto sapientia* Haud secum stultus autumat, futurum vt sapientiam obtinere possit, ideoq; hiscere non audet quando cum sapientibus in porta commorabitur.

## Vers. VIII. IX.

8 Qui cogitat mala facere a stultus vocabitur.
9 b Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum c detractor.

## VARIÆ LECTONES.

a *Chal. vocabitur habens astutiam pessimam. Syr. iniquus vocabitur. b Chal. astutia stulti. c Syr. improbus;* Mox addit *Et iniquos malitia reget. Chal. abominatio viri sapientis derisor.*

## SALOM. ISAC.

9 *qui cogitat mala facere* Qui prauas animo machinationes molitur.

*stultus vocabitur* בעל מזמות bahal mezimmoth. Id mali sibi accersit, vt nefariorum auctor appelletur.

9 *cogitatio* זמת zimmath .i. Stultum consilium.

*peccatum* Piaculo obstringitur, qui huiusmodi consilium amplectitur.

*& abominatio hominum detractor* לץ lets derisor Deridendi vitium mortalem Deo, virisq; detestabilem efficit.

## A. ABEN EZRA.

Copulantur hi duo versiculi, ad hunc sensum. Qui mala cogitat ab ijs qui nomina imponunt uocabitur, praua cogitans, ad normam illorum, & appellabunt eum, Deum, dominum Israel, hoc est illum de nomine appellabunt. Ideo autē hanc appellationē sortitur. quod stulti nefariç machinationes ad piaculum patrandum pertineāt, ut

dicant quę subsequuntur, cogitatio stulti, peccatum.

*abominatio hominum detractor* תועבת thoeuath, Vox hęc construitur cum sequenti, ad vim illorum זנת לעיני sinath lehene somnus oculorum Is ergo erit sensus, delusor est hominum abominatio. i. id consequitur, ut mortalibus sit inuisus, & detestabilis.

## LEVI GHERSOM.

8 *qui cogitat mala facere* להרע leharebs, ad sibi consociandum. Eius autem, quod mox dixerat causam reddens, inquit, cum qui animo uersat praeclaram molitionem de adiungendis sibi, & consociandis cogitationibus, solerter studere, vt compos fiat cogitationum, quae circa id uersentur generatim, quod cognoscere cupiet, atq; hac ratione sapientiam adipiscetur, cum ita ad eam perueniamus, ut a philosopho commemoratur in metaphysicis; ita. n. facile separantur quę ad institutum conferent, ab inutilibus, & ea acquiritur cognitio, quę ab omni dubitatione sit remota, ut ibidem declaratur.

9 *cogitatio stulti peccatum* Verum stultus longe ab hac ratione discedit, cum illius commentatio peccatum sit, & uitium; suas. n. actiones absq; ulla deliberatione, & consilio obit, ut antea diximus.

*abominatio hominum detractor* לץ lets derisor. Omnis pariter cōsultatio, & cogitatio derisori est inuisa, cum in ridiculis tantum rebus uersetur, absq; ullo maturo, prouidoque consilio. Ea etiam erit mēs horum uerborum, cogitationem stulti esse peccatum, & defectum, cum illam non circumspiciat, examinetue, sed ut primo quid in mētem uenerit, id pręstet: delusor autem cogitationes abominabiles fouebit, cum ob prauā conditionem suam abominanda tantum ad institutum suum desumat, & deteriora, quęq; magis sint aliena; id. n. eidem maxime placet.

## Vers. X. XI. XII.

10 a Si desperaueris lassus in die angustiae: imminuetur fortitudo tua.

11 Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, b liberare ne cesses.

12 Si dixeris: c Vires nō suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animae tuae nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.

## VAR. LEC.

a Chal. si remissus fueris in die tribulationis arctabitur fortitudo sua. Syr. In die angustiæ libera eos, qui ad mortem ducuntur. b prohibe. c Chal. non nouimus. Syr. si dixeris nescio, scito Deum mentis cogitationes introspicere, & tui Seruatorem, scire.

## SALOMON ISACIDES.

10 *si desperaueris* התרפית hathrapitha. si remissus fueris, & deses in sacra lege.

*imminuetur fortitudo tua* Angeli, qui diuinę sunt voluntatis ministri haud vires tuas firmabunt ita hæc a sapientibus exposita sunt allegorice. Verum quoad litteralem sensum hæc ita sint intelligenda. Si abiecto fueris animo, desesq; quando amicus tuus calamitate premetur, eiq; non adstiteris.

*imminuetur fortitudo tua* Vires tuæ debilitabuntur quo die debitas tibi pænas subibis, cui consentiunt illa, si enim nunc silueris per aliam occasionem liberabuntur Iudæi &c. Est cap. 4. v. 4.

11 *erue* הצל hatsel infinitiui vox ad eruendum eos qui morti sunt destinati, & qui trahūtur ad mortem. Si inquam opem huiuscemodi viris ferre negaueris, neglexerisue, hac de causa inquit Salom. imminuetur robur tuum.

12 *si dixeris* כי chi forte dices, nam כי significat fortasse.

## A. ABEN EZRA.

Tres hi versiculi coniunctim sunt exponendi.

10 *si desperaueris* התרפית hathrapitha. Si remissus fuisti, quando calamitate amicus tuus vexatus fuit, nec eum seruasti.

*imminuetur fortitudo tua* Cum ærumnis premeris robur tuum succumbet.

11 *Erue eos* הצל hatsel. Id ita exponito. Si te continueris, quominus opem ferres captis ad mortem, quando ingruerit calamitas, & inquias, haud cōscius vnquam fui, quo tempore ad necem sit raptus, an non qui hominū corda dirigit, vt diuinę voluntati morem geramus, quiq; nos ab interitu seruat, an non inquam is intelliget, penitusq; prospiciet, te eum seruare noluisse?

*reddetque homini iuxta opera sua* Rependetq; tibi ita gerenti iuxta opera tua; ærumnis .n. premeris, vt ille, nullumq; reperies, qui seruatrices tibi manus porrigat.

## LEVI GHERSOM.

10 *si desperaueris* Si remisse te gesseris in consentaneo studio sapientiæ, sane tempore aduerso vires tuæ imbecilles erunt, & impares, vt huiuscemodi calamitati possis obsistere.

11 *erue eos* Ne te contineas, ne istos ad interitum captos, quiq; ad necem ducuntur, facultates nimirum intellectus serues: illæ .n. seruari dicuntur, quando sapientia, virtutumq; absolutio comparatur, quibus si careant interire, exitiumq; subire videntur.

12 *Si dixeris vires nō suppetunt* לא ידענו lo iadahnu. Si dixeris, haud vires nostræ pares fuerunt ad hasce percipiendas cogitationes, quæ quidem cum simul collectæ fuerint, cōferunt summopere ad animi sensa penetranda, an non Deus qui corda probat, & eadem perfectionibus cumulat, quiq; animum tuum rimatur, an non inquam conscius est, num huic tè studio addixeris, prout vires tuæ pares erant; consentaneaq; præmia actionibus viri rependet.

## Vers. XIII. XIV.

13 Comede fili mi, mel, quia bonum est, & fauum ª dulcissimum gutturi tuo.

14 ᵇ Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: ᶜ quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non ᵈ peribit.

## VAR. LEC.

*a Chal. quoniam dulcis est. b Chal. sic sapiens esto in anima tua. c Chal. quod si inuenisti, primis venient nouissima meliora. d Syr. succindetur. Chal. consumetur.*

## SALOMON ISACIDES.

13 *comede fili mi* Solent mortales melle vesci, quod gratissimum sit, idemq; de sapientię cognitione tibi sentiendum, vt quemadmodum mel studiose comedis, quod suaue sit palato, ita sedulo sapientiæ cognitioni vaces.

## A. ABEN EZRA.

14 *sic & doctrina* דעה dehe imperantis vox; quam Kamets insigniri oporteret, vt רדה redah. Adscribitur porro seghol ad normam il-

lios יקשנה פלח Hæc ergo explanatio adhibenda.

Mel & fauum, quæ tuo palato iucundissima accidant comede: ita pariter sapientia imbuere, propter animum tuum, qui vita fruetur.

*quam cum inueneris* Si .n. sapientię compos factus fueris.

*habebis in nouissimis spem* אחרית acharith, Extremis fruêre, quibus quidem innuitur vel senectus, vel soboles, quam post se relinquet iuxta illud ולא לאחרית .

*Spes tua non peribit* Spe, qua Deū voluptate perfundis, nō excides.

## LEVI GHERSOM.

13 *comede* Quamobrem ijs vesci stude, quæ ita iucunda sint, & suauia animo, quemadmodum mel, & fauus palato; id autem est sapientia.

14 *sic & doctrina* Ita etiam sapientię cognitio animum tuum iucunditate singulari perfundet.

*quam cum inueneris habebis in nouissimis spem* אחרית extremū. Quod si sapientia cumuleris inde summum bonum reportabis: i. fęlicitatem humanam.

*Spes tua non peribit* Nam hinc vitam assequeris, quę nūquam morti obnoxia, nullisq. terminis circumscripta sit.

## A Vers. XV. XVI.

15 a Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque b vastes requiem eius.

16 Septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum.

## VAR. LEC.

a *Chal. ne insidieris impie habitaculo iusti.* b *Syr. diripeas. Chal. neq. proijcias domum habitationis eius.*

## A. ABEN EZRA.

15 *Ne insidieris,* Ne optes, impiū iusti domicilio insidias parare. Aliter etiam lubet hęc exponere. Ne simul cum impio conspires ad insidias parandas domui iusti, vt eundem interficias.

*ne vastes requiem eius* רבצו riutso. Ne vastes caulas, seu stabula, vbi eius greges recubant.

16 *Septies enim cadet iustus,* quibus respondet illa, multę tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

*impij autem corruent in mala* In illos ruent mala, quæ in iustos machinabantur.

## LEVI GHERSOM.

15 *ne insidieris* Tu uir impie, ne iusti domicilio insidieris, vt eidem damna inferas, & prædam ex illius rebus facias.

*neque vastes requiem eius* Ne sedem vastes, in qua iustus quietem capit.

16 *septies enim cadit iustus* Illud .n. contingit, vt si id præstare cogitet, voti compos fieri nequeat; iustus namque sæpissime cadit, semper tamen diuina prouidentia comite vniuersa euadit. Secus vero impius corruit, maloq; vel vni tantum succumbit.

## Vers. XVII. XVIII.

17 Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina eius ne exultet cor tuum.

18 Ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.

## A. ABEN EZRA.

16 *cum ceciderit* Cauendum monet, ne gaudeamus ob decretam a Deo pœnam in aliquem, licet sit hostis.

18 *& displiceat ei* Q. d. haud illi placet, vt voluptatem capias ex pœnis, quas ab illo reposcit.

*& auferat ab eo iram suam* Cum eius exitio delectaberis. Iram autẽ auferri & quiescere insinuat futurum, vt statutis pœnis in illũm parcat, & eiusdem misereatur, quando tu sæuus nulla in hunc pietate moueberis.

## LEVI GHERSOM.

17 *cum ceciderit inimicus* Cum hostis tuus corruet, ne illius ruina delecteris, neque animus tuus voluptatem capiat cũ idem impegerit.

18 *ne forte videat Dominus* Ne forte animaduertat Deus flagitiosum tuũ morem in præsẽti negotio, & ab illo hoste iram suam in te transferat ob tuam sæuitiam; neque .n. malo gaudendum est, quod a rebus quam maxime abesse voluerit Deus; quod si quandoque malum aliquod cõtinget, id fortuitum est, & præter opinionem; vt locis suis declarabimus.

## Vers. XIX. XX.

19 a Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios.

20 b Quoniam non habent futurorum spem mali; & lucerna impiorum extinguetur.

## VARIAE LECT.

a Chal. ne imiteris pessimos. Syr. ne inuideas scelestis. b Chal. quia non erunt nouissima bona pessimis. Syr. quia perditi non habebunt extrema.

## SALOMON IS AC.

19 ne contendas אל תתחר al tithchar: ne contendas æmulandi studio cũ pessimis viris, vt ijs similis euadas: coincidit aũt vox ista cum illis, quomodo contendere poteris cum equis? item, quoniam confers te cedro. Ierem. 12. 5. Iere. 22. 15.

## A. ABEN EZRA.

19 Ne contendas אל תתחר, al tithchar, Ne commisceris, societatemq; ineas cum impijs, vt eorum actiones studiosè imiteris. 20 non habebunt futurorum spem, mali. Impius prorsus abolebitur, nec enim postquam obierit filiorum, nepotúmque sobolem superstitem habebit. Lucerna impiorum extinguetur. immaturam enim mortem obibunt.

## LEVI GHERS.

19 ne contendas Ne diffidia cum perditis, extremaq; & jesis inferentibus exerceas, ne ab illis e medio tollaris. nec æmuleris impios Nec inuideas felicitati impiorum, qua illos gaudere animaduertes, itaut illorum viuendi morem inire optes.

20 non habebũt futurorum spem אחרית extremũ. Nec. n. scelerati posteritatem, vel aliquid aliud post se relinquent. lucerna. n. illorum extinguetur, prorsusq; absumetur. Libet etiam vocem תתחר aliter exponere, vt significet, Ne consuetudinẽ cum profligatis habeas, vt eorum viuendi rationem amplectaris; quod quidem mihi magis probatur.

## Vers. XXI. XXII.

21 Time Dominum fili mi, & ᵃ regem; & cum ᵇ detractoribus non commiscearis.

22 Quoniam repente ᶜ consurget perditio eorum: & ᵈ ruinam vtriusque quis nouit?

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. & regnata. b Chal. cum stultis. c. Chal. veniet interitus eorum. d. Chal. calamitatem. Syr. terminum annorum eorum.*

## SALOM. ISAC.

21 *time Dominum, fili mi & regem* Regem etiam, qui corporis, sanguinisq; concretione constat, verere, nisi quãdo te a diuino timore reuocabit, semper .n. Dei timor cunctis præponendus.

*& cum detractoribus* שונים sonim duplicantes. Ne commiscearis cum ijs, qui duos Deos, duasq; potestates affirmant.

*ruinam vtriusque quis nouit* Exitium cultus, qui impuris dijs defertur, tum eorum qui eidem sese superstitiose addicunt quis perspectum habet?

## A. ABEN EZRA.

21 *time* Verbum hoc bis vsurpandum.

*cum detractoribus* שונים sonim. Cum varijs, & inconstantibus; deducitur .n. ex illis ישנה mutatus est color optimus sup. auri, vbi paraphrastes habet יחליף hechelph .s. mutauit. Hæc ergo ita explicatio. Verere Deum, & regem quia Deo in solio fit collocatus, vt iustitiam administraret.

*& cum detractoribus* שונים sonim. Nec ité verseris cum ijs, qui vasunt in nefarijs actionibus, subindeq; prauas versant cogitationes.

22 *quoniam repente* Quoniam repente ab ijs pernicies in te deriuabit, nisi vtrumque verearis.

*& ruinam* פיד cujus est synonimum כידור chidur, significatq; calamitatem, & angustiam.

*quis nouit* Quis tempus nouit, quando ab vtrisq; a rege scilicet, & Deo extrema sint adducenda.

## LEVI GHERS.

21 *time Dominum* Deum timore prosequêre,eiusq; præcepta, & legem sedulo obserua:regem etiā verêre,statuta serua,nec ea paruipēdas,sed timorē diuinū regius subsequatur,nec diuino regis timor aduersetur, nec .n. rex timendus in ijs,quę diuino numini aduersantur.

*& cum detractoribus* שונים sonim mutantibus.Ne verseris cum ijs,qui commutant Dei, regisq; præcepta,hoc est, qui vtriusq; leges conuellunt,repugnantiaq; ijsdem pręstant.

22 *quoniam repente consurget perditio eorum* Repentinum .n. illi subibunt exitium:quod aperte constat de ijs,qui diuina præcepta cōfringunt,cum grauissimis,repētinisq; malis inde premantur. Idem etiam constat de ijs, qui regias violant leges, cum nihil reges lateat, ob eorum multitudinem, qui regiam affectent beneuolentiam, a quibus ea produntur, quæ contra leges fiunt, vt gratia apud eosdem polleant.

*ruinam vtriusque quis nouit*. Quodsi inquias consultationem iniri, vt ab huiusmodi calamitate sese quis subtrahat; haud id in præsentia succedit,quis.n. perniciē nouit criminosis a Deo ingruentē, vt ita sceleratus vitam sapienter commutare, huiusmodiq; discrimen euadere sciat? Idem etiam affirmandum de calamitate,quæ a rege adducatur,propterea quod quis eiusdē leges temerauerit, nec .n. scelestus eius,quod constitutum fit prius fit conscius,sed repente in carcerem truditur, donec eius causa discutiatur.

## Vers. XXIII.XXIV.XXV.XXVI.

23 Hæc quoque [a] sapientibus [b] Cognoscere personum in iudicio non est bonum.

24 [c] Qui dicunt impio:iustus es;maledicent ei populi,& [d] detestabuntur eos tribus.

25 [e] Qui arguunt eum,laudabuntur: & super ipsos veniet benedictio.

26 [f] Labia deosculabitur,qui recta verba respondet.

## VAR. LEC.

*a Chal. sapientibus dico. b Syr. accipere personam. c Chal. neque dicere impio. d Syr. probris eos afficient*

*gentes. e Syr. pauperes iucunditate perfundetur. Legit Syrus* מכנא *pro chaldaeo* מכנן *f* Chal. *Osculabuntur labia eorum, qui reprehensi sunt.*

## SALOM. ISAC.

23 *hac quoque sapientibus* Vniuersa, quæ deinceps dicentur pertinent ad sapientes, qui iuri dicundo assident, ne scilicet in iudicio rationem, delectumq; personarum habeant, cum id haud honestum, vtileq; sit.

26 *labia deosculabitur* Consentaneum est, vt huiusmodi virum omnes dissuauientur, atq, osculentur.

## A. ABEN EZRA.

Quatuor hi versiculi simul in explicatione sunt coniungendi.

23 *Hac quoque sapientibus* Hęc quoque sapientibus, qui scilicet iudicandi peritiam habēt, perspecta esse oportet; haud nimirum in iudicio rationem cuiuspiam habēdā, idq; flagitium esse.

24 *qui dicunt* Iudex autem qui sceleratum, dum iudicio sistitur, insontem affirmet, & iustum, populi imprecationibus expositus erit, cum haud iuste, vt opus fuisset in iudicando se gesserit.

25 *qui arguunt eum laudabuntur* ינעמו ijnham suauis erit Deus Qui autem nefarium virum arguunt sceleribus sese contaminantem diuina voluptate, suauitateq; perfundentur.

*veniet benedictio* ברכת טוב birchath tou. Benedictio bona. Respondent hae illi maledicent ei populi. Dicitur autem hæc bona benedictio, quod hae illi sint cumulandi.

26 *labia deosculabitur* Qui in iudicio recta respondet, eius labia cæteri dissuauiabuntur, quod eam vim habet, futurum vt eius verba eo loci habeantur, ac si labijs oscularetur.

Mens auctoris est ea verba perinde futura, ac si is alterum ad beneuolentiam significandam, deoscularetur.

## LEVI GHERSOM.

23 *Hæc quoque sapientibus* Hæc ad monendos sapientes spectant. *Cognoscere personam* Haud bonum est, vt cuiuspiam rationem habeas, itaut a iudicij iusto tramite deflectas ob personarum delectū .i. Res est nefaria.

24 *qui dicunt impio, iustus es* Par etiam est negotium de iudice, si impium propterea quod personę rationem habeat, iustum asserat; hunc .n. infelici omine populi insectabuntur, atq; inuisum habebunt quamplurimi, cum inde mortales ad impium beneuolentiā, iustum vero odio prosequendum adducantur.

24 *qui arguunt eum* Sed enim qui sceleslos impietatis arguūt, eosdemque

demque ad recte agendum instituunt, gratiam, fauoremq; ab hominum genere inibunt, & ab ijsdem fausto omine, ac votis cumulabuntur. Sed forte pertinent hæc vniuersa ad iudices, qui nefarium insontem, iustumq; esse affirmēt. Cognoscēda autē persona in iudicio, hoc est alicuius ratione habēda alteri partium, quæ in iudicium descendit honos impenditur; id.n. iudicium a recta sua norma detorquet, cum ita aduersarij querelis, rationibusque silentium imponatur, cum is sibi persuadeat iudicis sententiam propensam esse in eum, cum quo iudicij aleam subeat. Vel etiam ea mens horum erit.

*qui arguunt, laudabuntur* נעם ijnham, Qui recta verba respondebit ita ijs charus est, ac si eosdem osculatus fuisset, cum mendacia inuisa sint, veritasq; summopere ametur.

Illud autem præcipue insinuatur hisce versiculis, admoneri nos ne parti alicui a qua altera penitus euellatur faueamus, ne ideo a perfecta contēplatione arceamur, si vi cuiuspiā inuestigationis vacādū erit, propterea quod nimium ab altera aduersante parte seduci oblectari, rapiq; se quis patiatur. Si.n. in hac rerum inuestigatione opinionem a veritate alienam, veram esse quis affirmet, infausta vota a quāplurimis reportabit. Qui vero vera argumētatione vtetur in quæstionibus, quando rerum inuestigationi rite vacabit, delectatione, suauitateq; perfundetur, ob benedictiones, quibus hunc posteri prosequentur, cum illius orationem perpendent, a qua ad contemplationem omnibus suis numeris constantem in rebus ineundam dirigantur.

## Vers. XXVII.

27 Præpara foris opus tuum, ᵃ & diligenter exerce agrum tuum: vt postea ædifices domum tuam.

## VAR. LECT.

ᵃ *Chal. statue in agro. Syr. prepara in agro, & postea edifica.*

## SALOM. ISAC.

27 *præpara foris opus tuum* Hæc est Scriptura.
*agrum tuum* Doctorum varia scita:
*domum tuam* hoc est Talmud. Alia vero exponendi ratio est, iuxta verborum sonum, primo quidem tibi agros acquire, ac vineas.

Fabellæ sunt Hæbreo permittendæ.

*exerce agrum* ועתדה Hattedaha quæ vox hircos significat, .i. deinde vero hircos, gregesq; in agris colloca; ad extremum ædifica domum .i. vxorem tibi adiunge.

## A. ABEN EZRA.

27 *præpara* Filium alloquitur, quem cautum, monitumq; esse vult.
*& diligenter exerce* התעדה Hattedaha: opus illud præsta, quod jam præparaueris.
*vt postea ædifices* ובנית vuanith. Vau huiusce vocis significat aut, ad eum sensum. Vel, si tibi nullum foris sit opus, domum tuam construe.

## LEVI GHERSOM.

27 *præpara foris opus tuum* Illud para, quod te præmittere a sensibus petitum oporteat.
*exerce agrum tuum* Illud etiam in agro tibi compara, quod tibi opus futurum sit, quando quæ sub sensum cadunt indagabis; posteaque namque in rebus speculatiuis tibi domum ædificare poteris.

### Vers. XXVIII. XXIX.

28 Ne sis testis ᵃ frustra contra proximum tuum :
ᵇ nec lactes quemquam labijs tuis.
29 Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum :

### VAR. LEC.

*a Chal. accusator. Syr. testis mendax. b. Chal. ne decipias. Syr. ne blanditijs delinias.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *Nec lactes* Ne sermone tuo amicum transuersum agas.

## A. ABEN EZRA.

28 *nec lactes* והפתית haphititha. He huius vocis est admirantis argumentum. Q. d. ne falsa testeris, nec alium ad idem præstandū pellicias. Aliter etiam hæc exponito. Quod si amicum tuum supplantaueris, ne inquias, quemadmodum is malo me mulctauit, ita cum illo me geram, illumq; decipiam, forteq; rationibus illius paria rependam; huius והפתית haphititha vis consentit cum illis, quis decipiet Achab?
3. reg. c. 22. v. 20.

## LEVI GHERSOM.

28 *ne sis testis frustra* Ne figmenta in medium proferas, quando aliquid narrabis, ex quo ad inuestigandam sapientiam alios instituí oporteret; id .n. efficies, vt in opiniones a veritate alienas mortales trudantur. Velut si opinionē maiorum aliquam animaduertas, quæ non ita tibi arrideat, haud falsas narrationes in medium adduci oportet, quibus illam conuellas. Si autem qui illa imbutus est falsis nitatur argumentationibus, haud opus est, vt eam rationem amplectaris, qua a sensibus aliquid petas, quo eam refellas, id.n. grauissime implicat eos, qui huiusmodi quæstioni operam dabunt.

29 *Ne dicas* Ideo etiam haud consentaneum est, vt inquias, quē admodum is figmentis suis se mecum gessit ad opinionem suam stabiliendam, & confirmandam, ita pariter agam, vt eandem aboleam, & paria ijs referam, quę ille optima arbitretur. Monet etiam cauendum a falsis testandis, quibus amicus periclitetur tuo sermone seductus; itaut sibi persuadeat id criminosum non esse, cum nihil agat, quod rei naturę aduersetur, sed tamen ex hoc sermone dāna consequuntur. Licet etiam quis falsis testimonio suo comprobādis calamitatem attulerit, haud tamen consentaneum est, vt ex illo quis hac ratione pænas, vltionemq; repetat.

## Vers. XXX. XXXI.

30 Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti.

31 [a] Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & [b] maceria lapidum destructa erat.

### VAR. LECT.

a *Chal. ecce pullulauit tota silua.* b *Syr. sæpes lapidum.*

## SALOMON ISACIDES.

30 *hominis pigri* Qui nimirum in doctrinæ suæ lectione non versatur.

31 *vrticæ* קמשונים Kimmesonim .i. cardui.

*operuerant* .i. Operta erat terræ superficies.

*spinæ* חרולים charullim. Fructeti genus, grandius carduis, vtrumque autem acutum est velut spinæ.

*maceria lapidum destructa est* Non dissimili modo qui lectioni, studioq;

dioq; frequentius non vacat, primo quidem capitum initia obliuioni tradit, & denique sapientum pronunciata commutat, itaut quod vetitum est licere, quod permissum est nefarium esse affirmet, atque opinionum portentis calamitatem orbis inuehat.

## A. ABEN EZRA.

31 *repleuerant* עלה halah voce singulari, quasi de singulis spinis sit sermo: voces autem קמשונים חרולים kimmesonim charullim significant spinas.

## LEVI GHERSOMITES.

30 *per agrum hominis pigri* Monet deinde vitandam inertiam tum quoad actiones, tum quoad studia, & contemplationem: qui .n. in agēdo deses est, facultates suas perdit, sibiq; auctor est, vt nullus eorum fructus existat: inertia vero quoad indagandas res contemplationi subiectas, facultates hasce mētis abiectas, noxiasq; reddit velut spinas, quæ proxime ad se accedentes lædunt. Inquit ergo per inertis agrum se pertransisse, & agro colendo, serendoue non incūbentis. In illo ergo noxiæ tantum herbæ, spinæque germinarant, lapidumq; maceries, quæ ad munimen, securitatemq; fructuum agrū ambiebat, euersa ceciderat, quam desidia torpens reparare neglexerit. Idem etiam contingit vecordis vineę, quæ a Deo sata fuerit, vt suauissimos fructus ferret, quibus mortalibus, superisq; voluptas afferretur; hæc autem vinea nihil aliud est, quam mens vt materiæ cōcretioni est alligata, facultatemq; adepta est ad res sensibiles percipiendas: ob inertiam ergo, qua se sopiri in sapientia comparanda patitur, emergunt tantum opinionum figmenta, quę a veritate longissime absint, perniciosæq; sint viro quoad felicitatē tum sciendi, tum rei politicæ, sępesq; remouetur, quæ circumambiebat, itaut cæteris animi facultatibus libera potestas relinquatur.

## Vers. XXXII. XXXIII. XXXIV.

32 Quod cum vidissem [a] posui in corde meo, [b] & exemplo didici disciplinam.

33 [c] Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis [d] pauxillum manus conseres, vt quiescas.

34 [e] Et veniet tibi quasi cursor egestas, & [f] mendicitas quasi vir [f] armatus.

VAR.

## VAR. LEC.

*a Chal. posui cor meum. b Chal. suscepi disciplinam. c Syr. quodsi parum. d Chal. parum applicabis manus tuas ad pectus, vt dormias. e Chal. & veniet, & procedet paupertas tua. f Chal. Vir scutatus.*

## SALOMON ISACIEDS.

34 *quasi cursor egestas* Celerrime ea ad te accedent, quibus ad egestatem redigaris.

## A. ABEN EZRA.

33 *parum dormies* Iam hæc supra declarauimus.

34 *cursor* כמהלך mithailech, desideratur Caph particula similitudinis quia caph *sicut vir* supplet vices, qua eruditione imbuendum filium alloquitur.

## LEVI GHERSOM.

32 *Quod cum vidissem* Cum ergo incommoda animaduertissem quæ ex desidia quoad actiones, & contemplationem consequuntur attente rem perpendi, eamq; institutionem amplexus sum, qua inertiam arcerem, ex qua huiusmodi damna progrediantur.

33 *parum, inquam dormies* Illud etiam optimum esse consiliũ perspexi, vt qui ignauiam vult vitare modico somno vtatur, parumq; quieti indulgeat, parum etiam manus suas complicet, vt somniculosis artubus quietis vsuram concedat: id autem si præstiteris haud vnquam egestate, reiq; alicuius inopia premeris, solertiæ .n. auspicijs facile quibus alaris obtinebis, eaq; quæ sollicite consectaris, adipisceris.

34 *& veniet tibi quasi cursor egestas* Quodsi vnquam ad inopiam redigaris, egestas erit tanquam cursor, nec .n. diutius hęrebit, quẽadmodum solet vir armatus, qui haud diutius se detinet, citoq; recessurus aduentat. Et hęc ad huius loci explicationẽ adduxisse satis nobis visum est. Ex nostro etiam sermone quinam sit horum fructus satis perspicuum est.

# CAP. VIGESIMVMQVINTVM.

## Verſ. I.

1 Hæc quoque *a* parabolæ Salomonis, *b* quas tranſtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. parabolæ Salomonis profundæ. Syr. abſtruſæ. b Syr. quas ſcripſerunt amici* Ezechiæ.

## SALOM. ISAC.

1 *Hæ quoque parabolæ* Quando Ezechias ad regnũ euectus eſt ad haſce parabolas inueſtigandas ſecundas curas adiecit, ac in ſingulis vrbibus diſcipulos conſtituit, vt habetur in capite chelek, vbi habetur, diligenter inueſtigatum a Dan vſq in Berſabeam, nullumq; ineruditum, indoctumque repertum fuiſſe.

*tranſtulerunt* העתיקו hehtiku .i. confirmarunt, roborauntue.

## A. ABEN EZRA.

Iam ad partem tertiam exponendam accedimus. Atque non immerito dices, hanc libri partem ſingularem fuiſſe inter Salomonis libros, a viris autem Ezechię ſapientia excultis haſce parabolas maxima ſuauitate affluentes translatas, & cum his congeſtas, coniunctaſque fuiſſe.

1 *Hæ quoque parabolæ Salomonis* Hic verſiculus a ſcriba adſcriptus eſt, quem Sebnam fuiſſe non iniuria affirmabis, cum is eſſet a ſcribendo regi Ezechiæ. Hic autem narrat cauſam exſcriptionis.

4. reg. 18. v. 18.

*hæ quoque* גם gam, vt priorum multitudo intelligatur.

*quas tranſtulerunt* Haſce parabolas exſcribi ſeorſim iuſſit ex eorũ libris, cum ſimul conſerti, coniũctiq; eſſent. Partis autẽ huius exordium ducitur a diuino cultu, & honore.

## LEVI GHERSOM.

1 *quas tranſtulerunt viri Ezechię* Viri ſapientia inſignes, qui per Ezechię tempora degebant haſce parabolas tranſtulerunt: ideo autem videntur hæ ſeortim a cęteris collocatę, quod decerptæ fuerint ex ſapientum ſcitis, atq; enunciatis, cętera .n. quarum præmiſſa eſt mentio, ea ſerie, & ratione repertę fuerũt, quam habent inter Salomonis pronunciata.

Verſ.

## Verſ. II.III.IV.V.

2 Gloria Dei eſt ᵃ celare verbum, & gloria regum
inueſtigare ſermonem.
3 Cælum ᵇ ſurſum, & terra ᶜ deorſum, & cor regum ᵈ inſcrutabile.
4 ᵉ Aufer rubiginem de argento, ᶠ & egredietur vas
puriſſimum.
5 Aufer impietatem de vultu regis, ʰ & firmabitur iuſtitia thronus eius.

## VAR. LEC.

*a Syr. qui abſcondit. b cœli ſunt excelſi. Syr. ſublimes. c Syr. profunda. d Syr. non inueſtigatur. e Chal. colligite ſcoriam de argento. Syr. ſecernite ſcorias ab argento. f Syr. vt egrediatur vas parum. Chal. vt egrediatur vas a conflatorio. g Chal. Eijciatur impius a facie regis. Syr. confringetur iniquus ante regem. h Chal. & præparabitur in iuſtitia ſolium eius.*

## SALOM. ISAC.

2 *gloria Dei* Ad diuinam gloriam ſpectat quædam abſcondere, vt myſteria Quadrigæ Ezechielis, eaq; quæ Geneſi recenſentur.

*gloria regum inueſtigare ſermonem* Quando tu quæ in ad ſapientum gloriā pertinent, inueſtigas, hoc eſt eorundē decreta, & ſcita res altius tibi eſt indaganda, ratioque rerum efflagitanda: ſed quando ſtudio vacabis ſacræ quadrigæ, operum naſcentis orbis, decretorū legumue ſacris monumentis conſignatorum, eorum denique quę infeſtus Dæmon accuſator criminatur, & replicat, vt de ſuis eſu, panno ex lino, lanaq; conſtantis, haud tibi ratio horum inueſtiganda eſt, ſed myſterio res inuoluenda, ac inquiendum, hæc a ſummo rege ita decreta, conſtitutaue ſunt.

Licet Hebreus laudet, recte chriſtianus monetur, ne plus æquo ſupere, velit.

3 *cælum ſurſum* Cælum quod cunctis ſupereminet, profundaque terræ haud peruestigari queunt, vt nec etiam regis animus: quoties n. illi ius dicendum? quot etiam bella eidem, gerenda? quibus omnibus prouida cura adhiberi neceſſe eſt: quod ſi linguę omnes ſermonem tererent, manuſq; omnium ſcribendo vacarent, haud ſatis eſ-

sent ad describenda imperij grauia, multaq; negotia.

2.reg.c.20.v.23. 5 *aufer* הגו haghò amoue. iuxta illud, amoto ergo illo de via Quemadmodum argenteum vas haud arte argentarij cōflari potest, nisi scorijs ęris purgetur, quas admixtas habet, ita populi non absoluuntur a pęna, nisi a se reijciant criminosos, in eosdemq; rite animaduertant.

## A. ABEN EZRA.

Quatuor hi versiculi vicissim adhærent, hæcque illis adhibenda expositio.

2 *gloria Dei* Quod ad Dei gloriam facit in narratione eorū, quę ab eodē sunt effecta, hoc est quę ex nulla alia re pręuia procreata sūt. mysterijs inuolutum, arcanumq; esse voluit; quotus .n. quisque est qui eius gloriam sermone celebrare, eiusq fines assequi possit? Neque vero mireris, si inuenias, annunciate intergentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius, hęc .n. spectant ad hostium abolitionem, amicorumq; salutem.

ps.96.v.3.

*& gloria regum* Est quidem regibus gloriosum res inuestigare. Tu vero ne acutius rimeris diuina opera, quoniam cęlestis moles homini superior est, terra vero cum ima sit, & profunda eidem nimium subiecta est.

*Cor regum inscrutabile* אין חקר en cheKer .i. haud est inuestigatio Reges vero, quibus arcanis sapientię vacare concessum est haud inuestigare possunt, hoc est eiusdem gloriam penetrare nequeūt, nec itē intelligere possunt quæ sursum quędue deorsum. Tu quoque quando contemplaberis, quanam ratione aurifex scorias ab argento remoueat, moxq; vas quodcumque expetet ex argento depurato conflectur, ita illud etiam non dispari ratione reperies, quando rex impiū sibi adstantē eliminabit, tunc eius solium iustitia firmatum iri; illius .n. gloria, splendorq in eo maxime situs est, vt in iudicio ita accuratus sit indagator, quoad vsque regni iura percalluerit.

## LEVI GHERS.

2 *gloria Dei celare verbum* Vis horum est, cum quispiam aliquid à Deo votis exposcit, haud e Dei gloria esse, vt quę postulat patefaciat, cum Deus rerum omniū sit cōscius; an non .n. animaduertis vxorem Ieroboam dissimulasse cum ad Achiam Silonitem accederet, atque antequam in eiusdem conspectum aduentaret, hunc quę expectebat patefecisse, Deo illi arcana reuelante.

3.reg.c.14.v.5.

*gloria regum inuestigare sermonem* Secus vero se habet regum gloria; illi .n. rite inuestigare debent quę proponuntur, itaut ius ad veritatis pręscriptum, administrent; hi .n. illa tantum perspecta habent, quæ exponuntur, cum secus in Deo accidat.

3 *cælum sursum, & terra deorsum* Licet altitudo, & profunditas natura sua definita nō sit rectis lineis, quibus circūscribatur, itaut ijs ex vtroque latere aliquid addi queat, idque perpetuo seruetur, sunt tamen essentia definita, cum cęlum altum sit quam maxime fieri potest, terræq; centrum quam maxime profundū sit. Verum cor regis. & prouidentia quoad ea, quæ intelligere, prospicereq; debet, quod sępius ante eundem recurrant, immensa esse debet, tam argumenta, & negotia subinde mutātur, alteriusq. generis pæne fiunt, ex quo varia consequi solent, & plane infinita in vnoquoq. genere in multiplici rerū serie, vt vnaquaq. pars consentaneum sibi finem sortiatur.

4 *aufer rubiginem* Quemadmodum scorijs defæcato argento aurifici vas puri argenti conflatur, ita cum a regis consuetudine scelestus, qui ante illius ora assidue obuersabatur, & cōsulendi munus gerebat, amandatus fuerit, tunc eius solium firmabitur iustitia. Hæc autem ideo dicuntur, vt scelerier i ex inuigilet, ne inter suos ministros, & a consilijs sceleratum aliquem, vel plures habeat, ne ab ijs, nihil huiusmodi opinatus, a iustitiæ tramite auocetur.

Poterunt etiam hi versiculi exponi de mente, quæ inter hominis facultates, principatum obtinet, quemadmodum diuina lege cautum est, quando hominum genus in lucem editum fuit &c. philosophica aliqua prætermissa.

## Vers. VI. VII.

6 a Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

7 Melius est enim, vt dicatur tibi: Ascende huc, quam b vt humilieris coram principe.

*Hebræi hic adscribunt initium sequentis vers. & habent, quem viderunt oculi tui.*

## VARIÆ LECTONES.

a *Chal. ne splendidus sis in conspectu regis. Syr. ne glorieris.* b *Chal. vt deijciat te coram dominatore, quem viderunt oculi tui.*

## SALOM. ISAC.

6 *ne gloriosus appareas* אל תתהדר al tithhaddar, Ne te magnifice iactas coram rege, vt gloriam tuam ostentes, atq; superbe te agas coram eo, qui tibi dignitate sit superior, satias .n. est, vt tibi dicatur,

ascende huc, quam si absque venia aliquem locũ ingrediaris, & inde te recedere iubeant.

*quæ viderunt oculi tui* Quod nimirum vera esse reipsa probasti.

## A. ABEN EZRA.

Vinciuntur hi duo versiculi.

6 *ne gloriosus appareas* Ne velut ille veste, curruq; splendidus sis.

*& in locum magnorum* Vbi magnates versantur ne commoreris.

7 *ascende huc* Nam magis e re tua est, vt dicatur tibi ascende huc, & nobiscum morare, quam inspectante rege e gradu deijciaris, cum ab eius conspectu te abire iusserint.

*quæ viderunt* ראו rau Te deijci videbunt, nam ראו rau est pro יראו ijru videbunt.

## LEVI GHERSOM.

6 *ne gloriosus appareas coram rege* Ne tibi dignitatem, gradumq; coram rege impendas, sed demisse ante illum versare.

*& in loco magnatum* Ne tibi illis parem dignitatem arroges, itaut assideas cum illis in eorundem sede.

7 *melius est enim* Præstantius .n. est, vt ob insignem tuam demissionem ad ascendendum inuiteris, quam vt vilipendaris coram principe, ac magnate quẽ viderunt oculi tui, cũ quo nimirũ cõsuetudine antea vtebaris. Atque equidem pertinent hæc ad eum, qui cum aliquo familiariter versaretur, qui mox ad dignitatẽ sit euectus, i.e. permissum sibi arbitretur, vt eadem familiaritate vtatur, qua antea; nec .n. id ita decet, sed illi is honor deferendus, quem præsens dignitatis gradus exigat.

## Vers. VIII. IX. X. XI. XII.

8 [a] Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, [b] ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.

9 Causam tuam [c] tracta cum amico tuo, & secretum [d] extraneo ne reueles.

10 Ne forte [e] insultet tibi cum audierit, [f] & exprobrare non cesset.

Gratia, & amicitia liberat: quas tibi serua ne exprobrabilis fias. } *Desideratur in hebreo.*

11 Mala

11 Mala aurea g in lectis argenteis qui loquitur ver
bum h in tempore suo.
12 Inauris aurea, & i margaritum fulgens k qui
arguit sapientem, & aurem obedientem.

## VAR. LECT.

*a Syr. Ipse dixit, ne egrediaris ad iudicium velociter. Chal. ne ingrediaris ad iudicium cito. b Chal. vt non contendas postea, quando exasperauerit te amicus tuus. Syr. ne quando iudicaueris exprobret tibi amicus tuus. c Chal. iudica. d Syr. alterius. e Chal. exprobret tibi. f Chal. & famam tuam non peruertat. Syr. & multi te iudicent. g Chal. in cælaturis. Syr. pomum aureum in opere fusili argenti. h Chal. opportune. i Chal. vasa smaragdina. Syr. Sardium bonum. K Chal. correptio sapientis in aurem audientem. Syr. sic correptio sapientis.*

## SALOMON ISACIDES.

8 *ne postea emendare non possis* פן מה תעשה pen mah tahaseh Ne fortе id præstes, a quo eo adducaris, vt ignores, quid tibi ad extremum sit præstandum.

9 *causam tuam tracta cum amico tuo* Tu quidem iuste causam cum amico gerere potes: quodsi vel inuitus litem prosequi, & cum eodẽ disceptare cogaris.

*secretum reueles* Ne ei tamen reuoces in memoriam probrum maiorum suorum, qui iam vita functi sint, quod cæteri .i. amici ignorabant, quod quidem tu in medium profers.

10 *insultet tibi* יחסדך iechassedecha .i. probro tibi vertatur: nam probrum Ægyptiorum paraphrastice vertitur ... Ne probro te notet auditor, teque diffamatorem, alteriusque famę notas inurentem appellet.

11 *mala aurea* Idest tanquam poma, quæ in argenti cælaturis sint efformata.

*in lectis* משכיות maschioth, Vox hęc vasa significat, quæ argento obducta sint, iuxta illud, tegam, & operiam manu mea. Exo.33.v.22

*verbum in tempore suo* על אפניו hal ophnau .i. sermo supra basim pronun-

pronunciatus, huic autem [illegible] similis, & altera portauit timores tuos
ps. hebr. 88, v. 16. אפונה aphunah .i. timor recte fundatus .i. & fixus in meis præcordijs. Neque vero rotam significat, si .n. id ita esset litteræ primæ adscriberetur patach, quemadmodum contingit in voce אופנים ophanim, neque vero vnquam in hanc cadit chateph kamets.

*margaritum fulgens* חלי כתם chali chetem ornamentum confertum auro חלי autem idem significat, quod illa ornabatur inaure sua, & חלאתך cheliatcha .i. monili tuo, q. d.

*fulgens* כתם chatem, est ornamentum aureum idem ac כתם פז chetem paz ornamentum ex auro obrizo.

## A. ABEN EZRA.

Connectendi sunt hi quinque versiculi, *in tempore suo* אופניו ophnau, aleph est additum vt in illis מי אפסים meaphsaim aquæ nullis terminis definitæ, & אזרוע ezrohah brachium. Vel etiam deducetur a radice אופן ophan, quæ rotam significat, quod in gyrum vertatur.
Hos. 2. v. 13. Ezech. 47. v. 3.

*lectis* משכיות maschioth .i. obducta, & inuoluta. Hæc porro vniuersa ita sunt exponenda.

8 *Ne proferas in iurgio cito* Ne cito ad lites cum alijs miscendas te abripi patiaris, ne ignominiosus euadas.

*ne postea emendare possis* מה תעשה באחריתה ma tahase beacharitah quid facies in fine? Quid tandem absoluta lite præstabis, vt ignominiæ notam euadas, quam tibi amicus inuret te explodens, ac litis leuitatem exprobrans, qua cum altero implicitus es.

9 *secretum extraneo ne reueles* סוד אחר sod acher, secretum alterius Quod nimirum tibi ab alio de amico tuo commendatum sit ne prodas in vulgus, dum in lite cum eodem versaris.

10 *ne forte insultet tibi* Ne forte audiens, tibi id probro vertat, teque fraudulentum appellet.

*exprobrare non cesset* דבתך לא תשוב dibberecha lo tasuu, & conuitium arcani proditi reuocari nequibit, nec .n. quod oblocutus es, unquam aboleri poterit.

11 *mala aurea* Sicut forma grata est aurei pomi in claustris argenteis, quod apte, concinneque fit argento inclusum, ita est sermo, qui debita moderatione, & consentaneo modo fit pronunciatus, non autem ad alterius secretum patefaciendum. Alia expositio. Debitus ordo est, ne alterius arcana prodas.

*qui loquitur verbum* דבר דבר dabar dauur, iuxta paraphrasis interpretationem דבור dauur ductum significabit, quasi dicas, sermo vectus super rationes consentaneas, rotasq; apte consentientes.

*sicut inauris aurea* Sicut inauris aurea, & margaritum fulgens, est qui aures præbentem increpat, & arguit.

## LEVI GHERSOM.

8. *ne proferas in iurgio cito* Ne cito, temereue contentioni, dissidijsq; te immisceas, id. n. tibi summopere cauendum est.

*ne postea emendare non possis* Pre viribus quid absoluta lite sis effecturus attendes; te n. flocci faciet aduersus, turpia ignominiosaq; tibi obiectans, aut etiam tibi plagas inferens: an non ergo satius est, vt caueas, ne ista tibi obueniant, neque huic agendi rationi te addicas.

9 *causam tuam tracta cum amico* Si quando continget, vt ab amico dissidendum sit, cum eodem sermonem solum habeto de ijs, quę ad litem pertinent, nec alterius arcana diuulges, vt illum pudore suffundas.

*ne forte insultet tibi* Ne forte id tibi ignominiæ ducatur ab eo, qui sermonem tuum, quo secreta alterius prodebas, audierit.

*exprobrare non cesset* Ignominia, quam inde reportaueris haud fieri poterit, vt reuocetur, atque aboleatur.

11 *mala aurea* Postquam autem a fędo sermone dehortatus est, ad laudabilem, honorificumq; instituit, aitque sermonem pronunciatum iuxta consentaneam rationem esse velut mala aurea canzellis argenteis obtecta, in quibus parua quędam foramina interniteant, e quibus facili obtutu malorum aureorum species emineat. Non ergo dissimilis ab illis est sermo rite pronunciatus; singularis. n. vtilitas percipitur ob id, quod intelligitur cum primum animus sermoni intelligendo adiungitur; quod si quis illum magis penetrare studeat, facili negotio in eo mala aurea comperiet, iuxta rationem in multis huiusce libri versiculis seruatam vt explicauimus.

12. *inauris aurea* Quemadmodum aurea inaure cumulate absoluitur ornamentum eius, qui monili aureo sit instructus, ita ut alterum altero carere nequeat, ita se pariter res habet, cum quis alterum obiurgat, si aures præbeat; hęc. n. increpatio absoluit omnibus suis numeris ornamentum, increpationem audientis; quod si quis aures præbere deneget, haud vsui erit, proderitue quando eum dictis castigabis, iuxta illud, ne arguas derisorem, ne forte te odio habeat.

### Vers. XIII. XIV.

13 a Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum; b animam ipsius requiescere facit.

14 c Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.

VAR.

# VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. Sicut quando descendit nix in tempore messis æstum refrigerat.* b *Chal. animum domini sui reficit. Syr. animam reducit.* c *Chal. diei nubium, & venti in quo non est pluuia similis est vir qui gloriatur in dono falsitatis.*

# SALOM. ISAC.

31 *sicut frigus niuis* Legatus fidelis est tanquam frigus ex niue proueniens, quod tempore messis a mortalibus expetitur: neque id de niue proprie est intelligendum, cum ea messium tempore vtilis nō sit.

14 *nubes & ventus* Quemadmodum spes irrita cadit, quando cælum nubibus densatur, ventisque fiantibus mortalis pluuias expectat, quibus nusquam gaudeat, indeq; angitur, oculiq; fatiscunt, ita cum quis gloriose iactat, se hac vel illa ratione indigentem eleemosina leuaturum exactoris opera, mentiturque, pauperis oculi semper intenti in id, quod daturum se pollicitus erat fatigantur, nihilque præbetur.

# A. ABEN EZRA.

31 *sicut frigus* צנת tsinnath, frigus significat. Non inepte etiam clypeum significare affirmabis, quod frigus sit velut scutum, quo vir messium tempore a calore muniatur; nec dispar est legati ratio.

*animum ipsius* נפש nephes, addendum sicut desiderat ad hunc sensum, redditq; responsum quemadmodum animus domini sui exoptabat, cui non dissimilia sunt illa כי נפש היא חובל chi nephes hu cubal vbi desideratur vox חי chai Alia etiam ineunda explanatio.

quod refrigeret tueatur legatus. *animam ipsius requiescere facit* ישיב iasiu .i. reducit, quasi domini animus discedenti legato coniunctus fuisset, eodemq; redeunte in domini corpus reductus sit, quod is legatum fidum se præbuerit.

14 *nubes* נשיאים nesiim Nubes ita appellantur quasi delatæ, quod ad extremas orbis plagas deferantur, & a ventis agantur.

*pluuia non sequentes* גשם אין ghesem ain Non est pluuia, nubes nempe pluuia carent. qua terras largo imbre rigent.

*vir gloriosus* Ita vir mendax, quique se aliquid daturum mentitur cum nullius rei copiam habeat, nubibus persimilis est: Neque vero ita agendum est.

## LEVI GHERSOM.

13 *sicut frigus* Quemadmodum frigus ex niue proueniens æstatis tempore iucundissimum est, vitalemq; calorem conseruat, ne præ nimio aeris æstu, qui illa tempestate immoderatus est, euanescat, eundemq; ad intima corporis præcordia retrudit; ita legatus fidelis eum oblectat, a quo missus fuerit, dominoq; suo animum reddit, vitamq præbet, cum illius optata rite absoluerit, riteq; legationis negotia obierit.

14 *nubes & ventus*, Qui munera dilaudat, nihilque præstat, hoc est, qui se aliquid præbere ostentat, nec id elargitur, nubibus, ventoq; comparatur, cum .n. terris incumbunt, spectatores pluuias sperant, nulliq; tamen postea ex ijs imbres decidunt. Vituperatur ergo hoc loco hæc sermonis liberalitas, cum inprimis ignominiosa sit.

## Vers. XV.

15 ª Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet ᵇ duritiam.

## VAR. LECT.

a *Chal. in patientia spiritus lactatur princeps.* b *Syr. Ossa*

## SALOMON ISACIDES.

15 *patientia lenietur princeps* Quando Deus iram suam differt, nec statim pœnas reposcit, criminosis curandum est sedulo, vt illum precibus, & resipiscentia deliniant.

*lingua mollis* Precibus vacans, miserationem q; excitans.

*confringet duritiã* גרם garẽ ossa Iudicis seuerã sẽtẽtiã mitigabit.

## A. ABEN EZRA.

15 *patientia lenietur princeps* בארך אפים יפתה beorech apaim iepate ob patientiam princeps seducitur. Propterea quod princeps patienter ferat eos, a quibus ad iram sit inflammatus, nec ex eis vindictam sumat, tunc illorũ hostes hunc seducent, atq; in illum vim habent ac prævalent. Horum igitur lingua mollis, & blanda ossa confringet.

## LEVI GHERSOM.

15 *patientia lenietur princeps* Longanimitate, iræq; tolerantia lenitur princeps, quãdo in subditos exarserit, si quis nempe verba illius audiens, haud excanduerit, sed patienter illa pertulerit, nam inde fit, vt a se calamitatem arceat, quam princeps moliebatur repentinam

verum is non a sua cogitatione delere hanc prorsus potest.

*confringet duritiam* [illegible] garem, ossa Lingua autem mollis confringet ossa, quæ inter maxima dura, validaq; recensentur, hoc est iræ acrimoniam, duritiamq; mitigabit, eumq; omnino demulcebit virtute. Ea etiam vim hæc habent. Si princeps patiens sit, iráq; moderetur, inde fieri, vt nonnisi iustæ pœnæ ab eo inferantur. Atque argumento id est, si nimium iræ indulgeat, æstum hunc vniuersa eiusdē negotia perturbaturum, neminemq; futurum qui eū a sententia reuocare posset, ne ea prçstet, ad quæ ab iræ impetu propellebatur. Quæ vero sequuntur priori ratione sunt exponenda. Eā denique mentem horum esse affirmabis, principem quando in quempiam ira efferuescet, tolerantia leniri, cum nimirum haud statim rogabitur, vt huiusmodi virū incolumem esse velit: sed aliquo temporis spatio iræ indulgere permittatur; ita .n. forte euadet, cum tempus erit, quo illius ira sedetur. Huiusmodi autem vtilissimum consilium amplexus est Ruben, quando fratres rogauit, vt Iosephum a discrimine subtraheret. Lingua ergo mollis, & blanda iræ duritiem, & furoris vehementiam ad breuissimum tempus mitigabit.

## Vers. XVI. XVII.

16 Mel inuenisti, comede ᵃ quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud.

17 ᵇ Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te;

## VAR. LEC.

*a Syr. partem tuam. b ne immittas pedes in domum amici tui.*

## SALOM. ISAC.

16 *mel inuenisti* Quemadmodum inuento melle, quod palato tuo arrideat, haud eo te vesci oportet, ne satur idem euomere cogaris, ita pedem subtrahe a domo amici tui, licetq; affinitate tecum iunctus sit, ne illius domum singulis diebus frequentes, ne forte tui facietate capiatur, teque inuisum habeat.

Illud vero ad allegoriam pertinet: Ne assuescas noxis contrahendis imprudenter, hostijsque quotidie in templum inferendis ad eas expiandas, quod quidem templum socij, vel amici appellationem habet, iuxta illud; hic dilectus me, hic amicus meus. Cantic.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

16 *quod sufficit tibi* ךי daiecha, quod tibi ad vescendum satis, opportunumque sit.

*euomas illud* Mel .n. natura calidum est, nec illud corpus ferre, absumereue potest, ideoq; euometur.

## LEVI GHERS.

16 *mel inuenisti* Quando mel inueneris, ea nimirum quæ ad sapientiam pertinent, vt antea dictum est, illa tantum tibi assume, quæ satis sint neque ijs contemplandis vaces, quæ assequi nequeas, ne forte ideo euomere cogaris, quod adeptus eras, ob errores, perturbationemq; quæ in huiuscemodi contingit. Id autem recte melli comparauit, cum ea sit mellis natura, quemadmodum a Rau More recensetur, vt qui eo modeste vescitur non exiguum percipiat emolumentum, secus vero qui immoderatum eius vsum frequentet, reijcere cogatur ob stomaci perturbationem.

17 *subtrahe pedem* Ne amici domum oportunus, importunusq; frequentes; inde .n. fit, vt tui facietate capiatur, teq; amare desinat. id autem patet in ijs, quæ maxime mortalis optat; neque .n. grata sunt, & optata, nisi distinctis interuallis obtineantur. Coniungitur autem hic versiculus cum superiori, cum maxime inter se conueniant. Præscribi etiam videtur in ijsdem sapientiæ consectandæ ratio, neque .n. studium diuturnius, frequentiusque quam par sit in ea collocandum, cum vires fatigentur, indeque efficiatur, vt erremus, fallamurque in eadem consequenda.

## Vers. XVIII.

18 a Iaculum, & gladius, & b sagitta homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

## VAR. LEC.

a *Chal. sicut malleus.* b *Chal. sagitta acuta.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *iaculum* ץיפמ mephits. est militaris armamenti nomen.

## A. ABEN EZRA.

*Iaculum* ץיפמ maphits. Desideratur in hac voce Nun quasi dicamus

mus מפיץ .i. dispergens, & confringens, parëque vim illorum ha-
Ierem. c. 51. v. 20. bet מפץ maphets malleus tu es mihi, estque instrumentũ .i. malleus Idem esto iudicium de voce תני cum dicendum esse תנשי tansi.

*falsum testimonium* עד שקר Hed saker, est nomen substantiuum .i. testis falsi testimonij: adiectiuum etiam dicere poteris, vt vir falsi testimonij, qui nimirum falsa testatur.

## LEVI GHERSOM.

18 *iaculum* Qui falsa in amicum quẽpiam testari curat, ita se gerendo malleo, ense, sagittaq; acuta vti videtur, quibus homines interimat.

## Vers. XIX. XX.

19. Dens putridus [a] & pes lassus [b] qui sperat super infideli in die angustiæ.

20 [c] Et amisit pallium in die frigoris. Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. } *Desideratur in hebreo.*

## VAR. LEC.

*a Syr. pes luxatus. b Chal. sic erit spes deprædatoris in die angustiæ. Syr. spes iniqui. c Chal. qui tollit pallium a socio suo in die frigoris est sicut ille, qui proijcit acetum super nitrum, & probat cor dolor sicut argentum vas & sicut tinea in ligno, sic stoliditas irritat cor hominis. Syr. qui proijcit acetum super fidibus.*

## SALOMON ISACIDES.

19 *dens putridus* שן רעה sen rohah .i. dens confractus.

*pes lassus* מועדת muhadeth, .i. labans, & inclinans, ad normam
1. reg. c. 22. v. 37. illorum לא מעדו קרסלי lo mahadu Karsulai, non nutauerunt tali mei.

*qui sperat super infideli* Is .n. in angustijs mentitur, fallitque, quemadmodum dens effractus; & pes labans, & sese inclinans.

20 *& amici pallium* מעדה בגד mahadeh beghed, Vestis festiua, quam ab homine remoueri decet, quod vsu detrita, absumptaque
Esa. 64. v. 6. sit; paraphrastes .n. pro כר iaser habet יעדי iahdi. Hec igitur ita explicabis. Vestis detrita, & pannosa in die frigoris est tanquam acetum super nitrum. נתר neter autem est, terrę mollis genus, quemadmodum illa, quam nos argillam appellamus; hanc .n. efformantes,

tes, elaborantesq; artifices vasa conficiunt: quodsi in eandem acetũ decidat dissoluitur, neque vlli vsui esse potest.

*qui cordi pessimo carmina* decantat Hic vtrisq; similis est. Quod nam autem carmen est seu canticum, nisi lex, qua a præceptore discipulus flagitiosus imbuitur, qui illam haud seruaturus sit.

## A. ABEN EZRA.

16 *dens* שן quasi חץ שנון chets sanun, sagitta acuta, quæ acumine dẽtes polleãt; voce vero duali habetur שנים senaim, quod illorũ duplex sit ordo.

*putridus* רעה roha confractus, quæ vox deducitur ab illa תרועם terohem, confringes eos. ps.2.v.9.

*lassus* מועדת muhadeth Est ad normam יעשבת, iusaueth, scure K autẽ huius vocis est pro cholẽ. Ita ergo hęc explicabis Spes collocata in scelesto, & proditore, qui calamitatis tẽpore prodat, & fallat eidem fidentem est tanquam dens confractus cum est comedẽdum, ac velut os loco motus, quo tempore currendum sit. Aliter etiã hæc exponere poteris, vt pro dente lapidis acumen, dentesq; intelligas, itaut dens, & pes quoad prouerbialem rationem coincidant, eaq; mens erit. Spes in scelesto sita, est sicut petræ discissæ dens, qui fallit pedem in eo gradum firmantis.

20 *& ammittit pallium* מעדה mahade quæ vox iuxta paraphrastem remouendi vim habet, Qui aliquem pallio foueri non permittit, quando frigus vrget: acetum etiã super nitrum haud inter se diffident, parq; est ratio eius, qui cordi mærenti hilares cantiones concinat. Nitrum autem constat vsui esse ad vestes abluendas, sordesq; purgandas. Si ergo aquæ huiusmodi nitrum euanidum efficiunt, quanto magis acetum? Vis ergo horum erit. Qui a se abijcit vestes, quiq; ægritudine laborat similes sunt omnino ijs vtrisque. Sunt.n. hæc tria intempestiua, & fructu carentia.

*cordi pessimo* רע rah, quæ vox desumptam habet significationem ex illo תרועם terohem cõfringes eos.i. Qui animo est effracto, & cõsternato. Est ergo bene morati ægro nequaquam iram ciere, nec molestum eidem cantionibus, verbisq; se præbere. ps.2.v.9.

## LEVI GHERSOMITES.

19 *dens putridus* Spes, qua quis amico perfido, fallaciq; fidit, persimilis est denti confracto, cum quis cibum mandit, vel pedi luxato, cum quis in itinere capitur, sperat.n. vir dentium opem adfuturã quando cibus sumendus, fiditq; pedibus, eum iter habendum erit; sed enim hæc viro nulli vsui esse poterunt, cum ita se habebunt. Non dissimili ratione nullum emolumentum quis capiet ex amico quando ærumnarum tempore nulla illius ope iuuabitur.

20 *& amittit pallium* מעדה בגד mahadeh beghed.i. vestis ornatus. Ornamentum igitur pallij parum conducet ad frigus arcendum, quando hyems vret; parum etiam iuuat acetum post nitrum ad vestium maculas eluendas. Vel etiam acetum nitro

su-

superfusum nihil confert ad sordes abstergendas, licet vero hæc singula singillatim maculatas vestes nitori restituant, quando simul cō miscentur, vis alterius ab altero abolctur, quod quidem sensuum experientia declarabitur. Non dissimili modo qui iucundas cātiones viro mærore deiecto cōcinit, qui nēpe dolori succūbens haud vires suas exerat ad hilaritatem animo excipiendam, corq; dilatandum, nihil prorsus cantilenis suis proficit. Illud etiam insinuant hęc. Quemadmodum qui per hyemem frigore corripitur, consuetis indumentis adiūgit splendidas, ornatasq; vestes, quarum quidem duplex est fructus, cum vt frigus arceant, tū vt ornamento sint; quemadmodum etiam quis postquam nitrum vesti maculatę imposuerit acetum deinde super infundit, ex quibus quidem duplex vtilitas capitur, tum vt prorsus aboleatur macula, tum etiam vt aceti odore vestes imbuantur, quo mucedo, situsue remoueatur, ita cum quis multas, uariasq; cantilenas animo mœrore obruto canit, id assequitur, vt secundis cantionibus dolorem prorsus ex animo euellat, eundemq; præterea voluptate cumulet: Hæc porro secunda explicatio, vt arbitror in primis est accomodata.

## Vers. XXI. XXII.

21 Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit da ei aquam bibere.

22 Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

## SALOM. ISAC.

21 *si esurierit* Hæc ad litteræ sonum intelligenda. Rabbini autē eadem de mali concupiscentia, & fomite exposuerunt. Si mali cogitatio famescet, teque ad eius cupiditatem criminibus explendam sollicitarit, ad gymnasij sedem te subducito, ibiq; eius fami sacrę legis panibus satisfacere curato, aquasque subministra, diuinæ nimirū legis; sunt .n. velut prunę, quas tu ex huiusmodi statione assumis, & hauris, vt in eiusdem caput congeras.

*congregabis* חותה chotheh, Vox hæc prunas, carbonesq; e foco desumi significat, iuxta illud, לחתות אש lei actoah ad accipiendum ignem de incendio. Esai. 30. v. 14.

*Dominus reddet tibi* ישלם לך iesalem lach. .i. Dominus te cum huius modi mali fomite componet, ne scilicet ab illo subigaris.

## A. ABEN EZRA.

21 *esurierit* רעב raheb.

*sitierit*

*sitiuerit* צמא tſameh ſunt præteriti voces.

*inimicus tuus* שנאך ſonaach. vox hæc vocali patach eſt inſignita propter litteram gutturalem.

22 *prunas etiam congregabis* Quando cibi, potuſq; recordabitur a te ſubminiſtrati, eum incendes, perinde ac ſi prunas eiuſdem capiti igeſſiſſes, quibus adureretur, cauebitq; ne tibi damna inferat.

*reddet tibi* Rependet tibi beneficientię tuæ fructum.

## LEVI GHERS.

21 *si esurierit* Ne te contineas, quominus hoſtis tui miſeratione tangaris, ſiq; eſurierit alimenta ſuppedites, ſiue ſitierit aquam propines, cum præclariſſima ſit conſuetudo, vt beneficio mortales vniuerſos, tum amicos, tum hoſtes proſequamur. Quodſi ægrum id animo tuo videatur pro male acceptis beneficia referre, illud omni dubitatione remota apud te conſtans ſit, te hoc ita conferendo beneficio, pręterquam quod animum tuum præclara morum inſtitutione exornas, ex eodem vltionem deſumere.

*prunas enim* Id .n. hoſti ita graue eſt, ac ſi carbones in eius caput congeſſiſſes, quibus combureretur ob incredibilem pudorem, quo perfunditur ob liberalitatem tuã, qua beneficia damnis compenſantem, es proſecutus.

*dominus reddet tibi* Beneficium beneficio compenſabit.

## Verſ. XXIII.

23 Ventus Aquilo *a* diſſipat pluuias, & facies triſtis *b* linguam detrahentem.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. concipit pluuiam. b Chal. ita lingua abſcondita.*

## SALOM. ISAC.

23 *disſipat* תחולל thecolel. Ventus aquilonaris gignit, paritque pluuiam.

*& facies triſtis linguam detrahentem* Lingua vero obloquendo aſſueta in cauſa eſt, vt præpotens Deus vultum iratum pręſeferat. In ea autem expoſitione ea eſt vis ſimilitudinis. Ventus aquilonaris ad pluuiam gignendam eſt effectus, quemadmodum lingua ad inflammandum.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

23 *dissipat* תחולל Vox hæc vsui est in priori parte versiculi, & in postrema, ideq. significat ac חלילה chalilah, idest, absit, significatq; vetũ pluuiã remouere, & arcere. Iuxta aliã explicandi rationẽ תחולל techolel coincidet cum significatione illorũ חולל איילות cholel aialoth, qui parere facis ceruas, & idẽ significat, quilla תכאיבו באבנים tachiuu baauanim item illa תחל הארץ vidit, & doluit terra. Is ergo erit sensus. Ventus aquilonaris dolorem, imbecillitatemq; pluuiæ infert, eamq; ita dispergit, & premit, vt prohibeatur, ne in terras defluat, cum nubes in varias plagas dispellat.

Iob. 39. v. 1. reg. 4. c. 3. v. 19. ps. 97. v. 4.

*linguam detrahentem* לשון סתר lescion sater linguam occulte detrahentem Eadem ratione facies irata debilitat linguam, quæ occulte fraudulentia proloquatur; vultus inquam iram præseferens huiusmodi linguam imbecillam, debilemq; reddet, itaut eandem a fraude arceat; Est ergo hęc institutio qua mónemur, ne aures linguę obloquenti prębeamus.

## LEVI GHERSOM.

23 *dissipat* תחולל techolel .i. gignit. Quemadmodum autem ventus aquilonaris pluuias gignit, & procreat in Ierosolymitana regione, in quam humores ex mari consurgentes adducit, cum mare Iudeæ sit occiduum, ita lingua occulta, quę alteri de amico fraudulenta narrabit, vultum iratum facit, & ira perfusum reddit. Monemur ergo hoc loco a nefario huiusmodi sermone abstinendum.

## Vers. XXVI.

supra. c. 21. v. 9.

24 Melius est sedere a in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & b in domo communi.

## VAR. LECT.

a *Chal. in angulo tecti. Syr. super cornua tecti.* b *Syr. in domo diuisionum.*

## SALOMON ISACIDES.

24 *melius est sedere* Hæc pertinent ad diuinitatem, quę a rebus se se auocet:

*muliere litigiosa* Hęc est Israelitica synagoga, quæ actiones suas culpate, impieq. gessit, Deumq. ad iram concitauit.

*domo communi* בית חבר beth chauer. domus sanctuarij, in qua idola arcæ diuinę adiuncta sunt.

Innuit opinionem, qua spiritum sanctũ rebus insidere autumant.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

24 *melius est sedere* Pręstat viro, vt absq; vlla societate super tecta domus sese contineat, quam cum litigiosa muliere, dissensionesque ferente, & ad iras assidue ciente moretur, licet huiusmodi domum colat, quæ multorum virorum societate referta sit.

## Vers. XXV.

25 Aqua frigida animæ * sitienti, & nuncius bonus de terra longinqua.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. anima lassa.*

## SALOMON ISACIDES.

25 *animæ sitienti* Aqua frigida eam vim habet, vt animum labore obrutum refocillet,

*& nuncius bonus* Nuncium autem bonum parem illi vim habet: vt constat de Iacobo, de quo illud vsurpatur. Cumque vidisset plaustra, Gen. 45. v. 27
& vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius.

## A. ABEN EZRA.

25 *Aqua frigida nuncius bonus* Similia sunt hæc duo ob vtilitatem, quam ex ijs corpus percipit. Æquum autem est, vt vnusquisq; fælicia faustaque nunciet, & ab infaustis narrandis abstineat.

## LEVI GHERSOM.

25 *Aqua frigida animæ sitienti* נפש עיפה nephes haiepha animus labore pressus, & lassus. Quemadmodum animus labori succumbens emolumentum, fructumq; singularem percipit ex aquis refrigeratis, quibus reuocetur ad corporis intimas partes calor vitalis, qui ab motum dispersus erat, ita singularem quis haurit vtilitatem ex iucundo boniq; nuncio, quod ei de consanguineis, amicisue allatum sit ex longe dissitis regionibus; id .n. animum reuocare videtur, quemadmodum ab aquis frigidis animus labore victus redditur.

## Vers. XXVI. XXVII.

26 * Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.

27 Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, *b* sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.

## VAR. LEC.

*a* *Chal. sicut qui obturat fontem, & corrumpit venam. b Chal. neque scrutari verba gloriosa.*

## SALOM. ISAC.

26 *fons turbatus* מעין נרפש mahaian nirphas Fons pedibus conturbatus.

*iustus cadens coram impio* Quando iustus impio cedit, eumque reprehendere veretur ob improbam viuendi rationem, id ita abominandum est, ac fons luto infectus, & vitiata scaturigo.

27 *sicut qui mel multum comedit* Qui mel plusquam oporteat comedit non recte agit. Insinuatur autem per ista, qui quadrigæ Ezechielis, & nascentis orbis primordia acutius rimatur, vt hęc in vulgus depromat; qui .n. in rerum ignoratione versantur, hæc sannis excipiunt, rogantque quid superne, quidue infra existat.

*qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria* חקר כבודם כבוד cheker cheuodam cauod. Scrutatio gloriæ eorum gloria. Quanam autem ratione consentaneum est, vt sapientum res inuestigemus, quorum quidem gloria sita est in scitis, & decretis suis? si nimirum rogemus quare ita statuerint; curue huiusmodi decreta, certis sanctionibus, & scitis muniuerint.

## A. ABEN EZRA.

Duo hi versiculi quoad explicationem inuicem pendent. Fons autē, & vena synonima sūt repetita, q.d. sicut fons, qui pede fuerit turbatus, velutq; aquarum scaturigo, quæ vitiata sit, ita est iustus, qui coram impio nutet, commoueaturue: hunc autem ideo fonti comparauit, quod eius os sit tanquam fons, a quo reprehensiones, institutionesue dimanent, quem ab impijs turbari, & vitiari sit nefas.

27 *comedit* אכול achol. Vox est imperantis ad hunc sensum Tu quidem melle vescere, sed si nimius sis in illius esu haud erit e re tua, cū consentaneus tantum illius cibus sit opportunus.

*qui scrutator est* Qui iustorum gloriæ inuestigandæ vacat gloriam reportabit. Quare ea vis est, iustorum sapientiam indagādam in qua eorum gloria, splendorq; consistat: idemq; est, ac mel comede opportunum, coincidūtq; ista cum illis, comede fili mi mel, quia bonum est, moxque subditur, sic & doctrina sapientiæ animę tuæ. Cap. 24. v. 14.

LEVI

## LEVI GHERS.

26 *fons turbatus* Fons a quo perenne aquę scaturiant, cænoq; fędatus sit,itaut scaturigo a qua luto infecti fontis aquę defluebāt,corrumpatur,comparatur iusto,qui coram impio sese inclinet,commotusq; cedat;huius .n. splendor,decusue ab impio aboletur,fædeque contaminatur, itaut cæteri ab amplectendis iusti institutis arceantur,quemadmodum quis ab epotanda fontis aqua ob luti sordes cohibetur.

27 *sicut qui mel multum comedit* Superuacaneus mellis esus non præstat .i. Sacrorum cognitioni plus ęquo immorari haud vtile est; ea .n. solum Sapientię pars arripienda, qua huiusmodi existere cognoscamus,nec nimium studium impendendum,vt inuestigemus, quid sint, quaue ratione huiusmodi sese habeant: neque .n. immoderata glorię horum inuestigatio gloriosa est; cum mens hominis integram,perfectamq; veritatem horum adipisci nequeat.

## Vers. XXVIII.

28 a Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. vrbs diruta.*

## A. ABEN EZRA.

28 *vrbs patens* פרוצה perutsah. Vrbs cuius muri direpti sunt. *absque murorum ambitu* Nec .n. mœnia ędificata sunt vbi diruta erant;itaut ad arbitrium quisq; prætergrediatur,exeatue.Huic ergo par est,qui repagulo careat,quo spiritus animi sui cohibeat, vt parcus verborum sermonem coerceat,cui quidē silentiū perutile esset.

## LEVI GHERS.

28 *vrbs patens* Vir, qui sibi pro arbitrio imperare nequeat subactæ vrbi similis est,mænibusq. expoliatæ,quibus aditus prędonibus solerti custodia prohibeatur Qui ergo volūtatis suæ fręna nō moderatur, plurimis calamitatibus est expositus, quod in cupiditatum suarum, volūtatisq. potestatē veniat; qui vero cupiditatibus suis imperat,muri vicem obit; prohibet .n. ne direptor sæuus ingrediatur animum ob turpes cupiditates.

# CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

## Verſ. I.

1 Quomodo nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria.

### SALOM. ISAC.

1 *in æſtate* קיץ bakkaits. Ea tempeſtate, qua ficus ſoli exponuntur, vt areſcant, vtq; maſſa ex ijſdem conficiatur, quod declarant illa, panis, & ficus vt comedant pueri.

æſtatis nomē ad ficus etiā ſignificationem alludit vtrumq. .n. voce קיץ Kaits appellatur. 2. reg. c. 16. v. 2.

### A. ABEN EZRA.

1 *quomodo nix* Qua ratione æſtiuo tempore nix importuna eſt: quemadmodum etiam pluuia meſſium tempeſtate haud ad rem facit; ita ſtultum gloria dedecet, nec .n. operæprecium eſt, vt hunc cæteri honore proſequantur.

### LEVI GHERS.

1 *quomodo nix* Quemadmodum ſi ningat per æſtatem intempeſtiuum eſt, vſitatoq; naturæ mori repugnare cenſetur: vt etiam pluuiæ meſſis tempore noxia eſt, nec opportuna, ita ſtultum gloria dedecet, cum iuxta ſolemnem conſuetudinem haud is honore ſit afficiendus, idq; quam maxime cæteris noceat, cum ideo imperita multitudo in eam opinionem adducatur, ſapientem ſtulto non præſtare.

## Verſ. II. III. IV. V.

2 ᵃ Sicut auis ad aliā traſuolans, & paſſer quolibet vadens: ᵇ ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet.

3 Flagellum equo, & ᶜ camus aſino, & ᵈ virga in dorſo imprudentium.

4 Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.

5 ᵉ Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.

VAR.

## VAR. LEC.

*a Chal. Sicut passer qui volat, & sicut volucris volãs. Syr. Sicut passer, & animal alatũ volant in aere. b Chal. Sic maledictio gratis prolata non veniet. Syr. Sic maledictio errat, & vagatur. c Syr. stimulus. d Chal. virga corporibus stultorum. e Chal. Sed loquere cum stulto in sapientia tua. Syr. alloquere stultum iuxta sapientiam tuam.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *Sicut auis* Sicut passer volat:

*& passer* דרור deror. Sicut hirundo, quæ nidum repetit, sic imprecatio absq. vlla causa, in eum recidet, a quo prolata fuerit. דרור deror autem hirundinẽ significat, hancq. appellationem a דרה derah .i. habitando sortitur, quod ita domi, vt ruri versetur.

3 *flagellum equo* Equo flagellum cõuenit, pariterq. virga stulti dorso est consentanea, impioq. verbera, castigationesq. sunt in prõptu.

4 *ne respondeas stulto* Ne cum stulto contentioso sermone agas, ne ei similis, parq. fias.

5 *responde stulto* Tunc vero stulto respõde, quãdo accedet, vt te ad impurum idolorum cultum abducat, eũdemq. stultitiæ suæ cõscium facito. Rationes autem horum duorum versiculorum in ijsdem clare patent, hoc est, ne respondeas stulto quoad illa, quibus si respõsum præbeas eidem par iudicaberis: stulto pariter respondeto quoad illa, quibus si non occurreres sibi ipsi sapiens videretur.

## A. ABEN EZRA.

Quatuor hi versiculi simul coniungendi.

2 *sicut auis ad alia transuolans* כצפור לנוד כדרור לעוף catsippor lanud, chedderor lahuph. sicut passer ad vagandum, & hirundo ad volandum Rationes autẽ, quas maiores ad nomina auium, & belluarum explananda attulerunt sunt tanquam somnia, quæ carent expositione. Fit autem mẽtio passeris, & hirundinis, quod cum in ædibus cum viris commorentur, festinanter hinc, & inde transuolare cogantur propter eos, qui tum pertranseunt, tum etiam commorãtur. Non dispari modo infelices preces gratis prolatæ cito recident in eum, in stultum nimirũ a quo conceptæ fuerant: quod testantur illa ne respondeas stulto &c.

*in quempiam* לא lo. Hæc particula ideo cum Aleph scribitur, vt insinuetur, imprecationem illam in eum deuolutam iri, a quo prolata fuerit, non autem in illum, quem alter diris deuouerat.

3 *fla-*

3 *flagellum, camus, virga* Nota sunt hæc tria, ideoq; commemorantur, vt intelligamus tria illa verberibus excipienda.

4 *ne respondeas stulto* Quando te maledictione insecutus fuerit.

*ne efficiaris ei similis* מִן תִּשׁוּה Ne forte eidem æqualis, quod idē est, ac similis fias.

5 *responde stulto* Verum stulto composito sermone, sapienterq. responde, vt eiusdem dementiæ obuiam eas, huncque stultitiæ suæ certiorem redde, ne sibi sapiens videatur.

## LEVI GHERSOM.

2 *sicut auis* כַּצִּפּוֹר catsippor .i. sicut passer:

*& passer* כַּדְּרוֹר cadderor sicut hirundo Sicut passer facile e sua sede transuolat: sicut etiam hirundo in domum remigrat, a qua prodierat, ita maledictio sine causa prolata haud illum afficiet, qui ea petitus fuerat, pariterq. ab eodē ita facile depelletur, eumq. repetet a cuius ore prodierit, quemadmodum hirundo in ædem redit, a qua auolarat.

3 *flagellum equo* Iumentis stulti comparantur, quę cum ratione careant ab homine verberibus instituenda sunt; equum enim pro arbitrio moderabitur vir, quando flagello instructus erit, quo illum verberet: asinum etiam idem diriget, quando camo coercebit, vt asinorum mos est: stultum pariter vt placebit vir instituet, quando virgarum operam adhibebit, itaut institutionem admittat.

4 *ne respondeas stulto* Quando stultus te rei cuiuspiam insimulabit ob dementiam, qua laborat, ne quidquam respondeas, cum te aures prębere dedeceat eius limphatis sermonibus.

*ne efficiaris ei similis* Si eius verba ęstimes, itaut ab illis te moueri turbariue patiaris dementiæ id erit tuæ.

5 *responde stulto* Stulto responde, vt illum ab errore reuoces, quo in sapientię rebus laborat:

*ne sibi sapiens esse videatur* Quando huiusmodi errore captus a vero alienam opinionem animo fouebit, haud tibi silentio vtendum est, cum operæprecium sit, vt offendicula a mortalium conspectu amoueas præ uiribus.

### Vers. VI.

6 Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium stultum.

### VAR. LEC.

a *Chal. qui currit pedibus suis bibens iniquitatem, sic est*

*qui*

*qui mittit verba per manum stulti. Syr. de sub pedibus suis bibit iniquitatem qui mittit.*

## SALOM. ISAC.

6 *claudus pedibus* Qui stulti opera in legationibus vtitur multorum pedes præcidit, quos denuo remittere debeat, vt rem a priore legato male gestã reparet: idem vero iniquitatem bibit, quod eidem amici irascantur ob stulti legationem.

## A. ABEN EZRA.

6 *claudus pedibus* מקצה mekatseh idem ac קוצץ Kotsets, quemadmodum מחצה & מגה sogheg, & masghe, hoc est, amputat pedes suos, & bibit iniquitatẽ; nefarie .n. cum eodem stultus se geret. Aliter etiam hæc lubet exponere, vocem מקצה meKatseh deduci ab illis postquam eruti sunt lapides & puluis erasus הקצו qui est limus lapidibus supne inhærens. Vox vero מקצה mekatseh significabit elongat pedes suos ad longinquas partes, vel limum, neque pergit ad ea peragenda, quę opus erant. Leuit.14.v.43

*iniquitatem bibens* Ex piaculo bibit, quo se obstrinxit mittendo stulto ad negotia sua, quę male succedent.

## LEVI GHERSOM.

6 *claudus pedibus* מקצה רגלים .i. pedes pręcidit Qui stulti opera mittit verba, ei pedes præcidit, qui libenter iter fuisset habiturus, itaut destituatur necessarijs facultatibus ad iter peragendum: ita stultus ijs caret opportunis rebus, quibus in locum ad quem mittitur pręscripta transmittat, nec ea peritia pollet, qua rerum ordinem, & seriem sibi præscriptam, & tanquam in ore positam conseruare possit. Idem vero iniquitatem bibit propter ea, quę a stulto referuntur, quod quidem duplici ratione contingit, tum quidem quod stultus sermones non renunciet quemadmodum iussus fuerat, ex quo fiet, vt mittenti grata non respondeantur, ijsq; consentientia, quę proposita fuerant, ideoq; iniquum se prębebit ei, ad quem legatio destinata est, licet crimine, culpaq; careat; id .n. a legati dementia effectum fuit: tum quod stultus sermones non referat vt iussus fuerat a responsum dante, ideo fiet vt negotia implicita sint difficultatibus, consentaneaq; gratia destituantur.

## Vers. VII. VIII. IX. X.

7 Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias:

sic

ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.

8 Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.

9 *c* Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum.

10 *d* Iudicium determinat cauſas: & qui imponit ſtulto ſilentium iras mitigat.

## VAR. LECT.

*a Chal. ſi dederis ambulationem claudo ſuſcipies verbum ab ore ſtulti. b Chal. ſicut fragmentum lamina in funda. Syr. Sicut lapis in funda, ſic qui laudat ſtultum. c Chal. ſpina aſcendit in manu ebrij, & ſtultitia in ore ſtulti. d Chal. multum dolet caro ſtulti, & ebrius tranſit mare. Syr. multum patitur caro ſtulti.*

## SALOMON ISACIDES.

Eſai.38.v.14. 7 *pulchras fruſtra habet claudus tibias* דליו שקים מפסח daliu ſoKain mippiſſeah .i. eleuata ſunt claudo crura, & inæqualia, ad mentem illorum דלו עיני eleuati ſunt oculi mei, hoc eſt crura cuiuslibet viri claudo ſuis altiora videntur. Quod quidem prouerbij loco ſemper in ore ſtulti verſatur, id de ſapientiæ acquiſitione vſurpantis, quomodo ad ſapientiam comparandam accedemus, quæ difficilior, ſublimiorq; ſit, quam vt a me obtineri queat? annon tritum eſt prouerbium; inæqualia, & altiora claudo crura videri.

8 *mittit lapidem in aceruum Mercurij* במרגמה be marghemah .i. in funda. Quemadmodum lapis haud ideo funda concluditur, vt in ea aſſeruetur, ſed ex ea proijciatur; ita cum honorem ſtultum deferimus, haud is diutius permanet. Rabbini autem eum qui legis doctrina imbuat diſcipulum ineptum, & ad id haud accomodatum, hunc ſimilem eſſe lapidem in Mercurium iacienti affirmant.

9 *quomodo ſi ſpina naſcatur in manu* Quemadmodum temulenti manui ſpinę adhærent, ita prouerbium ſubſequens, in ſtultorum ore altius defigitur, vt ijs tanquam ſpina tribuluſq. dolorem inferat: quod nam autem eſt huiuſmodi prouerbium? ſubſequens nimirum.

10 *iudicium determinat cauſas* רב מחולל כל rau mecholel col Præpotens Deus vniuerſa procreauit, vniuerſaq. iudicat tam ſtultum, quã ſapientem: haud ergo opus eſt vt ſapientiæ operam nauemus.

*impo-*

*imponit stulto silentium* שוכר כסיל socher chesil, mercedem dat stulto. Qui ergo mercedem stultis prębet non est vt rex corporis sanguinisq; concretione constans, qui solum exercitatos præmijs prosequitur, ijsq; solum mercedem tribuit, qui in arte laborent: Deus ergo rerum omnium effector est, mercedemq; stultis præbet.

*iras mitigat* שוכרע:ברים socher houerim. Deus etiam peregrinis qui inutiles terant vias, & ab omni opere desides se abstineant, mercedem impendet. Verum medras agada vocem שכר socher, desumit ex illis ויסכרו vaijsacheru, clausiq; sunt fontes abysi, tum etiam ab ijs עושה שכר .i. qui operabuntur lina. Deus nimirum stulto claudit astra quæ per solis tempora inseruiant, a Septembri nimirum vsque Esai.19.v.9. ad posterum: concludit etiam eos, qui maritimum iter habent, ne illud vsque ad Paschatis tempus enauigent. Apud Rabbi Mosem illud reperij explicatum; רב מחולל כל .i. diuiti plurima sunt, ob quæ alios laborare curet, quodsi dementi mercedem persoluat laboris sui pręmium conferre videtur prætereuntibus, qui artis vitium animaduertant, vt ostendant quomodo recte elaborādum sit, quaue ratione opus sit conficiendum: sed .n. hoc nihil ad rem facit, atq; ab hoc loco prorsus est alienum.

## A. ABEN EZRA.

7 *quomodo pulchras frustra habet* דליו daliu Vox hæc desumitur ex illis, כי דליתני chi dalithani, quod significat exaltasti me: desideraturq; ps.30.v.2. ה He articula admirantis, ad hunc sensum. An eleuabunt, extollentq; claudi crura, cum is pedibus careat? q.d. prouerbium absque intelligentia est tanquam corpus pedibus carens. Non inepta etiam est alia explicatio דליו daliu idem esse ac דללו dalalu .i. attenuarunt, autem daliu esse instar aleph in voce בזאו bazau, isque erit sensus, velut attenuata sunt crura claudi pedibus destituti, ita tenuis, imbecillaq; est parabola absq; intelligentia.

8 *Sicut qui mittit* כצרור אבן במרגמה chitsror euen bemarghemah sicut lapidis inclusio in purpura Qui honorem stulto defert facit vt Esai.12.v.2. de lapide vulgari est sermo. qui purpuræ includit lapidem, qui quidem nullo in precio sit habendus, cum ad splendorem, & honorificentiam nō sit efformatus.

*in aceruum Mercurij* במרגמה bemarghemah, Ea est res preciosa, & honorifica, synonimaque habet ארגמן argaman .i. purpuram, & itemq; רגמתם righmatham .i. splendorem, gloriamq; eorum. Hæc ps.68.v.28. ergo ita expone Qua ratione se gerit qui lapidem abiectum purpura inuoluit, ita qui stulto honorem defert; qui .n. includit honorem impendenti; lapis vero stulto, purpura honori respondet.

9 *quomodo si spina nascatur* Quemadmodum ad manus ebrij spina deuenit, qua cæteris dolorem infligat, ita pariter est parabola ex

stulti ore Parabola ergo in stulti ore spinæ comparatur dolore excrucianti cæteros, cum is prouerbiales sententias vsurpet, quas idem vecors non intelligat.

10. *iudicium determinat causas* רב מחולל כל rau mecholel col. רב rau vero deducitur ex illis רבי המלך optimates regis. Ea ergo erit vis, optimatem, magnatemq; inter populum, omnes coercere, vniuersisq; imperare, stultoq; mercedem pendere, quem seruire cogat, ab eodemq; pœnas rebellibus infligi, nam עברים ouerim rebelles significat, iuxta illud quare tu es contumax. Lubet etiam aliam deferre expositionem, hunc nempe versiculum cum superiori connectendum, voce autem רב rau significari multitudinem, & copiam, iuxta illud רב לכם rau lachem, itaut is sensus emergat; stultus qui multus est in parabolis vulnerat vniuersos tanquam spina in ebrij manu: qui vero mercedem tum stulto, tum peruicati persoluit, legem infringit; nec .n. postea facultas erit qua ijdem coerceantur, inuitiq; cogantur ad silentium, ad quod faciunt illa trangressi sunt, & pœnis afficientur.

Ierem.41.v.1

hic c.22.v.3.

## LEVI GHERSOM.

7 *pulchras habet claudus tibias* דליו daliû .i. altiora sunt claudi crura, cum alterum altero sit longius, ex quo efficitur, vt is recte incedere nequeat: idemq; est negotium de parabola, quam stultus ore versat, nec .n. consentit cum ijs, quæ ab eodem insinuantur propterea quod in illa memoranda aliquid vel addat, vel detrahat.

8 *Sicut qui mittit lapidem* כצרור Sicut vinculum cui insit lapis preciosus cum lapidibus fundæ, cui haud margarita ad ponenda est, ita haud stulto honor est tribuendus .i. sapiētia, qua ille sit prorsus indignus sapientia vero honoris appellatione habet, quod in ea mortaliū decus, splendorq; consistat; vt ideo dicatur, gloriam sapientes possidebunt.

hic c.3.v.35.

9 *quomodo si spina* Quemadmodum spina in ebrij manus deuenit, a qua lædatur, eaq; excipere negligat, quæ vtilia futura erant, vel saltem quæ nullum damnum essent allatura; ita se res habet in prouerbio, quod a stulto vsurpetur, is .n. ex vniuersis rationibus, quibus illud intelligi potest eas tantum, quæ noxiæ futuræ sint in medium profert.

10 *iudicium* רב מחולל rau mecholel. Quilibet princeps, qui in iurgijs, dissensioneque versetur omnes morti præbet, perditque: idem vero stultos, nefariosq; beneficijs cumulat, vt eos sibi adiungat. Hic etiā alter sensus esse potest. Sæpe reperitur, qui vniuersum mortaliū genus molestia, doloreq; afficiat, idem tamen benefacit stultis, criminosisq; quos aptos arbitretur, vt socios habeat. Et denique hęc aliam admittant explicationem. Princeps qui vniuersos terrore percellit, debili-

debilitatque ob insignia damna, quibus afficiuntur stulti videbitur: perditi vero, qui mercedem reportant ab eodem ob incredibilem voluptatem, quam ex aliorum calamitate, exitioq; percipiunt, haud animaduertunt, se etiam ita lædi, calamitateq; premi; quo quidem eorum vecordia, morumq; improbitas plane declaratur.

## Vers. XI. XII.

11 Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui [a] iterat stultitiam suam.

12 Vidisti hominem sapientem sibi videri: [b] magis illo spem habebit insipiens.

## VAR. LEC.

*a Syr. qui contemnit. b Chal. melior est illo stultus.*

## A. ABEN EZRA.

11 *Sicut canis* Postquam canis cibum euomuerit, eundem subinde resumit: ita stultus altera vice dementem se præbet in sua vecordi actione, nec ullo pudore suffunditur.

12 *vidisti hominem sapientem sibi videri* An contemplatus es virum qui ex oculorum iudicio sibi sapere uideatur? inertem nimirum, quiq; desidia torpescat: his autem consentiunt illa, sapientior sibi uidetur piger septem &c. his v. 16

*magis illo spem habebit insipiens* Sperandum est hunc sibi sapientem inerti dementiorem futurum. Vel etiam ita exponito Sperat tamē stultus futurū, ut magis sibi eueniant, quæ a Deo expectat, quā inerti.

## LEVI GHERS.

11 *Sicut canis* Quemadmodum canis ad id comedendum regreditur, quod iam euomuerat, nec animaduertit hoc sibi noxium fuisse, ita pariter se res habet in stulto, qui dementiam suam renouat, postquam perspectum habet ab ea ante calamitatem sibi procreatam fuisse.

12 *vidisti hominem* An virum animaduertisti, qui licet sapientiæ vere sit expers, se tamen sapientem arbitretur? maior spes relinquitur de stulto, quam de illo, futurum nimirum ut is sapientiæ possessione fruatur, qui .n. sibi sapiens uidetur, ea sapientiæ parte contentus est, quam ut arbitratur, adeptus est, nec amplius in illa comparāda laborat: stultus uero, qui sibi sapere non uidetur, imbecillitatis suę conscius summum studium in sapientia adipiscenda collocat,

## Verſ. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.

22 Dicit piger[a] : leo eſt in via, & [b] leæna in itineribus.

24 Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger [c] in lectulo ſuo.

15 Abſcondit piger manum [d] ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eam conuerterit.

25 Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententiam.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. piger quando mittitur. b Chal. leo in plateis. c Syr. in lectulo ſuo volutatur. d Syr. in ſinu ſuo. d Chal. ſeptem reddentibus rationem. Syr. Ignauus qui ſibi ſapiens videtur melior eſt ſeptem rationem reddentibus.*

## SALOMON ISACIDES.

15 *manum ſub aſcella ſua* בצלחת batſallachath .i. In lebetem Ponit piger manum ſuam in lebetem calidum ad frigus arcendum.

16 *loquentibus ſententiam* .i. ſapientibus.

## A. ABEN EZRA.

13 *Dicit piger: leo eſt in via* Cauſatur deſes, mæretq; ne progrediẽdum ſit ad laborandum in aliqua arte: Hæc ergo, quę a pigro pręſtantur, commemorat, ne ei ſimilis quiſpiam euadat.

14 *ſicut oſtium* הדלת haddaleth. Tau pertinet ad radicem huius nominis, vt קשת Keſeth: ſed etiam ת tau vicem ה he obire affirmare poteris.

*Vertitur* Verbum hoc vſui eſt cum in priori, tum in poſtrema huius verſiculi parte.

*in cardine* צירה tſiraha Vox hęc eſt ex caldaica paraphraſi תרתין צירין .i. duo cardines: Vniuerſa uero hęc ita explicãda ſunt. Oſtium aſſidue in cardine uoluitur, tum cum clauditur, tum cum aperitur; non diſſimili ratione piger in lectulo modo in hoc, modo in aliud latus uolutatur, nec ad ea comparanda conſurgit, quibus uitam ſuſtentet, ideoq; deinde ſubditur.

alias vide explicationes 19. v. 26.

*abſcondit* Aliter etiam hęc exponito. Cardo uertitur, eo quod patefacte

factæ sint fores, vt quisq; ad opus suũ progrediatur, sed tamen deses adhuc in lecto deliciatur.

15 *& laborat si ad os suum eam conuerterit* Fatigatur cum diligẽter perscrutatus fuerit, vt manum ad os adducat; verum rerum omniũ copia destituitur. Necesse est ergo viro solerti, vt ea, quibus vitam sustentet, diligenter paret.

16 *sapientior sibi piger videtur septem* Non immerito septem illos esse affirmabis, qui regio conspectui adsistant.

*loquentibus sententias* Quiq; postquam interrogati fuerint a rege scite respondeãt. Haud ergo desidis huius mores sunt arripiendi.

## LEVI GHERSOM.

13 *dicit piger* Deses ob inertiam, qua torpet e domo sua egredi negat ad aliquid peragendum, neque studio rerum vacat; quod si quandoque e domo progredi cogatur, obuiũ sibi habere videtur truculentũ leonem in ea via, quam sit initurus, & leænam in plateis, a qua discerpatur, ideoq; a foribus ædis suę sese abstrahere negat.

14 *Sicut ostium vertitur in cardine suo* Quemadmodum ostium semper in cardine suo voluitur, nec vnquam ab eo auellitur, ita iners nimius est somni amator, cum inertia somnum conciliet.

15 *& laborat si ad os suum eam conuerterit* Inquit aũt hyperbolicos ita inertia sopitum desidem, vt nec ori manum admoueat ad cibum capiendũ, perinde ac si manũ abscondisset in urnula, eamq; inde abstrahere nequiret: Hęc autẽ eo recidunt, ut declarent, ob insignem desidiam nec manuum quidem opera ad alimẽta necessaria uti uelle.

16 *Sapientior sibi piger videtur septem viris* Deses maiori sibi sapiẽtia pollere uidetur, quam multi sapientia exculti, qui cuilibet roganti cuiuslibet rationem redderent.

## Vers. XVII. XVIII. XIX.

17 Sicut qui apprehendit auribus canem, [a] sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.

18 [b] Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.

19 Ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus dicit. [c] Ludens feci.

VAR.

## VAR. LECT.

*a Chal. sic est ille qui contendit, & rixatur in causa, quæ non est sua. b Chal. Sicut ille qui deijciens se, emittit sagittas acutas mortis: Syr. Sicut fastuosi proijciunt verba velut sagittas acutas mortiferas. c Chal. ludens ludebam.*

## SALOM. ISAC.

17 *qui transit impatiens* Qui transit, ut ob alienam litem succenseat, similis est ei, qui canis aurem prehendens se absque ulla causa ab eodem morderi curat.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha .i. Sicut qui laborat scintillis ignis excutiendis.

*mittit sagittas* היורה זקים haiorch zikkim .i. qui scintillas ignis elicit emittitue, ad mentem illorum, & in scintillis, quas succendistis, quę oĩa vim habent illorum ignis fulgor, ac scintillæ Aliter etiam זיקים ziKKim exponitur habet enim fundæ significationem, coinciditq; cum illis lapides fundæ impositi זיקא ziKta autem non dissimilis uox in Talmud usurpatur. Vt etiam quis sagittas, mortemq; proijcit, ita se gerit uir fraudulentus, amicum a uitæ ad mortis uiam seducens. Isaie.50.v.11

*& cum fuerit deprehensus* Cum autem quis alterum supplantare animaduerterit, tum is se iocari affirmabit.

## A. ABEN EZRA.

17 *Sicut qui apprehendit* מחזיק machazik, desideratur Caph uox cōparationis Qui auriculas canis apprehendit, a quo se continere deberet, similis uidetur ei, qui excandescit ob litem alienam.

*miscetur rixæ* מת עבר mith habber .i. Qui ira inflammatur in lite, & dissensione. Ira uero עברה heura appellatur, quasi excessus, quod rationis modos excedat.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha .i. sicut qui se insanum facit, & simulat, non dissimili forma ab illis ותלה ארץ מצרים uateleh crets mitsraim .i. dementata fuit terra AEgypti q.d. consiliū eorum irritum fuit. Ea ergo uidetur horum mens sicut qui se mente captum fingit scintillas ignis emittit, sagittas, telaq; lethalia proijcit. Gen.47.v.13.

*Ludens feci* משחק mesacheK .i. alios deridet.

*ita vir* Ita quis fraudulenter imponit amico, socio conquerenti ait

te

te ego delusi: tibi ego imposui. Sed enim huiusmodi mores detestandi.

## LEVI GHERSOM.

17 *sicut qui apprehendit* Qui sese ingerit, iraq; percellitur ob litem, quæ nihil sua intersit, similis uidetur ei, qui cibum a cane deposcat, ideoq; eiusdem aures prehendat, qui quidem ita uidetur optare, ut ab eo morsu corripiatur.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha Sicut quispiam se labore fessú uiriumq; expertẽ ad malũ præstandũ præfefert, qui cum postea locum accomodatum inuenerit scintillas igneas emittit, sagittas, ac mortẽ iacit: huic autem consentiunt illa. Contritum, humilemque se ostendet, & cadet cum fortibus eius congregatio pauperum. ps.heb. 10. v. 10.

*ita vir qui fraudulenter* Ita attendenti constabit, qui alteri fraudulenter imponit, id præstitisse ob ludibrium, atq; subsannandi gratia.

## Vers. XX. XXI. XXII.

20 Cum defecerint ligna extinguetur ignis: & susurrone substracto iurgia conquiescent.

21 Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas.

22 Verba susurronis [a] quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad [b] intima ventris.

## VAR. LEC.

a *Chal. conterunt eum. Syr. verba iracundi perturbant.* b *Syr. ad interiora cordis.*

## SALOM. ISAC.

20 *cum defecerint ligna* Hæc duo inter se conueniunt, quoniam ut remotis lignis extinguitur ignis, ita amoto susurrone, qui lingua profana liti vacantes inter se misceat, cessabit disceptatio.

21 *sicut carbones ad prunas.* Velut carbones igniti prunis fere emortuis exsuscitandis, & ligna igni succendendo sunt accommodata .i. vir litigiosus serendæ liti, & contentioni est, opportunus.

22 *quasi simplicia* כמתלהמים chemithlahamim. Vox hæc idem est, ac מתלהמים mithlachamim .i. susurronis verba sunt tanquam bellum gerentia. Rabbini vero hanc eidem interpretationem adhibuerunt,

in

inquiuntq; idem esse, ac כמתלהמים chemith lahem .i. verba delatoris sunt eis tanquam mors.

*ad intima ventris* Hæc est mors ex hydropisis morbo.

## A. ABEN EZRA.

20 *cum defecerint ligna* באפס beephes .i. quando non aderunt ligna.

*iurgia conquiescent* ישתק ijstok A paraphraste autem vox maharis מחריש vertitur שתיק satiK .i. silentio vtens, q.d. silebit iurgator.

21 *sicut carbones* פחם pechem. vox hæc desumitur ex illis pluet

ps. 11. v. 7. super peccatores פחים pachim .i. laqueos, vbi duo hæ voces פחם pechem, & pachim פחים synonima sunt omnino: פחם pachim autem est exigendum ad normam שמיר samir, vt mem sit radicale. Hic ergo versiculus a superiori prorsus est diuersus.

ps. 37. v. 1. *suscitat rixas* לחרחר lecharchar .i. ad litibus sese immiscendum Deducitur vero ex illis אל תתחר al tithchar .i. ne miscearis malignis.

Iud. 5. v. 26. 22 *verba susurronis quasi simplicia* כמתלהמים chemithlahamim vox hæc transpositis litteris deducitur ab illis, הלמה halemah percussitq;

Iud. 5. v. 26. Sissaram, & est verbum actiuum; ad normam illius התגלחו hitgalechu .i. postquam rasus fuerit Hazarius. Ita igitur expones; verba

num. 6 v. 19. susurronis sunt tanquam plagæ, & vulnera.

*susurronis* נרגן nigan Est fraudulentus, ad mentem illorum venite, & percutiamus eum lingua .i. sermonibus.

Ierem. 18. v. 18. *ad intima ventris* Hæc cor, mentemque insinuant.

## LEVI GHERSOM.

20 *cum defecerint ligna* Quemadmodum remota esca lignorum ignis extinguitur, ita amandato susurrone, iurgia, dissidiaque ferente, silentium imponitur liti.

21 *Sicut carbones ad prunas* Quemadmodum e carbone prouenifit prunæ, quibus comburantur, aboleanturq; vniuersa propinqua: vt etiam ex lignis excitatur ignis, quo res vicinæ absumantur, ita ex seditioso, contentiosoq; viro dissidia inter mortales disseminari solent, ob quæ ruant, penitusq; e medio tollantur.

22 *verba susurronis quasi simplicia* .i. quasi interrupta sunt susurronis verba; hic .n. mos est dementium, quiq; aliorum negotijs sese inmiscent, vt eam sui speciem præseferant, perinde ac si interrupto sermone vterentur, illud .n. sæpius vsurpant, haud tibi cuncta recensebo; haud totam rei seriem tibi expono, quę quidem vehementem faciunt impresfionem in auditoris animo, huiusmodiq; verba in penetralia mentis audientis descendunt ad hanc ferme rationem, vt is sibi persuadeat, quę ab altero silentio prętermissa sunt, longe grauiora esse ijs, quę narrata fuerint. Ver.

## Verſ. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

23 a Quomodo ſi argento ſolido ornare velis vas
fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde
ſociata.
24 Labijs ſuis intelligitur inimicus, b cum in corde
tractauerit dolos.
25 c Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris
ei: quoniam ſeptem d nequitiæ ſunt in corde
illius.
26 Qui operit odium e fraudulenter, reuelabitur
malitia eius in concilio.
27 Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit
lapidem, reuertetur ad eum.

## VAR. LEC.

*a Chal. ſicut argentum faculētum; quo opertum eſt vas fictile, ſic labia incenſa, & cor peſſimum. b Chal. & in interioribus reponit fraudulentiam. c Chal. ſi deprecatus fuerit voce ſua. d Chal. mala. e Chal. in contritione. Syr. in corde ſuo.*

## SALOM. ISAC.

23 *quomodo ſi argento ſolido* כסף סיגים מצפה cheſeph ſighim metſuppeh, ideſt argentum ſcoriarum obductum vaſi fictili. Quemadmodum argenti ſcoriæ telluri admixtæ, quando illud expurgatur ita prorſus collucent, ac ſplendent, ac ſi purum argentum eſſent, licet nullo ſint vſui, ita non diſſimilia sūt labia exardētia, & cor iniquum; nam his mortales ſectantur, vt eos ſermonis lenocinijs decipiant, aliud quidem ore promentes, aliud animo fouentes.

*cum peſſimo corde* Ij ſe amicos præſeferunt, licet reipſa ſint hoſtes infenſiſſimi.

*labia tumentia* דולקים doleKim .i. maledica, quęq; alios conſectantur, nam vox hæc coincidit cum illis quia perſecutus es me. Gen. 31. v. 36

24 *labijs ſuis intelligitur inimicus* ינכר שונא iinnacher ſone .i. hoſtē ſe ſermone diſſimulat, ne infenſo eſſe animo cognoſcatur. ינכר iinacher autem diſsimulare, ſeu negare ſignificat.

26 *operit odium fraudulenter* במשאון bemassaon .i. in obscuritate: Qui res suas agit in tenebris, & occultat Deo inuisa in tenebrarũ caligine, nam משאון massaon tenebricosam uastitatem significat, huius ad extremum flagitia reuelabuntur in publico conuentu, in quo hunc flagitiosum esse intelligent.

27 *qui fodit foueam* Vt de Balahamo constat, qui BalaKo persuasit ut curaret, Israelitas piaculo se obstringere, quo consilio uiginti quattuor mille Israelitæ interempti sunt, hic ergo cũ ad Medianitas cõfugisset ad mercedem reportandam ob Israelitas, trucidatus fuit.

*qui voluit lapidem* Is deniq; est exitus insidias alteri struentis, ut in ijsdem capiatur.

*voluit* Qui lapidem a loco aliquo ad alterum reuoluit, ut cæteri offendant, impingantque. Agadah autem hæc exponit de Abimelech, qui septuaginta fratres interfecerit super lapidem vnum, qui

Iud.c.9.v.53. deniq; lapidis ictu interemptus fuerit, iuxta illud, & ecce una mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.

## A. ABEN EZRA.

Quinque hic uersiculi mutuo connectuntur.

23 *argento solido* כסף סיגים chesseph sighim .i. argentum scoriariũ nam argenti uox cum sighim .i. scorijs construitur. q. d. argentum scorijs carens.

*labia tumentia* דולקים .i. ardentia, deducitur .n. a דלקת dalaKtha .i. cõbustisti: argenti porrò fit mentio, quod exardescens flamma argento fit similis: testæ autem comparatur cogitatio, qua alium odio prosequimur. Quare hæc ita expones similia sunt argento scorijs repurgato, testæque obducto labia exardescentia, & succendentia; ut .n. argentum plane cognoscitur cum uasi fictili inductum est, ita qui alios inuisos habet, sermone, labijsq; inflammatis se cognoscendum prodit.

24 *cum in corde* בקרבו ישית מרמה: ubkirbo iasith mirmah, & in præcordijs suis dolũ collocabit: hoc est in cordis sui penetralibus fraudem reponet, qua amicum se circumuenturum machinatur.

25 *quando submiserit vocem* כי יחנן קולו chi iechanen Kolò quando uocem suam blandam, gratamq; reddiderit .i. quando te hostis blãdo, benignoq; sermone alloquetur, ne fidem adhibeas; fouet .n. cor de septem illa, quæ Deus in primis detestatur, ut eadem præstet, ea inquam septem, quæ recensentur in uers. sex odit Deus &c.

prou.c. 6. v. 16. 26 *qui operit odium* תכסה techasseh .i. teget sese odium in hostis animo.

*fraudulenter* במשאון bemassaon .i. ad exitium suum, quo mulctabitur, odium, maleuolentiamq; suam occultat, tunc .n. in eundem statuta

tuta pœna patefiet in medio concilij, nempe in propatulo, & publico consessu.

27 *qui fodit foueam* Exempla huius sunt, tum qui foueam struat in quam mox corruat, tum qui uoluit, rotatq; lapidem, quo alium percutiat, qui quidem in rotantem recidat; Deus .n. illius opera, a quo plagas reportabit, pœnam ab huiusmodi reposcet. Hanc etiam libet adducere expositionem.

*qui voluit lapidem* גולל golel Vox hæc eandem uim habent, quam גללו את האבן galelu eth haeuen, & reuoluerũt lapidem q.d. quemadmodum quis in gyrum ingens saxum uoluit, in eũdem locum idem uoluitur, ita qui malũ socio suo molitur, eidem ob noxius erit; illud .n. in auctoris caput reuoluetur. Gen.c.29. v.3.

## LEVI GHERS.

23 *quo modo si argento solido* Quemadmodum argentum cum suis scorijs si testæ obducatur, ob speciem quam sui præbet, optimi argenti loco ducitur, licet haud ita sit, quod autem sub eodem latet res est in primis abiecta, ita se res habet in labijs, quibus licet quispiã alteri' amicitiã, societatẽue appetere uideatur, malũ tñ machinãtur.

*tumentia* דולקים doleKim idem ac רודפים rodephim .i. quæ sectantur, ex uerbis enim amicus hic ęstimabitur, præcordia tamen ea fouẽt, quę nullum afferant emolumentum: Verba etiam huius argenti similia uidebuntur, licet reipsa sint argentum scorijs concretum. quod argenti speciem prębet, licet haud ita sit.

24 *labijs suis intelligitur* ינכר ijnnacher .i. dissimulabit Maleuolus ergo id labijs suis pręstat, ne maleuolentia, qua laborat agnoscatur: at enim animo uersat fraudem, qua hostem suum in casses pelliciat.

25 *quando submiserit vocem* Quando sermone grato blanditus tibi fuerit, ne ei fidas, postquam intellexeris, hunc se tibi hostem prędstare; multa .n. flagitiosa animo occultat, licet ore uerba fallacia, & blanda promat.

26 *qui operit odium fraudulenter* במשאון bemassaon .i. propter desertũ. Quasi dicas tegit odiũ propter שאון saon .i. propter terram desertam; sperat .n. se illum in solitudine, terraq; deserta reperturum nec alter sibi cauet, cũ ille se amicũ simulet, ita .n. hũc e medio tollet nullo prorsus arbitro inspectante. Deus autem quę in occulto facta sunt patefieri curat in propatulo, & in cętu spectatorum, consentaneamq; pęnam repetit ob ea, quę clam gessit. Sed alia adhiberi potest explicatio, futurum vt Deus hunc puniat, quando hunc malo mulctabit, secus quam ille sibi persuadebat odium suum occultans, vt hosti suo calamitatem inferret in vasta solitudine in qua nullus testis reperiretur at enim Deus in hũc animaduertet, ita vt pęna ab omnibus intelligatur, cum sit in loco omnibus conspicuo. Et deni-

3 *flagellum, camus, virga* Nota sunt hæc tria, ideoq; commemorantur, vt intelligamus tria illa verberibus excipienda.

4 *ne respondeas stulto* Quando te maledictione insecutus fuerit. *ne efficiaris ei similis* תשוה גם אתה, Ne forte eidem æqualis, quod idē est, ac similis fias.

5 *responde stulto* Verum stulto composito sermone, sapienterq. responde, vt eiusdem dementiæ obuiam eas, huncque stultitiæ suæ certiorem redde, ne sibi sapiens videatur.

## LEVI GHERSOM.

2 *sicut auis* כצפור catsippor .i. sicut passer:

*& passer* כדרור cadderor sicut hirundo Sicut passer facile e sua sede transuolat: sicut etiam hirundo in domum remigrat, a qua prodierat, ita maledictio sine causa prolata haud illum afficiet, qui ea petitus fuerat, pariterq. ab eodē ita facile depelletur, eumq. repetet a cuius ore prodierit, quemadmodum hirundo in ædem redit, a qua auolarat.

3 *flagellum equo* Iumentis stulti comparantur, quę cum ratione careant ab homine verberibus instituenda sunt; equum enim pro arbitrio moderabitur vir, quando flagello instructus erit, quo illum verberet: asinum etiam idem diriget, quando camo coercebit, vt asinorum mos est: stultum pariter vt placebit vir instituet, quando virgarum operam adhibebit, itaut institutionem admittat.

4 *ne respondeas stulto* Quando stultus te rei cuiuspiam insimulabit ob dementiam, qua laborat, ne quidquam respondeas, cum te aures prębere dedeceat eius limphatis sermonibus.

*ne efficiaris ei similis* Si eius verba ęstimes, itaut ab illis te moueri turbariue patiaris dementiæ id erit tuæ.

5 *responde stulto* Stulto responde, vt illum ab errore reuoces, quo in sapientię rebus laborat:.

*ne sibi sapiens esse videatur* Quando huiusmodi errore captus a vero alienam opinionem animo fouebit, haud tibi silentio vtendum est, cum operæprecium sit, vt offendicula a mortalium conspectu amoueas præ uiribus.

## Verſ. VI.

6 Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium ſtultum.

## VAR. LEC.

a *Chal. qui currit pedibus suis bibens iniquitatem, sic est*

*qui*

*qui mittit verba per manum stulti. Syr. de sub pedibus suis bibit iniquitatem qui mittit.*

## SALOM. ISAC.

*6 claudus pedibus* Qui stulti opera in legationibus vtitur multorum pedes præcidit, quos denuo remittere debeat, vt rem a priore legato male gestã reparet: idem vero iniquitatem bibit, quod eidem amici irascantur ob stulti legationem.

## A. ABEN EZRA.

*6 claudus pedibus* מקצה mekatseh idem ac קוצץ Kotsets, quemadmodum משגה & שוגג sogheg, & masghe, hoc est, amputat pedes suos, & bibit iniquitatẽ; nefarie .n. cum eodem stultus se geret. Aliter etiam hæc lubet exponere, vocem מקצה meKatseh deduci ab illis postquam eruti sunt lapides, & puluis erasus הקצה qui est li- Leuit.14.v.43
mus lapidibus supne inhærens. Vox vero מקצה mekatseh significabit elongat pedes suos ad longinquas partes, vel limum, neque pergit ad ea peragendã, quę opus erant.

*iniquitatem bibens* Ex piaculo bibit, quo se obstrinxit mittendo stulto ad negotia sua, quę male succedent.

## LEVI GHERSOM.

*6 claudus pedibus* מקצה רגלים .i. pedes pręcidit Qui stulti opera mittit verba, ei pedes præcidit, qui libenter iter fuisset habiturus, itaut destituatur necessarijs facultatibus ad iter peragendum: ita stultus ijs caret opportunis rebus, quibus in locum ad quem mittitur pręscripta transmittat, nec ea peritia pollet, qua rerum ordinem, & seriem sibi præscriptam, & tanquam in ore positam conseruare possit. Idem vero iniquitatem bibit propter ea, quę a stulto referuntur, quod quidem duplici ratione contingit, tum quidem quod stultus sermones non renunciet quemadmodum iussus fuerat, ex quo fiet, vt mittenti grata non respondeantur, ijsq; consentientia, quę proposita fuerant, ideoq; iniquum se prębebit ei, ad quem legatio destinata est, licet crimine, culpaq; careat; id .n. a legati dementia effectum fuit: tum quod stultus sermones non referat vt iussus fuerat a responsum dante, ideo fiet vt negotia implicita sint difficultatibus, consentaneaq; gratia destituantur.

## Vers. VII. VIII. IX. X.

7 Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias:

sic

sic indecens est in ore stultorum parabola.

8 Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit[b] insipienti honorem.

9 [c] Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum.

10 [d] Iudicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium iras mitigat.

## VAR. LECT.

*a Chal. si dederis ambulationem claudo suscipies verbum ab ore stulti. b Chal. sicut fragmentum laminæ in funda. Syr. Sicut lapis in funda, sic qui laudat stultum. c Chal. spina ascendit in manu ebrij, & stultitia in ore stulti: d Chal. multum dolet caro stulti, & ebrius transit mare. Syr. multum patitur caro stulti.*

## SALOMON ISACIDES.

Esai. 38. v. 14. 7 *pulchras frustra habet claudus tibias* דליו שקים מפסח daliu soKain mippisseah .i. eleuata sunt claudo crura, & inæqualia, ad mentem illorum דלו עיני eleuati sunt oculi mei, hoc est crura cuiuslibet viri claudo suis altiora videntur. Quod quidem prouerbij loco semper in ore stulti versatur, id de sapientiæ acquisitione vsurpantis, quomodo ad sapientiam comparandam accedemus, quæ difficilior, sublimiorq; sit, quam vt a me obtineri queat? annon tritum est prouerbium; inæqualia, & altiora claudo crura videri.

8 *mittit lapidem in aceruum Mercurij* במרגמה bemarghemah .i. in funda. Quemadmodum lapis haud ideo funda concluditur, vt in ea asseruetur, sed ex ea proijciatur; ita cum honorem stultum deferimus, haud is diutius permanet. Rabbini autem eum qui legis doctrina imbuat discipulum ineptum, & ad id haud accomodatum, hunc similem esse lapidem in Mercurium iacienti affirmant.

9 *quomodo si spina nascatur in manu* Quemadmodum temulenti manui spinæ adhærent, ita prouerbium subsequens, in stultorum ore altius defigitur, vt ijs tanquam spina tribulusq. dolorem inferat: quod nam autem est huiusmodi prouerbium? subsequens nimirum.

10 *iudicium determinat causas* רב מחולל כל rau mecholel col Præpotens Deus vniuersa procreauit, vniuersaq. iudicat tam stultum, quã sapientem: haud ergo opus est vt sapientiæ operam nauemus.

Impo-

*imponit stulto silentium* שוכר כסיל socher chesil , mercedem dat stulto. Qui ergo mercedem stultis prębet non est vt rex corporis sanguinisq; concretione constans, qui solum exercitatos præmijs prosequitur, ijsq; solum mercedem tribuit, qui in arte laborent: Deus ergo rerum omnium effector est, mercedemq; stultis præbet.

*iras mitigat* שוכרע׃כר ים socher houerim. Deus etiam peregrinis qui inutiles terant vias, & ab omni opere desides se abstineant, mercedem impendet. Verum medras agada vocem שכר socher, desumit ex illis ויסכרו vaijsacheru, clausiq; sunt fontes abyssi, tum etiam ab ijs עושה שכר .i. qui operabuntur lina. Deus nimirum stulto claudit astra quæ per solis tempora inseruiant, a Septembri nimirum vsque Esai.19.v.9. ad posterum: concludit etiam eos, qui maritimum iter habent, ne illud vsque ad Paschatis tempus enauigent. Apud Rabbi Mosem illud reperij explicatum; רב מחולל כל .i. diuiti plurima sunt, ob quæ alios laborare curet, quod si dementi mercedem persoluat laboris sui prę-mium conferre videtur prætereuntibus, qui artis vitium animaduertant, vt ostendant quomodo recte elaborādum sit, quaue ratione opus sit conficiendum: sed .n. hoc nihil ad rem facit, atq; ab hoc loco prorsus est alienum.

## A. ABEN EZRA.

7 *quomodo pulchras frustra habet* דליו daliu Vox hæc desumitur ex illis, כי דליתני chi dalithani, quod significat exaltasti me: desideraturq; ps.30.v.2.
ה He articula admirantis, ad hunc sensum. An eleuabunt, extollentq; claudi crura, cum is pedibus careat? q.d. prouerbium absque intelligentia est tanquam corpus pedibus carens. Non inepta etiam est alia explicatio דליו daliu idem esse ac דללו dalalu .i. attenuarunt, autem daliu esse instar aleph in voce בזאו bazau, isque erit sensus, velut attenuata sunt crura claudi pedibus destituti, ita tenuis, imbecillaq; est parabola absq; intelligentia.

8 *Sicut qui mittit* כצרור אבן במרגמה chitsror euen bemarghemah sicut lapidis inclusio in purpura. Qui honorem stulto defert facit vt Esai.12.v.2. de lapide vt gari est sermo.
qui purpuræ includit lapidem, qui quidem nullo in precio sit habendus, cum ad splendorem, & honorificentiam nō sit esformatus.

*in aceruum Mercurij* במרגמה bemarghemah, Ea est res preciosa, & honorifica, synonimaque habet ארגמן argaman .i. purpuram, & itemq; רגמתם righmatham .i. splendorem, gloriamq; eorum. Hæc ps.68.v.28. ergo ita expone. Qua ratione se gerit qui lapidem abiectum purpura inuoluit, ita qui stulto honorem defert; qui .n. includit honorem impendenti; lapis vero stulto, purpura honori respondet.

9 *quomodo si spina nascatur* Quemadmodum ad manus ebrij spina deuenit, qua cæteris dolorem infligat, ita pariter est parabola ex

ftulti ore Parabola ergo in ftulti ore fpinæ comparatur dolore excru cianti cæteros, cum is prouerbiales fententias vfurpet, quas idem vecors non intelligat.

10 *iudicium determinat caufas* רב מחולל כל rau mecholel col. רב rau vero deducitur ex illis רבי המלך optimates regis. Ea ergo erit vis, optimatem, magnatemq; inter populum, omnes coercere, vniuerfifq; imperare, ftultoq; mercedem pendere, quem feruire cogat, ab eodemq; pænas rebellibus infligi, nam עברים ouerim rebelles fignificat, iuxta illud quare tu es contumax. Lubet etiam aliam deferre expofitionem, hunc nempe verficulum cum fuperiori connectendum, voce autem רב rau fignificari multitudinem, & copiam, iuxta illud רב לכם rau lachem, itaut is fenfus emergat; ftultus qui multus eft in parabolis vulnerat vniuerfos tanquam fpina in ebrij manu: qui vero mercedem tum ftulto, tum peruicati perfoluit, legem infringit; nec .n. poftea facultas erit qua ijdem coerceantur, inuitique cogantur ad filentium, ad quod faciunt illa trangrefsi funt, & pænis afficientur.

Jerem.41.v.1

hic c.12. v.3.

## LEVI GHERSOM.

7 *pulchras habet claudus tibias* דליו daliu .i. altiora funt claudi crura, cum alterum altero fit longius, ex quo efficitur, vt is recte incedere nequeat: idemq; eft negotium de parabola, quam ftultus ore verfet, nec .n. confentit cum ijs, quæ ab eodem infinuantur propterea quod in illa memoranda aliquid vel addat, vel detrahat.

8 *Sicut qui mittit lapidem* כצרור Sicut vinculum cui infit lapis preciofus cum lapidibus fundæ, cui haud margarita ad ponenda eft, ita haud ftulto honor eft tribuendus .i. fapiētia, qua ille fit prorfus indignus fapientia vero honoris appellationē habet, quod in ea mortaliū decus, fplendorq; confiftat; vt ideo dicatur, gloriam fapientes poffidebunt.

hic c.3.v.35.

9 *quomodo fi fpina* Quemadmodum fpina in ebrij manus deuenit, a qua lædatur, eaq; excipere negligat, quæ vtilia futura erant, vel faltem quæ nullum damnum effent allatura; ita fe res habet in prouerbio, quod a ftulto vfurpetur, is .n. ex vniuerfis rationibus, quibus illud intelligi poteft eas tantum, quæ noxiæ futuræ fint in medium profert.

10 *indicium* רב מחולל rau mecholel. Quilibet princeps, qui in iurgijs, diffenfioneque verfetur omnes morti præbet, perditque: idem vero ftultos, nefariofq; beneficijs cumulat, vt eos fibi adiungat. Hic etiā alter fenfus effe poteft. Sæpe reperitur, qui vniuerfum mortaliū genus moleftia, doloreq; afficiat, idem tamen benefacit ftultis, criminofifq; quos aptos arbitretur, vt focios habeat. Et denique hęc aliam admittant explicationem. Princeps qui vniuerfos terrore percellit, debili-

debilitatque ob insignia damna, quibus afficiuntur stulti videbitur: perditi vero, qui mercedem reportant ab eodem. ob incredibilem voluptatem, quam ex aliorum calamitate, exitioq; percipiunt, haud animaduertunt, se etiam ita lædi, calamitateq; premi; quo quidem eorum vecordia, morumq; improbitas plane declaratur.

## Vers. XI. XII.

11 Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui [a] iterat stultitiam suam.

12 Vidisti hominem sapientem sibi videri: [b] magis illo spem habebit insipiens.

## VAR. LEC.

*a Syr. qui contemnit. b Chal. melior est illo stultus.*

## A. ABEN EZRA.

11 *Sicut canis* Postquam canis cibum euomuerit, eundem subinde resumit: ita stultus altera vice dementem se præbet in sua vecordi actione, nec ullo pudore suffunditur.

12 *vidisti hominem sapientem sibi videri* An contemplatus es virum qui ex oculorum iudicio sibi sapere uideatur? inertem nimirum, quiq; desidia torpescat: his autem consentiunt illa, sapientior sibi uidetur piger septem &c. his v. 16

*magis illo spem habebit insipiens* Sperandum est hunc sibi sapientem inerti dementiorem futurum. Vel etiam ita exponito Sperat tamẽ stultus futurũ, ut magis sibi eueniant, quæ a Deo expectat, quã inerti.

## LEVI GHERS.

11 *Sicut canis* Quemadmodum canis ad id comedendum regreditur, quod iam euomuerat, nec animaduertit hoc sibi noxium fuisse, ita pariter se res habet in stulto, qui dementiam suam renouat, postquam perspectum habet ab ea ante calamitatem sibi procreatam fuisse.

12 *vidisti hominem* An virum animaduertisti, qui licet sapientiæ vere sit expers, se tamen sapientem arbitretur? maior spes relinquitur de stulto, quam de illo, futurum nimirum ut is sapientiæ possessione fruatur, qui .n. sibi sapiens uidetur, ea sapientiæ parte contentus est. quam ut arbitratur; adeptus est, nec amplius in illa comparãda laborat: stultus uero, qui sibi sapere non uidetur, imbecillitatis suę conscius summum studium in sapientia adipiscenda collocat.

factæ sint fores, vt quisq; ad opus suũ progrediatur, sed tamen deses adhuc in lecto deliciatur.

15 *& laborat si ad os suum eam conuerterit* Fatigatur cum diligẽter perscrutatus fuerit, vt manum ad os adducat; verum rerum omniũ copia destituitur. Necesse est ergo viro solerti, vt ea, quibus vitam sustentet, diligenter paret.

16 *sapientior sibi piger videtur septem* Non immerito septem illos esse affirmabis, qui regio conspectui adsistant.

*loquentibus sententias* Quiq; postquam interrogati fuerint a rege scite respondeãt. Haud ergo desidis huius mores sunt arripiendi.

## LEVI GHERSOM.

13 *dicit piger* Deses ob inertiam, qua torpet e domo sua egredi negat ad aliquid peragendum, neque studio rerum vacat; quodsi quandoque e domo progredi cogatur, obuiũ sibi habere videtur truculentũ leonem in ea via, quam sit inituros, & leænam in plateis, a qua discerpatur, ideoq; a foribus ædis suę sese abstrahere negat.

14 *Sicut ostium vertitur in cardine suo* Quemadmodum ostium semper in cardine suo voluitur, nec vnquam ab eo auellitur, ita iners nimius est somni amator, cum inertia somnum conciliet.

15 *& laborat si ad os suum eam conuerterit* Inquit aũt hyperbolicos ita inertia sopitum desidem, vt nec ori manum admoueat ad cibum capiendũ, perinde ac si manũ abscondisset in urnula, eamq; inde abstrahere nequiret: Hęc autẽ eo recidunt, ut declarent, ob insignem desidiam nec manuum quidem opera ad alimẽta necessaria uti uelle.

16 *Sapientior sibi piger videtur septem viris* Deses maiori sibi sapiẽtia pollere uidetur, quam multi sapientia exculti, qui cuilibet roganti cuiuslibet rationem redderent.

### Vers. XVII. XVIII. XIX.

17 Sicut qui apprehendit auribus canem, ᵃ sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.

18 ᵇ Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.

19 Ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus dicit. ᶜ Ludens feci.

VAR.

## VAR. LECT.

*a Chal. sic est ille qui contendit, & rixatur in causa, quæ non est sua. b Chal. Sicut ille qui deijciens se, emittit sagittas acutas mortis: Syr. Sicut fastuosi proijciunt verba velut sagittas acutas mortiferas. c Chal. ludens ludebam.*

## SALOM. ISAC.

17 *qui transit impatiens* Qui transit, ut ob alienam litem succenseat, similis est ei, qui canis aurem prehendens se absque ulla causa ab eodem morderi curat.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha .i. Sicut qui laborat scintillis ignis excutiendis.

*mittit sagittas* היורה זקים haiorch zikkim .i. qui scintillas ignis elicit emittitue, ad mentem illorum, & in scintillis, quas succendistis, quę oĩa vim habent illorum ignis fulgor, ac scintillæ Aliter etiam זקים ziKKim exponitur habet enim fundæ significationem, coinciditq; cum illis lapides fundæ impositi זיקתא ziKta autem non dissimilis uox in Talmud usurpatur. Vt etiam quis sagittas, mortemq; proijcit, ita se gerit uir fraudulentus, amicum a uitæ ad mortis uiam seducens.

Isaie.50.v.11

*& cum fuerit deprehensus* Cum autem quis alterum supplantare animaduerterit, tum is se iocari affirmabit.

## A. ABEN EZRA.

17 *Sicut qui apprehendit* מחזיק machazik, desideratur Caph uox cõparationis Qui auriculas canis apprehendit, a quo se continere deberet, similis uidetur ei, qui excandescit ob litem alienam.

*miscetur rixæ* מת עבר mith habber .i. Qui ira inflammatur in lite, & dissensione. Ira uero עברה heura appellatur, quasi excessus, quod rationis modos excedat.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha .i. sicut qui se insanum facit, & simulat, non dissimili forma ab illis ותלה ארץ מצרים uatelech crets mitsraim .i. dementata fuit terra AEgypti q.d. consiliũ eorum irritum fuit. Ea ergo uidetur horum mens sicut qui se mentecaptum fingit scintillas ignis emittit, sagittas, telaq; lethalia proijcit.

Gen.47.v.13.

*Ludens feci* משחק mesacheK .i. alios deridet.

*ita vir* Ita quis fraudulenter imponit amico, socio conquerenti ait

te

te ego delusi: tibi ego imposui. Sed enim huiusmodi mores detestandi.

## LEVI GHERSOM.

17 *sicut qui apprehendit* Qui sese ingerit, iraq; percellitur ob litem, quæ nihil sua intersit, similis uidetur ei, qui cibum a cane deposcat, ideoq; eiusdem aures prehendat, qui quidem ita uidetur optare, ut ab eo morsu corripiatur.

18 *Sicut noxius est* כמתלהלה chemithlahleha Sicut quispiam se labore fessú uiriumq; expertē ad malū præstandū præfefert, qui cum postea locum accomodatum inuenerit scintillas igneas emittit, sagittas, ac mortē iacit: huic autem consentiunt illa. Contritum, humilemque se ostendet, & cadet cum fortibus eius congregatio pauperum. ps.heb. 10. v. 10.

*ita vir qui fraudulenter* Ita attendenti constabit, qui alteri fraudulenter imponit, id præstitisse ob ludibrium, atq; subsannandi gratia.

## Vers. XX. XXI. XXII.

20 Cum defecerint ligna extinguetur ignis: & susurrone substracto iurgia conquiescent.

21 Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas.

22 Verba susurronis [a] quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad [b] intima ventris.

## VAR. LEC.

a *Chal. conterunt eum. Syr. verba iracundi perturbant.* b *Syr. ad interiora cordis.*

## SALOM. ISAC.

20 *cum defecerint ligna* Hæc duo inter se conueniunt, quoniam ut remotis lignis extinguitur ignis, ita amoto susurrone, qui lingua profana liti vacantes inter se misceat, cessabit disceptatio.

21 *sicut carbones ad prunas.* Velut carbones igniti prunis fere emortuis exsuscitandis, & ligna igni succendendo sunt accommodata .i. vir litigiosus serendæ liti, & contentioni est, opportunus.

22 *quasi simplicia* כמתלהמים chemithlahamim. Vox hæc idem est, ac מתלחמים mithlachamim .i. susurronis verba sunt tanquam bellum gerentia. Rabbini vero hanc eidem interpretationem adhibuerunt,

in-

inquiuntq; idem esse, ac כמתלהם che mith lahem .i. verba delatoris sunt eis tanquam mors.

*ad intima ventris* Hæc est mors ex hydropisis morbo.

## A. ABEN EZRA.

20 *cum defecerint ligna* באפס beephes .i. quando non aderunt ligna.

*iurgia conquiescent* ישתק ijstok A paraphraste autem vox maharis מריש vertitur שתיק satiK .i. silentio vtens, q.d. silebit iurgator.

21 *sicut carbones* פחם pechem. vox hæc desumitur ex illis pluet

ps.11.v.7. super peccatores פחים pachim .i. laqueos, vbi duo hæ voces פחם pechem, & pachim פחים synonima sunt omnino: פחים pachim autem est exigendum ad normam ספיר famir, vt mem sit radicale. Hic ergo versiculus a superiori prorsus est diuersus.

ps.37.v.1. *suscitat rixas* לחרחר lecharchar .i. ad litibus sese immiscendum Deducitur vero ex illis אל תתחר al tithchar .i. ne miscearis malignis.

Iud.5.v.26. 22 *verba susurronis quasi simplicia* כמתלהמים chemithlahamim vox hæc transpositis litteris deducitur ab illis, הלמה halemah percussitq;

Iud.5.v.26. Sissaram, & est verbum actiuum; ad normam illius התגלחו hitgalechu .i. postquam rasus fuerit Hazarius. Ita igitur expones; verba

num.6 v.19. susurronis sunt tanquam plagæ, & vulnera.

*susurronis* נרגן nigan Est fraudulentus, ad mentem illorum venite, & percutiamus eum lingua .i. sermonibus.

Ierem.18.v.18. *ad intima ventris* Hæc cor, mentemque insinuant.

## LEVI GHERSOM.

20 *cum defecerint ligna* Quemadmodum remota esca lignorum ignis extinguitur, ita amandato susurrone, iurgia, diffidiaque serente, silentium imponitur liti.

21 *Sicut carbones ad prunas* Quemadmodum e carbone prouenit prunæ, quibus comburantur, aboleanturq; vniuersa propinqua: vt etiam ex lignis excitatur ignis, quo res vicinæ absumantur, ita ex seditioso, contentiosoq; viro diffidia inter mortales disseminari solent, ob quæ ruant, penitusq; e medio tollantur.

22 *verba susurronis quasi simplicia* .i. quasi interrupta sunt susurronis verba; hic .n. mos est dementium, quiq; aliorum negotijs sese immiscent, vt eam sui speciem præseferant, perinde ac si interrupto sermone vterentur, illud .n. sæpius vsurpant. haud tibi cuncta recensebo; haud totam rei seriem tibi expono, quę quidem vehementem faciunt impressionem in auditoris animo, huiusmodiq; verba in penetralia mentis audientis descendunt ad hanc ferme rationem, vt is sibi persuadeat, quę ab altero silentio prętermissa sunt, longe grauiora esse ijs, quę narrata fuerint. Ver-

## Verſ. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

23 ᵃ Quomodo ſi argento ſolido ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata.

24 Labijs ſuis intelligitur inimicus, ᵇ cum in corde tractauerit dolos.

25 ᶜ Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei: quoniam ſeptem ᵈ nequitiæ ſunt in corde illius.

26 Qui operit odium ᵉ fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.

27 Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.

## VAR. LEC.

*a Chal. ſicut argentum fæculẽtum; quo opertum eſt vas fictile, ſic labia incenſa, & cor peſſimum. b Chal. & in interioribus reponit fraudulentiam. c Chal. ſi deprecatus fuerit voce ſua. d Chal. mala. e Chal. in contritione. Syr. in corde ſuo.*

## SALOM. ISAC.

23 *quomodo ſi argento ſolido* ככף כיגים מצפה cheſeph ſighim metſuppeh, ideſt argentum ſcoriarum obductum vaſi fictili. Quemadmodum argenti ſcoriæ telluri admixtæ, quando illud expurgatur ita prorſus collucent, ac ſplendent, ac ſi purum argentum eſſent, licet nullo ſint vſui, ita non diſſimilia sũt labia exardẽtia, & cor iniquum; nam his mortales ſectantur, vt eos ſermonis lenocinijs decipiant, aliud quidem ore promentes, aliud animo fouentes.

*cum peſſimo corde* Ij ſe amicos præſeferunt, licet reipſa ſint hoſtes infenſiſſimi.

*labia tumentia* דולקים doleKim .i. maledica, queq; alios conſectantur, nam vox hæc coincidit cum illis quia perſecutus es me. gen. 31. v. 36

24 *labijs ſuis intelligitur inimicus* ינכר כונא iinnacher ſone .i. hoſtẽ ſe ſermone diſſimulat, ne infenſo eſſe animo cognoſcatur. ינכר iinacher autem diſsimolare, ſeu negare ſignificat.

26 *operit odium fraudulenter* במשאון bemassaon .i. in obscuritate: Qui res suas agit in tenebris, & occultat Deo inuisa in tenebrarũ caligine, nam משאון massaon tenebricosam uastitatem significat, hu ius ad extremum flagitia reuelabuntur in publico conuentu, in quo hunc flagitiosum esse intelligent.

27 *qui fodit foueam* Vt de Balahamo constat, qui BalaKo persuasit ut curaret, Israelitas piaculo se obstringere, quo consilio uiginti quattuor mille Israelitę interempti sunt, hic ergo cũ ad Medianitas cõfugisset ad mercedem reportandam ob Israelitas, trucidatus fuit.

*qui voluit lapidem.* Is deniq; est exitus insidias alteri struentis, ut in ijsdem capiatur.

*voluit* Qui lapidem a loco aliquo ad alterum reuoluit, ut cæteri offendant, impingantque. Agadah autem hæc exponit de Abimelech, qui septuaginta fratres interfecerit super lapidem vnum, qui
Iud.c.9.v.53. deniq; lapidis ictu interemptus fuerit, iuxta illud, & ecce una mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.

## A. ABEN EZRA.

Quinque hic uersiculi mutuo connectuntur.

23 *argento solido* כסף סיגים chesepH sighim .i. argentum scoriariũ nam argenti uox cum sighim .i. scorijs construitur. q. d. argentum scorijs carens.

*labia tumentia* דולקים .i. ardentia, deducitur .n. a דלקה dalaKtha .i. cõbussisti: argenti porrò fit mentio, quod exardescens flamma argento fit similis: testæ autem comparatur cogitatio, qua alium odio prosequimur. Quare hæc ita expones similia sunt argento scorijs repurgato, testæque obducto labia exardescentia, & succendentia; ut .n. argentum plane cognoscitur cum uasi fictili inductum est, ita qui alios inuisos habet, sermone, labijsq; inflammatis se cognoscendum prodit.

24 *cum in corde* ובקרבו ישית מרמה ubkirbo iasith mirmah, & in præcordijs suis dolũ collocabit: hoc est in cordis sui penetralibus fraudem reponet, qua amicum se circumuenturum machinatur.

25 *quando submiserit vocem* כי יחנן קולו chi iechanen Kolò quando uocem suam blandam, gratamq; reddiderit .i. quando te hostis blãdo, benignoq; sermone alloquetur, ne fidem adhibeas; fouet .n. cor de septem illa, quæ Deus in primis detestatur, ut eadem præstet, ea inquam septem, quæ recensentur in uers. sex odit Deus &c.

prou.c. 6. v. 16. 26 *qui operit odium* תכסה techasseh .i. teget sese odium in hostis animo.

*fraudulenter* במשאון bemassaon .i. ad exitium suum, quo mulctabitur, odium, maleuolentiamq; suam occultat, tunc .n. in eundem statuta

tuta pæna patefiet in medio concilij, nempe in propatulo, & publico consessu.

27 *qui fodit foueam* Exempla huius sunt, tum qui foueam struat in quam mox corruat, tum qui uoluit, rotatq; lapidem, quo alium percutiat, qui quidem in rotantem recidat; Deus .n. illius opera, a quo plagas reportabit, pænam ab huiusmodi reposcet. Hanc etiam libet adducere expositionem.

*qui voluit lapidem* גולל golel Vox hæc eandem uim habent, quam גללו את האבן galelu eth haeuen, & reuoluerũt lapidem q.d. quemadmodum quis in gyrum ingens saxum uoluit, in eũdem locum idem uoluitur, ita qui malũ socio suo molitur, eidem ob noxius erit; illud .n. in auctoris caput reuoluetur. Gen.c.29. v.3.

## LEVI GHERS.

23 *quo modo si argento solido* Quemadmodum argentum cum suis scorijs si testæ obducatur, ob speciem quam sui præbet, optimi argenti loco ducitur, licet haud ita sit, quod autem sub eodem latet res est in primis abiecta, ita se res habet in labijs, quibus licet quispiã alteri amicitiã, societatẽue appetere uideatur, malũ tñ machinãtur.

*tumentia* דולקים doleKim idem ac רודפים rodephim .i. quæ sectantur, ex uerbis enim amicus hic ęst imabitur, præcordia tamen ea fouẽt, quę nullum afferant emolumentum: Verba etiam huius argenti similia uidebuntur, licet reipsa sint argentum scorijs concretum, quod argenti speciem prębet, licet haud ita sit.

24 *labijs suis intelligitur* ינכר ijnnacher .i. dissimulabit Maleuolus ergo id labijs suis prę̃stat, ne maleuolentia, qua laborat agnoscatur: at enim animo uersat fraudem, qua hostem suum in casses pelliciat.

25 *quando submiserit vocem* Quando sermone grato blanditus tibi fuerit, ne ei fidas, postquam intellexeris, hunc se tibi hostem prę̃stare; multa .n. flagitiosa animo occultat, licet ore uerba fallacia, & blanda promat.

26 *qui operit odium fraudulenter* במשאון bemassaon .i. propter desertũ. Quasi dicas tegit odiũ propter שאון saon .i. propter terram desertam; sperat .n. se illum in solitudine, terraq; deserta reperturum nec alter sibi cauet, cũ ille se amicũ simulet, ita .n. hũc e medio tollet nullo prorsus arbitro inspectante. Deus autem quę in occulto facta sunt patefieri curat in propatulo, & in cętu spectatorum, consentaneamq; pęnam repetit ob ea, quę clam gessit. Sed alia adhiberi potest explicatio, futurum vt Deus hunc puniat, quando hunc malo mulctabit, secus quam ille sibi persuadebat odium suum occultans, vt hosti suo calamitatem inferret in vasta solitudine in qua nullus testis reperiretur at enim Deus in hũc animaduertet, ita vt pęna ab omnibus intelligatur, cum sit in loco omnibus conspicuo. Et deni-

que ea vis erit, futurum vt calamitas, qua hostem suum vexare cogitabat diuina opera patefiat, atq; in frequentissimo cætu propaletur.

27 *qui fodit foueam* Atq; id quidem hac ratione continget, cum is in foueam deijcietur, quam hosti suo struxerat, licet haud aliis pateret hác ad hostem perdendum effossam fuisse: cum item reuoluet in hunc saxum, quod alter ad perniciem hostis contorserat, quæ quidem est pœna consentanea.

## Vers. XXVIII.

28 Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

## VAR. LECT.

*Chal. os bifidum. Syr. os eiectionis.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *non amat veritatem* ישנא דכיו iisne dachau. Qui linguæ susurronis aures præbet odio insequitur sibi prostratos, vt constat de Saule, qui cum liuidi detractoris sermoni acquieuisset Dauidem insectatus est, & Nobem contrucidauit.

*os lubricum* פה חלק peh calaK .i. os quod blando, molliq; sermone vtitur.

*operatur ruinas* Cum .n. quis blando obloquentis ori acquiescit a Deo arcetur, repelliturue.

## A. ABEN EZRA.

28 *non amat veritatem* ישנא דכיו iisne dachau: hæc tum in priori tũ in posteriori versiculi parte vsui sunt ad hũc sensum. Vir protritus inuisam habet linguam, quę mendacem sermonem efferat; idem etiam detestatur os blanda proloquens, quodq; exitium inferat; cũ nimirum in causa sit, vt alter emandetur, & depellatur.

## LEVI GHERSOM.

27 *lingua fallax* Qui lingua mendaci laborat, eos odit, quos mendaciis suis attriuit, licet ab iis nullum detrimentũ reportarit: quin eosdem odio prosequitur solum ob damna, quibus hos affecit sibi persuadens, inuisum se illis esse ob mala, quibus affecti sint.

*os lubricum operatur ruinas* פה חלק יעשה מדחה peh chalak iahaseh midche .i. os blandum fugabit huiusmodi odium q.d. Quando qui pessumdati sunt calamitatis suæ auctorem blando sermone alloquẽtur, in eoq; spem suam collocare videbuntur, itaut nulla ratione cogitent, hunc illum fuisse, qui tanta mala ingesserit, tunc inquam os blandum expulsionem, ruinamq; remouebit.

CAP.

# CAP. VIGESIMVMSEPTIMVM.

## Verſ. I. II.

1 Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ª ſuperuentura pariat dies.

2 Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

## VARIÆ LECTIONES.

ª *Chal. quid paritura ſit hodierna dies.*

## SALOMON ISACIDES.

1 *ne glorioſus appareas* Ne in prȩſentia glorieris ob id, quod craſtina die ſit euenturum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies; fieri enim poteſt, vt aliquid hodie ſuperueniat aduerſi, quod quæ inſequenti die te effecturum cogitaueras, irrita reddat.

## A. ABEN EZRA.

Connectuntur hi duo verſiculi.

1 *ne glorieris in craſtinum* Ne te iactes glorioſe de eleemoſina ad craſtinam diem, itaut inquias cras hanc præſtabo.

*pariat dies* ילד ieled, quæ vox coincidit cum illis תולדות יעקב toledoth Iacob .i. euentus, & caſus, quaſi euentus, & caſus pariantur: ne igitur glorieris ignorans, quid tibi ſit euenturum ob varia, quæ in dies contingunt, ne illud inſequenti die præſtare poſſis, iuxta illud vulgatum, ſi non hodie, quando?

Gen. cap. [illegible]

alludit forte qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

2 *laudet te alienus* Poſtquã negotia peregeris alieno ore lauderis.

*non os tuum* ante opus.

*extraneus & non labia tua* Idem diuerſis verbis repetitur.

## LEVI GHERSOM.

1 *ne glorieris in craſtinum* Ne ob id glorieris, quod craſtina die te effecturum confidas, neque .n. conſtat tibi, quid eo die ſit euẽturũ; ea .n. forte tibi repente contingent, quæ impediant, quominus cogitata tua præſtare queas.

2 *laudet te alienus* Ea vero, quæ geſſeris haud tibi honorifice prædicanda ſunt, cum id ſit improbæ conſuetudinis; ſatius .n. eſt, vt ab alieno ore, non a tuo met laudibus extollaris.

Verſ.

## Vers. III. IV.

3 Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.

4 a Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: b & impetum concitati ferre quis poterit?

## VAR. LECT.

a *Chal. crudelitas est ira, & inundatio est furor. Syr. audacia est ira, & furoris impetus.* b *Chal. quis stabit coram zelo? Syr. quis stabit ante zelotem?*

## SALOM. ISAC.

3 *onerosa* כטל netel .i. pondus.

*ira stulti* Stultus qui Deo iram ciet, eãdem in vniuersum redundere curat.

4 *impetum concitati ferre quis poterit* מי יעמד לפני קנאה mi iahamod liphne Kinah .i. quis stabit ante ęmulationem, Quis nẽpe obstabit zelotypię, qua ęmulator vltionem sumit?

## A. ABEN EZRA.

3 *graue est saxum* כבד אבן coued euen .i. saxi grauitas, hæ .n. duę voces syntacticę sunt.

*onerosa arena* נטל netel Vox hęc a paraphraste exponitur אט"י & tulit. Explicatio vero ea est, par est saxi, arenæq; pondus quoad grauitatem, at stulti ira vtroq; grauior est.

4 *ira non habet misericordiam* אכזריות חמה achzariut chemah .i. sæuitiaq; (est) iræ, nam vox achzariuth construitur cum chemah, quod ab ira sæuitia ortum habeat.

*nec erumpens furor* שטף אף seteph aph .i. furoris est inundare Hæc autem eruptio sub oculos ponit actiones eius, qui furore percitus sit, qui quidem furor est instar aquarum cuncta peruadentium. Hæc ergo eam vim habent, sæuitia ex ira, & irruptio ob furorem inter se maxime conueniunt, quod vtraque grauis sit.

*impetum concitati spiritus quis ferre poterit* מי יעמד לפני קנאה mi iahamod liphne Kinah, quis obsistet zelotypię. Quis inquam zelotypo obsistere poterit, cum zelotypia ijs vtrisq; sit grauior, & acerbior, hæc .n. vtraq; illa gignit, vt testantur illa, quia zelus est furor viri, cum nimirum zelotypia iram gignat.

## LEVI GHERSOM.

3 *graue est saxum* Est quidem saxum ferenti pergraue pondus: idemque est de arenæ onere; sed enim vtroque grauius est stulti iram ferre.

4 *ira non habet misericordiam* אכזריות חמה achzariuth chemah .i. sæuitia est iræ Ira ergo ad sæuitiã adducit, qui .n. ira percitus est nulla eius miseratione tangitur, cui iratus est.

*erumpens furor* שטף אף seteph aph. furoris est eruptio, Ira autem est tanquam aquæ vis cuncta permeans, & abolens. Verum enimuero inuidia longe grauior est, & acerbior; qui .n. inuidia laborat aliorum bonis contemplandis angitur, magisq; tum sibi, tum alijs mala optat, quam vt tum ipse, tum alij bonis gaudeant, quemadmodũ narratur de duobus, cupido scilicet, & inuido, quorum mores cum rex perspectus haberet, ea se ijs concessurum affirmauit, quę regiæ potestati, liberalitatiq; cõsentanea essent; postularet alter postulata relaturus: cum alter postea peteret duplo magis habiturus esset Cupidus ergo noluit anteuertere, vt duplo plus quam inuidus donaretur, sed enim inuidus nihil sibi vtile postulare voluit, cum ægre ferret cum altero bene agi, statimq; regem rogauit, sibi oculum erui, quo socius vtroque orbaretur.

### Vers. V.VI.

5 Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.

6 ᵃ Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

## VARIÆ LECTIONES.

ᵃ *Chal. pulchra sunt vulnera diligentis, & mala oscula odientis.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *fraudulenta* נעתרות nahtaroth. Vox hæc copiam, magnitudinemque significat, iuxta vim illorum העתרתם hahtarthem .i. multiplicastis super me verba. Ezech. 35. v. 13.

## A. ABEN EZRA.

5 *correptio* Vox hæc duplici loco vsuuenit, ad hunc sensum. Correptio manifesta, qua quis palam corripitur, melior est castigatione

bene-

beneuolentiæ abſconditæ, cum ſcilicet quis clam ab amicis increpatur, ea inquam vtilior, atq; præſtantior eſt occulta; quod in propatulo quis pudore ſuffundatur, & ad bonam frugem reducatur.

6 *meliora ſunt vulnera diligentis* נאמנים neemanim .i. Valida ſunt diligentis vulnera, qui nimirum eum, qui caſtigatione indigeat publice vulneret, & contundat, itaut emendetur. Verum qui hoſtis eſt eundem oſculis ardentioribus, & plurimis petit, nec illum arguit, quo impietatis ſuę laqueis irretiatur.

*fraudulenta* נעתרות nahtaroth .i. conferta, & ſpiſſa oſcula. Vel etiã vehementia, itaut vox hæc reſpondeat ſuperiori נאמנים ad vim illo-
Ezech. 35. v. 13. rum העתרתם עלי multiplicaſtis, vel congeſſiſtis ſuper me.

## LEVI GHERSOM.

5 *melior* Vtilior eſt correptio, & iurgium, quo quis amicum aperte inſectatur, vt eundem ſcelerum, quibus ſe contaminauit, arguat, amore, & beneuolentia occulta, cuius nulla ſigna, & argumenta palam extent; huius .n. amoris nullus eſt fructus.

6 *meliora ſunt vulnera* נאמנים neemanim .i. fidelia. Vulnera, quę ab amico infliguntur, fide & integritate ſunt prædita; ad pręclarum .n. finem diriguntur, tum vt alter corripiatur, tum etiam, vt malis ſubducatur, quemadmodum illi contingit, qui cum fratrem, vel conſanguineum cęteris immodeſte animaduerterit mala inferre, vel eoſdem ignominioſis probis inſectari, qui quidem ſilentio vtantur, vt deinde acerbe ulciſcantur; hic .n. vt hunc diſcrimini ſubducat iiſdem inſpectantibus eum quam primũ verberat ob ea, quæ in eos dixerit, effeceritue, atq; ita illos delinit, alterumq; ab horum manibus ſubducit. Verum ſecus contingit in oſculis maleuoli, qui quidem beneuolentiam pręſefert, vt alterum ſupplantet, atq; in arbitrij ſui caſſes adigat.

## Verſ. VII.

7 Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens *a* etiam amarum pro dulci ſumet.

## VAR. LECT.

*a Chal. quidquid amarum eſt dulce eſt animæ eſurienti. Syr. animæ eſurienti etiam amara dulcia erunt.*

## SALOM. ISAC.

7 *calcabit fauum* Pedibus proteret fauum qui ſatur eſt, ad ſenſum illo-

illorum conculcabimus insurgentes in nos.

*etiam amarum* כל מר col mar .i. vniuersa amara dulcia existimat famescens: Hæc etiam exponenda sunt de sacræ legis studioso, qui se saturum præseferat; hic .n. cum sacræ legis verba egregio animi conatu non appetat, etiam rationes, quæ altius in animo desigantur nihili facit. Qui vero huius vehementi desiderio exardescit ea etiã, quæ cum laboris acerbitate acquisiuerit, suauissima arbitratur. ps. 44. v. 6.

## A. ABEN EZRA.

*Calcabit* תבוס tauus conculcabit.

*etiam amarum pro dulci sumet* Vniuersa quę amara sunt quando quis esuriet, suauia, iucundaq; iudicabit.

## LEVI GHERSOM.

7 *Anima saturata* Qui animo saturo est, cum nimirum contentus sit sorte sua, gaudeatq; ea parte, quã obtinuerit, hic etiam dulcia pedibus conculcabit, hoc est, haud a diuitijs se turbari patietur, nec ad eas acquirendas industriam suam conuertet, ne ad illas quidem, quæ suaui, iucunda, honestaq; ratione comparentur.

*anima esuriens* Sed qui animi cupiditate, esurieq; laborat, ita vehementer ad diuitias perturbatus abripitur, vt etiam quæ obtinentur difficulter, grauiterq;, ac acerba contentione, & per nefas suauissimæ videantur ob singularem harum facultatum cupiditatem. Huius ergo versiculi quoad litteræ planum sensum veritas, visque patet, & est quædam adhortatio, ne vir magna cibi copia opplere se studeat, cum inde adducatur ad spernenda, quæ suauissima sunt; tum etiam ne immoderata esurie se angi patiatur, cum ideo etiam amara appetere cogatur, sed vsitatam viuendi rationem amplectatur. Videtur etiam versiculus hic cum superiori coniunctus, itaut moneamur, oscula maleuoli comparari mellis fauo, qui a saturo edatur, qui ideo cibos vtero congestos euomere cogatur; vulnera item amici similia esse cibo amaro, quo famescens vescatur, qui quidem ob esuriem haud amaram vim sentiat, ex quo quidem is fructus constat, vt amaris comedendis vitam protrahat; secus vero contingat saturo, fauo vescenti.

## Vers. VIII.

8 Sicut auis ᵃ trasmigrans de nido suo: sic vir qui ᵇ derelinquit locum suum.

## VAR. LECT.

*Syr. transferens nidum suum. b Chal. qui mutat. Syr. qui instabilis mutatur a loco suo.*

## SALOMON ISACIDES.

8 *transmigrans* Sicut auis, quæ a nido suo auolat, atq; hinc inde se transfert.

*sic vir qui derelinquit* Sic sapientis discipulus, qui a doctrinæ studio reuocatur, ne scilicet lectioni suæ solerter insistat.

## A. ABEN EZRA.

8 *sicut auis* Quamobrem quemadmodum passer a nido suo diuellitur ad alimenta comparanda, ita viro sedes suę relinquendæ sunt, vt ita paret ad vitam sustentandum necessaria, saturetur que.

## LEVI GHERSOM.

8 *Sicut auis* Quemadmodum aues non sine graui causa sedes suas relinquunt, cum nimirum ob vehemētem vim æstus, frigorisq; acrimoniam in ijs vitam ducere nequeant.

*ita vir* Ita viro nonnisi ob consimilem causam e sede sua migrādum est, vt constat de Abrahamo, & Isaac, qui e patria sua abscedere grauissima de causa coacti sunt, ob famem nimirum, quæ in ijs regionibus oborta erat. Vel etiam id insinuabitur, quemadmodum auis nido relicto, eo sæpe spoliatur, aliumq; sibi struere cogitur, ita, qui suum locum temere deserat, rerum omnium penuria premitur.

Gen. 12. & 26. & c. 46. v. 1. & c.

## Vers. IX.

9 a Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor: b & bonis amici consilijs anima dulcoratur.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. sicut oleum, & aromata lætificant cor. b Chal. sic vir suauis est amico suo in consilio animæ suæ. Syr. sic vir qui delectat amicum consilio animæ suæ.*

## SALOM. ISAC.

9 *Vnguento* שמן וקטרת semen vktoreth vnguentum, & suffitus, hoc est odor ex vnguento opobalsami, & ex suffitu animum voluptate perfundit

*& bonis amici consilijs* מתק רעהו מעצת נפש meteK rehehu mehatsath naphes .i. dulcedo amici sui maior, quam consilium animi. Qui amicum sibi adiungit, atq; eius sermonibus delectatur, & suauiter afficitur præstantius facit, quam qui suomet consilio ducitur. Aliam etiam his adhibe expositionem. Qui ita recte conformat suas actiones, vt Deo iucundæ, suauesq; contingant, præstantius facit, quam si animi sui cupiditates expleret.

## A. ABEN EZRA.

9 *Vnguento* שמן semen .i. vnguentum quo inungimur, & קטרת ketoret .i. odor, cuius fragrantia animus recreatur.

*& bonis amici* Non dispari modo magis animum exhilarat amici suauitas, quam consilium cuius ipse sibi auctor erat: מתק meteK arcanum significat .i. quando ei arcanum aliquod consilium communicabit eius animum voluptate perfundet; iuxta illud יחדיו נמתיק סוד p.55.v.15.
iachdau namtiK sod .j. qui simul arcani suauitatem communicabamus.

## LEVI GHERS.

9 *Vnguento* Cur quidē vnguentum, suffitusq; varij, odoris suauitate animum oblectent, ideo contingit, quod res quodammodo extraneæ in animum illabantur: ita secreti suauitas cum amico communicata ad consilium accipiendum præstantior est consilio, quod quis secum sine alterius ope deliberarit.

## Vers. X.

10 ᵃ Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die ᵇ afflictionis tuæ. Melior est vicinus iuxta, quam frater procul.

## VAR. LECT.

a *Chal. amicum.* b *Chal. in die interitus tui. Syr. confractionis tuæ.*

## SALOM. ISAC.

10 *Amicum tuum* Is est ipsemet Deus, qui Israelitarum amicus appellatus fuit.

*& amicum patris tui* Qui patres tuos amore prosequebatur: hunc ergo ne deseras, quem si dereliqueris pænas persolues.

Fabulam admirare. *& domum fratris tui ne ingrediaris* Ne in prole Ismaelis spem tuam reponas tibi propinquos futuros esse; illud .n. legimus, cũ Israelitæ in Babylonicam captiuitatem migrarent, ijs dixisse a quibus collo vinculis ferreis inserto ducebantur, nos quæso per viam fratrum nostrorum, posteritatis nimirum Phares, Ismaelisue adducite; tunc vero Ismaelitas obuiam prodijsse offerentes eis varia rerum genera sale condita, & vtres inflatos.

*quam frater procul* Satius est vt inter vos commoretur, qui præsto sit ijs a quibus vocatus fuerit, quam vt accedatis ad fratrem qui longe recedat, inquiens, venient dies luctus patris mei &c.

Gen.

## A. ABEN EZRA.

10 *domum fratris tui ne ingrediaris*, Is .n. te odio insectabitur, iuxta illud, fratres hominis pauperis oderunt eum. Sic c.19 v.7.

*melior est vicinus iuxta* Potior est vicinus, qui tibi opem ferre possit fratre, qui quando in angustias redactus sis, longe recedat a calamitate tua: quamobrem amicum tuum ne temere deseras;

## LEVI GHERSOM.

10 *Amicum tuum* Ne imprudenter eum abijcias, quo cum parentes tui, cum etiam tu amicitia coniuncti fuistis; illius .n. beneuolentia tibi summoperè cõducit. Neque uero tibi certo pollicearis quando calamitate premeris in fratris domum te abiturum, ut ideo huius amicitiam adspernandam tibi persuadeas; prẹstantior enim est qui tibi uicinus habitet, fratre, qui procul sit, qui nimirum locorum interuallo dissitus sit; locorum .n. interualla beneuolentię uim ardoremq; imminuunt; qui uero prope adstat, promptus etiam semper est, & expeditus, ut tibi opem ferat, ac in tuis negotijs uniuersis tibi profit.

### Vers. XI. XII.

11 ª Stude sapientiæ fili mi, & lętifica cor meum ᵇ vt possis exprobranti respondere sermonem.

12 Astutus videns malum, ᶜ absconditus est; ᵈ paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

VAR.

## VAR. LECT.

*a Chal. sapiens esto fili. b Syr. & cessabit a me probrum mihi exprobantium. Chal. & respondebo verbum his, qui exprobrant mihi. c Chal. abscondit se. d Chal. insipientes transeunt iuxta illud, & penuriam sustinent. Syr. dispendium patiuntur.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *studie sapientiæ* חכם chacham. Sapiens esto, seu sapias fili mi. *letifica cor meũ* שמח sammach. Et tu meũ cor tecum ipse letare.

12 *astutus uidens malum absconditus est* Prudens pęnas repeti animaduertens a terræ incolis, semet subducit, abditurque, a noxa .n. criminibusue manum subtrahit.

*paruuli transeuntes* Insipientes vero haud declināt, quin iniquam semitam terunt, ideoq; plectuntur, & prorsus abolentur.

## A. ABEN EZRA.

11 *stude sapientiæ* In sapientia studium colloca, vt ea imbuaris.

*& possis exprobranti respondere* ואשיבה חרפי דבר asiuah corephi dauar .i. respondebo exprobranti verbum, hoc est habebo, quod respondeam exprobranti mihi, filio prudentia, rerumq; peritia exculto me carere.

11 *paruuli transeuntes* Fatui præceptorũ iusta temere prætergressi sunt, ideoq; pænas dabunt, immatura morte obeuntes.

## LEVI GHERS.

11 *stude sapientiæ* Sapientia imbuere fili mi, atq, ita cor meum exhilara, meq; ita instítues, vt in promptu sit quod respondere possim exprobranti, cum me conuicijs tua de causa petet. Quodsi haud strenuum te geras, id efficies, ne probrum reijcere valeam, illud verius, ne flagitia tua in hominum ora incurrant.

12 *astutus videns malum* Qui prudentia, sapientiaque pollet, mala quibus corpora premuntur, exitiumq; contemplatur, eiq; sese subducit, cupiditatibus suis coercendis.

*paruuli* Sed seducti, qui nimirum a sua cupiditate distrahuntur, crimina incurrunt, maloq; mulctantur.

## Vers. XIII. XIV.

13 Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus.

14 Qui benedicit proximo suo voce grandi, a de nocte consurgens maledicenti similis erit.

VAR.

## VAR. LECT.

*a Chal. mane consurgens maledictio reputabitur illi. Syr. non dissimilis est illi, qui maledicit.*

## SALOM. ISAC.

13 *Tolle vestimentum* Qui pro alieno fideiubet, id reportat, ut a iudice fæneratori dicatur, tolle vestimentum huius.

14 *qui benedicit* Est qui amicum suum laudibus singulis diebus prosequatur, sed .n. laudes in imprecationes conuertuntur, cum de eodem mox vsurpetur, hunc prodigum esse, potentemq; nimium diuitijs, itaut ab illo vniuersi mutuum petant, atque ita fiscus regius in hunc excitatur ad diuitias emungendas: quæ quidē expositio habetur in masechet Harechim. Rabbi Vero Tāchuma aliam etiam affert allegoricam explanationem, intelligi hæc de Balaham qui sublimi voce Israelitis benediceret, iuxta illud, extollensq; vocem ait, quos tamen ad piacula pellicere decernebat. Nu.c.23.v.11.

## A. ABEN EZRA.

Connectuntur hi duo versiculi.

14 *qui benedicit* Qui pro alieno fideiusserat, fæneratorem benedictione prosequetur elata voce, itaut a cæteris audiatur, ad gratiam ab eodem ineundam, ne cum mane surrexerit ad negotia sua peragenda idem vestes auferat. Verumsis infauste id precationis loco ducet, nec parcet, quin vestimenta tollat.

## LEVI GHERSOM.

Connecti hūc vers. cum superiori. 13 *tolle vestimentum* Ille ergo hāc calamitatem reportat, vt cum omnes vires pro appetēte facultate fideiubeant, menti vestes suas, ornamentaq; detrahat, quę quidem nihil aliud sunt, quam vis, qua ad intelligibilia percipienda prędita est.

14 *qui benedicit* Cum quis elata voce socio suo fęlicia precatur, idq; solemne habet, itaut singulis diebus summo mane ad id prę̄stā dum consurgat, id inquam a Deo eidem maledictionis loco vertetur, quod hominem velut Deum habeat, ijsq; laudibus, ac benedictionibus hunc prosequatur ad eum morē, quo Deo impēdi hęc oporteret. Is et horum sensus esse poterit, eum qui sublimi voce sociū benedictionibus prosequitur ob beneficia in se liberaliter collata, itaut hic sermo ad cęterorum aures deferatur, id efficere, vt post breue tē poris interuallum idem hoc maledicentię loco censeatur, cum inde sequatur, vt alij haud ita honesti accedant, ab amicoq. postulent, quod alter reportarit: atq; vt rem exemplis transigamus, si Ruben

elatę

clatæ vocis præconio Simeonem prosequatur, quod generosi vini lagena ab eo donatus fuerit, cum id improbus quispiam resciuerit, Simeonem conueniet, eumq; rogabit, huiusce vini copiam faciat, ex quo pro beneficio, quod in alterum contulit iacturam faciat. Oportet etiam non dispari ratione, præ uiribus virũ caueret, ne amico beneficium impendat, ex quo damno afficiatur, vt exempli gratia, continget aliquãdo, insignem aliquem magnatem a Simeone postulare, vt vini sui munus transmittat, qui se falerno carere affirmet: quod si per id tempus Ruben accedat, Simeonemq; laudet ob præstantis vini munus a Simeone accepto, id efficiet, vt Simeoni princeps irascatur. Sunt autẽ plane innumera ex quibus detrimentum accipi possit ob huiusmodi faustam acclamationem. Illud denique ab his poterit insinuari, qui inflatis tibijs extollat priorem cogitationem, quę in mentem venerit, cum alicuius rei contemplationi, studioq; vacabit, id reportare, vt prætermittat præclaras machinationes, quæ quoad id efformari possent, quod quidem maledictionis loco vertetur, cum id illi contemplationis fores præcludat.

## Verſ. XV. XVI.

15 ᵃ Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.

16 Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit,

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. Sicut stillicidium, quod stillat in die pluuiæ, sic litigiosa mulier, quæ rixatur.* b *Chal. Sicut ventus Aquilonaris grauis est, & vnguentum dexteræ eius vocabitur. Syr. ventus Boreas grauis est, & de nomine dexteri vocatur.*

## SALOMON ISACIDES.

15 *tecta perstillantia* דלף טורד deleph tored. i. pluuia a tectis decidens in ædem viros ab eadem expellit.

*in die frigoris* סגריר sagrir. i. die, quo ob imbres vniuersi domi coercentur.

*comparantur* Hæc duo æquantur, prorsusque sunt paria.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

13 *tecta perstillantia* דלף deleph .i. gutta pluuiæ, iuxta illud ידלף ijdloph .i. perstillabit domus.

*perstillantia* טורד tored .i. expellens, nam paraphrasis ויגרשום vaigaresum .i. expulit eum est וטר דינון.

*in die frigoris* כגריר sagrir Postrema littera vocis huius repetitur, ad normam זרזיף zarziph q. d. quo die homines domi recluduntur ob pluuiæ guttam, eos assidue vexantem. Vel etiam vox סגריר sagrir pluuiam significabit.

*litigiosa mulier* Ea igitur recte æquatur stillicidio, quod a vicinis vniuersis arceatur.

16 *qui retinet eam* Qui vero eam vult occultare, cum lites ferere nolit, ventos resq; inanes abscondit.

*& oleum dextera sua* Etiam Myrrinum vnguentum, quo mulieris manus dextra inungitur.

*vocabit* Hoc inquam vnguentum eam vocat, vt aliquid ei persuadeat: sed vento id simile est; nec .n. eam rite instituere pōt: cum autem ventorum variæ sint agitationes, & conuersiones, easq; mortalis cohibere nequeat, idcirco vento mulier comparatur. Cum autē eius dextera, ad quodlibet proiecta sit, ideo inquit oleū dexteræ eius, quod quidem consentit cum illis הנה כינך.

## LEVI GHERSOM.

14 *tecta perstillantia* Quemadmodum grauissimum est quando cuippiam necesse sit domi sese cohibere ob pluuiæ uehementiam, si ex tecto intra domum perstillet, itaut nec ita imbrem arcere queat, non dissimili ratione se res habet cum muliere litigiosa; sperat .n. uir, cum domum suum repetit, se ibi quiete potitum iri, sed tamen ab uxore depellitur, animoq; uehemēter cruciatur, quod nullam rationem inire possit, qua dolorem, quo ab ea angitur cauere queat.

16 *Qui retinet eam* צפניה tsopheneha .i. abscondentes eam Qui eā occultare uidentur, quod eiusdem ignominiam, & probra ab aliorum oculis remouere studeant, id tñ assequi nequibunt; ipsamet .n. suam prodit uecordiam, quemadmodum quis uentos cohibere nequit, ne ubi perflant dignoscantur, cum flatibus suis prodant sese, tum etiam sedem suam: quemadmodum etiam cum quis manum suam unguento perfuderit, id cęlare nequit, cum eius dextera reliquis prædicare uideatur, unguento se esse delibutam ob uestigia ab oleo relicta.

## Verſ. XVII. XVIII. XIX. XX.

17 Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.

18 ᵃ Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius: & ᵇ qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur.

19 ᶜ Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ᵈ ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.

20 Infernus & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.

## VAR. LECT.

ᵃ *Chal. qui cuſtodit ficulneam.* ᵇ *Chal. qui obſeruat Dominum ſuum. Syr. qui proſpicit domino ſuo.* ᶜ *Chal. Sicut aquæ, & ſicut vultus qui non ſunt ſimiles ad inuicem. Syr. Sicut vultus vultui non ſunt ſimiles.* ᵈ *Syr. ſic corda cordibus non ſunt ſimilia. Chal. ſic cor filiorum hominum non eſt inter ſe ſimile.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *homo exacuit faciem amici ſui* יחד iachad idem ac יחדד iechaded .i. Qui ſapientis præceptoris opera inſtruuntur, mutuis quæſtionibus acuuntur.

18 *& qui cuſtos* Quemadmodum qui fructibus ficus veſcitur, quã ſeruarit, ita qui dominum ſuum cuſtodit, honore afficietur, fructúq; reportabit ex ijs, quæ geſſerit.

19 *quemadmodum in aquis reſplendet vultus* כמים הפנים לפנים camaim hapanim lapanim .i. ſicut aquæ faciem repræſentat, quã ijſdẽ tu offers, quæ quod oſtendis reddunt, ita ſocio parẽ ſe præbet vir, vt quemadmodum is alteri ſe carum eſſe intelligit, ita beneuolum vultum eidem præferat.

20 *infernus & perditio* Nunquam ſaturantur infernus, & perditio, quominus ſceleratorum piacula recipiãt, admittantue, quemadmodum oculi improborum nunquam ad ſatietatem expleri poſsũt, cum aſſidue prauæ propenſioni ad crimina ſollicitanti obtempetent, cupiditatibuſq; eius obſequi ſtudeant.

## A. ABEN EZRA.

17 *ferrum ferro* בברזל beuarzel Beth huius vocis duplici loco vsũ præbet, tum in ijs, faciem amici, & significat propter.

*exacuitur* יחד iachad, duplicem vox hæc radicem habet, tum יחד chadad acuit, tum יחד iachad.

*faciem amici* Ira vero vultus appellationem habet, quod in eo in primis conspiciatur: vt insinuant illa, facies Domini diuisit eos non addet vt respiciat eos, quæ quidem iram, furoremque diuinum signi ficant. Hæc igitur ita expones. Ferrum acuitur ob ferrum aliud, ita pariter vir ob alterius iram ad iram acuitur, cum nimirum ad contẽtionem cum eodem exercendam excitetur ab ira, quã ille sit inflammatus.

18 *qui seruat ficum* Non inepte hæc cum superioribus coniunges, nefas nempe esse ita disceptare cum domino, vt socio: qui autem ab omni scelere se subducet, honorem a domino reportabit.

19 *Quemadmodum in aquis* כמים הפנים לפנים Camaim hapanim lapanim. Sicut aquæ crescunt ob alias, quæ admiscẽtur, ita etiam facies propter faciem. i. furor furore alterius augetur: sic etiam viri animus malo cumulatur ob alterum, cui hic se inuisum animaduertat: quæ quidem explicatio accomodata videtur.

20 *infernus & perditio* Horum autem fit mentio, propterea quod qui nulla causa amicum suum latenti odio insequitur ad inferas sedes detrudatur, quæ quidem nunquam expleri queant.

*similiter & oculi* Non dispari modo viri oculi videndi facietate nunquam laborabunt; cum .n. alios in exitium ruentes contemplabuntur, haud vnquam illud vsurpabunt, iam saturi sumus adspiciendo, iam satis castigati sumus.

## LEVI GHERS.

17 *Ferrum ferro* Quemadmodum ferrum ferro acuitur, ita in quæstionibus condiscipulus ab altero acutior redditur.

18 *qui seruat ficum* Quemadmodum qui ficum custodit, eiusdem fructibus vescitur: quod si illius curam prætermisisset, cæteri hos fructus depasti essent; ita qui domi num suam seruat ab eodem consentaneos fructus reportat. Arbitror autem Domini voce insinuari eam partem, quæ in homine primas teneat, hoc est mentem; cum .n. eam quis custodiet, ne cæteris animi viribus subiaceat, honor, sapientiaq; acquiretur.

19 *quemadmodum in aquis* Quemadmodum aquis vestigia quædã in eas adspicientis imprimuntur, qui quidem vultus sui effigiem cernere se putabit, cum in aquis sese contemplatus fuerit, ita se res habet in humano animo; mortalis .n. intelligit, quid ille sit, & quæque eius forma, ob ea quæ ab eodem deriuantur, quæ quidem cum animo versarit, mox ad seipsum cognoscendum in ijsdem regreditur

tur, quodquidem declaratum est a me in libris de anima, & in primo de bellis Dei ibidem exponitur, quomodo intelligat mortalis vim hanc, qua pollet ad penetranda intelligibilia, ijs penitus carens, & expoliatus.

20 *infernus & perditio* Hæc est prima rerũ materia, quę in causa est vt res corrũpãtur, cum formis quibus imbuta fuerit nunquam contenta sit, aliasq; subinde concupiscat, propterea quod facultates, quæ ab ijs efficiuntur, agentibus obtemperare nolint; non dissimili modo mens hominis ijs, quæ cognouerit saturari nequit. Qua quidẽ ratione declaratur abstrusum arcanum de mente, & materia; nam sicut materia natura sua formis caret, ad vniuersas tamen recipiendas vim habet, itaut formis concupiat, ita intellectus quadam materię concretione obuolutus ad ea, quę intelligenda sunt comparatur. Mentitur hic philosophaster; nam de inferno sunt intelligẽda.

## Vers. XXI. XXII.

21 a Quomodo probatur in cõflatorio argentũ, & in fornace aurũ; sic probatur homo ore laudãtis. Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam. } *Desideratur in habreo.*

22 b Si contuderis stultũ in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, nõ auferetur ab eo stultitia eius.

## V AR. LECT.

a *Chal. conflatorium est argento, & fornax auro, & vir ex ore laudantium eum.* b *Chal. etiamsi percusseris stultum plagis inter catus, idq; pistillo, non transibit ab eo stultitia eius. Syr. Et si verberaris in consessu, nihil ei lucraberis, neq, ab eo stultitium amouebis.*

## SALOMON ISACIDES.

21 *quando probatur* מצרף matsreph Vt conflatorium ad argentum expurgandum effectum est; & fornax ad aurum probandum. *sic probatur homo ore laudantis* Ita vir probatur, expenditurq; iuxta laudes, quibus extollitur; cum .n. mortales illum laudent ob ea, quæ recte gesserit, a populo dignoscitur bonus, prauus ne ille sit.

22 *ptisanas* הריפות hariphot .i. triticum contusum in mortario. *in pila* מכתש machtes idem quod אסיתא asita .i. mortarium, mola tonsilis. *pilo* עלי heli pilum seu pistillum quod ita vocabis, cum subinde attollatur, eoque assidue contundant.

## A. ABEN EZRA.

21 *quomodo probatur* Ad argentum expurgandum est conflatorium, & ad aurum depurandum fornax;

*sic probatur homo* Et vnusquisque purus, labeq; carens reperitur iuxta laudem, qua afficitur, iuxta eam nimirum laudationem, qua eum prosequi decreuerimus.

22 *Si contuderis* Verum si stultum valide in mortario contundas, haud tamẽ vnquã ab eo dementiam remouebis quemadmodũ a tritico cõtuso cortex abijcitur, רִיפוֹת riphoth. n. triticeũ cõtusũ significat.

Iosue. 40. v. 26. 21 *sic probatur homo* אִישׁ veisc. vox hęc eandem vim habet, quam illa אִישׁ veis. i. & vno quoque non deficiet.

## LEVI GHERS.

21 *quomodo probatur* Argento defæcando notum aurifici vas constitutum est, vt auro etiam peculiare aliud, quo a scorijs diuidatur, idemq; de relinquis rebus affirmandum; singula. n. præclaram quandam rationem habent. qua a sordibus discreta esse experimento cõstet: Sed. n. stulto nulla spes, arsq; relinquitur, qua a sordibus expurgari queat, a dementia hinnuum, cum se sapientem arbitretur.

22 *si contuderis* Quamobrem perspicuum est, si huiusmodi vecordem cõtuderis in pilo inter triticum, quod pistillo tunditur ad corticem abijciendum, haud vecordiam ab illo te abacturum. Hæc autem hoc loco ideo commemorantur, quod dementia præcipua quędam sit origo cur a virtutum cumulo quis arceatur, stultus. n. ijs contentus est, quę cum res cogitatione versare cæperit, primo ad spectum occurrerint.

## Vers. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

23 [a] Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.

24 [b] Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generationẽ, & generationẽ.

25 [c] Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus.

26 Agni ad vestimentũ tuũ: & hædi [d] ad agri preciũ.

27 Sufficiant tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

## VAR. LECT.

a *Syr. pascendis gregibus tuis, oues tuas noscito.* b *Chal-*

*dæus*

*non enim in æternum possessio, neque pax erit a generatione in generationem. Syr. neq; tradit generatio generationi. c Syr. apparuit ver. Chal. humiliatum est fænum. d Chal. ad negotiationem tuam. Syr. in cibũ tuũ.*

## SALOM. ISAC.

23 *diligenter agnosce vultum pecoris tui* Ne tanquam sit parui momenti negligas, vt assidue inuigiles, quid gregi tuo opus sit.

24 *non enim habebis iugiter potestatem* Licet.n. diues auri, argẽtiq; sis, haud tamen forte hęc diutius perdurabunt: quamobrem exigua hęc, quibus abundas ne contemnas.

25 *aperta sunt prata* Quando Martio mense germina prodeunt, apparetq; virescens herba, & coalescunt germina, vt in flores sese effundant, tunc tibi gratissimum erit, vt ex gregum velleribus vestimenta tibi conficiantur.

26 *& hadi ad agri precium* Hirci agni precio pares erunt; horũ .n. carnibus vesceris, pellesq; vendes.

27 *sufficiat tibi,* vide Satis ergo sit tibi ad vitam sustentandam, tuamq; alendam familiam lac caprarum. Quæquidem est plana expositio. Verum prouerbialiter se res habebit.

*agnosce vultum* Qui plebi præfectus est, eam tanquam in sinu foueat, lente, planeq; deducet, ita .n. fructibus vescetur, copiæq. cornu perdurabit.

*aperta sunt prata* Quando huius acroamata, seu dogmata late radices egerint, sacraq. lex propagata fuerit illius opera, tunc agri erunt ad vestimentum, discipuli nimirum ei gloriæ, splendidiq. vestimenti loco erunt.

## A. ABEN EZRA.

Quinque hęc simul coniungenda.

24 *potestatem* חסן chosen. Vox hæc thesaurum significat.

26 *precium* מחיר mechir .i. argentum quod in permutationibus intercedit, iuxta illud, argentum pro vinea &c. atque vt arbitror eãdem vim habet illud מחיר כלב precium canis .i. qui pro cane est persolutum, seu permutatum. 1. reg. cap. 20 vers. 2. deut. 23. v. 18.

*& apparuerunt* A die nimirum præterito Explicationem autem hanc iis vniuersis adhibebis. Noscito vultum gregis tui, qui in locũ aliquem progredi velit; solicitus nimirum attende, ne illius obliuiscaris. Neque vero ad dignitatis amplitudinem obtinendam animũ adiungas, cum regia potestas, thesauriq. æternum durare nequeant.

*apparuerunt herba* Herbę virentes, fænumq. tibi collectum est, ut gregibus tuis cibum suppedites, oues uero tibi uestimenta subministrent, & erunt hirci ad agri precium.

*Iac capratum* חלב chaleu idem ac cibus .i. hedis vesceris ipse, domesticiq; tui, ancillęq; tuæ ijsdem vitam sustentabunt.

## LEVI GHERSOM.

23 *diligenter agnosce* Quando e sensibus, quę intelligas petere voles, diligenter agnosce vultum gregis, hoc est ea, quę sub sensus cadunt, quibus rite instituaris:

*tuosque greges considera* Attente perpende, quę sensu percipiũtur congruenter, quibus absoluantur, quæ altera vice cogitatione versaueris; inde .n. veram cognitionem obtinebis eorum, quę intelligere studebis, neque vero tibi satis sit, si ea obtineas, quę e sensibus emergunt, nisi secundas ijsdem adhibeas curas, cum inde innumeri errores contingant in intelligibilibus cognoscendis, vt suis locis declarabitur: quamobrem eadem similitudine hoc loco vsus est, qua
Cantic. cant. c. 6. v. 5. in Canticis cum inquit, dentes tui sicut grex ouium, vt ibidem explicauimus.

25 *non enim habebis iugiter potestatem* Consentaneum autem est, vt inuigiles solerter in acquirendis ijs, quę e sensibus petuntur hac ratione, cum non semper duret vis, roburq; quo mortalis pręstat ad studium in hisce collocandum, eademq; obtinenda; cum .n. vita spoliatur, facultate hac caret, qua pręditus est, vt materię concretione constat, licet diadema regium humanæ mentis ob ea quarum cogitatione imbuta erat semper perseueret, cum habitus intellectus ad æternitatem durent: constat autem, quæ sensu percipiuntur prius ad ipsos sensus deferri, horum deinde opera ad vim imaginandi, & copulandi transmitti &c.

# CAP. VIGESIMVMOCTAVVM.

## Vers. I.

1 Fugit impius nemine prosequente: * iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.

## VARIÆ LECTIONES.

* *Chal. iusti autem sicut leo qui intendit cibo, sperant in sapientiam.*

## SALOM. ISAC.

1 *fugit impius* Quando impiis exitium ingruit, fugam arripiunt, facileq; cadunt, licet nullus insequatur.

*iustus*

*Iustus autem* Iusti autem in Domino spes suas reponentes, animo sunt inconcusso, tanquam leo, qui robori suo nitatur.

## A. ABEN EZRA.

1 *fugit impius* נסו nasu diffugiunt impij. Vel etiam formidine percelli videntur, licet nemo vllus inimicus illos insectetur, sed tantum folii impulsi sonitus.

*iustus autem quasi leo* Quemadmodum autem leo interritus iacet, ita iusti securi degunt, nec vllo timore perturbantur.

## LEVI GHERSOM.

1 *fugit impius* Equidem inter iniquos quoad animi sensa, moresq. multi reperiuntur, quorum quispiam calamitatibus, variisq. euentibus expositus sit, ut ideo semper uereatur, ne calamitate prematur, fugamq; capiat, licet nullus persequatur.

*iustus autem* צדיקים tsaddikim, iusti. Quilibet autem iustus domi suæ securus, absq. ullo timore uersabitur, & confidet tanquam leo, cuius oculis nihil formidolosum occurrere potest.

## Vers. II.

2 Propter peccata terræ, multi principes eius: a & propter hominis sapientiam, & horum scientiam, quæ dicuntur, vita dulcis longior erit.

## VAR. LECT.

a *Syr. & viri iusti, qui sciunt iustitiam longos facient dies suos. Chal. & filij hominum, qui intelligunt scientiam, durabunt.*

## SALOMON ISACIDES.

2 *propter peccata* Ea est mortalium pœna, vt varios principes habeant, quo fiat, vt nulli obtemperetur.

*vita dulcis longior erit* יאריך iaarich prolongabitur. Verum propter virum prudentem diuina ira differtur, ne a mortalibus vltio repetatur.

## A. ABEN EZRA.

2 *propter peccata* Mortales terræ incolæ multos habent principes, a quibus extrema patiantur. Verum propter virum prudentem, qui eque eterum scientia sit præditus, qua eosdem ab impietate reuocare sciat, diu populus ille perdurabit.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

2 *propter peccata terræ* Propter impietatem terræ, quodq; mortales populi eius incolę exitij rei sint, multi sũt princeps in illa, quod erit præcipuum adiumentum, quo nullo negotio prorsus aboleantur. Vt autem principum copia ad perniciem iisdem facile inferendam maxime facit, ita illi stabiles sunt, diuitiisq. durant, ob uirum prudentia, rerumq. cognitione instructum, cũ ob illius merita omnes prouidam curam experiantur, iuxta illud, saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum suarum.

Iob 22. v. 30.

### Vers. III.

3 Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri ᵃ vehementi, ᵇ in quo paratur fames:

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. concutienti, & prosternenti.* b *Syr. in quo nulla est vtilitas.*

## SALOM. ISAC.

3 *vir pauper* Iudex nimirum:

*calumnians pauperes* In iudicio pauperes expolians, quod ab eo in iudicando nullum munus reportet, hic inquam est tanquam pluuia agrum inundans, qui deinde nullos fructus ferat.

*imbri vehementi* סחף socheph, idest inundans. Non dissimilis uox apud Thalmudistas est in usu, cũ inquiunt נסתחפה שדהו nistachepha sadehu .i. ager illius inundatus est.

## A. ABEN EZRA.

3 *imbri vehementi* סחף socheph, inundare significat: uel etiam idem erit ac סחב socheu .i. secum ina diuellens.

## LEVI GHERSOM.

3 *Vir pauper* Vir inops imbecillos, tenuesq. opprimens similis est inundanti pluuiæ, quę fruges ita perdat, vt alimenta desint. Ex huius autem parabolæ doctrina intelligimus, pluuiæ in primis esse, vt germina alat, & pariter ab eadem germina necari. Sic cum opes adipiscuntur viri, id fit, vt ita quę ad corpus cõseruandum necessaria sunt comparentur; Verum cum diuitias congerit alijs fraude facienda, is sibimet artifex est, vt rebus omnibus careat.

Vers.

Vers. IV.V.

4 Qui derelinquunt legem, ᵃ laudant impium: qui ᵇ custodiunt, ᶜ succendentur contra eum.
5 Viri mali ᵈ non cogitant iudicium: qui autem ᵉ inquirunt Dominum ᶠ animaduertunt omnia.

## VAR. LECT.

*a Chal, gloriantur in impietate. Syr. laudatur in iniquitate. b Chal. qui custodiunt legem. c Chal. contendent cum eis, vt conuertantur. Syr. magnificant seipsos. d Chal. non intelligunt iudicium. e Chal. requirunt coram Domino. f Chal. intelligunt omnia bona.*

## SALOM. ISAC.

5 *viri mali non cogitant iudicium* Nefarij diuinæ vindictę, pænisq; quas daturi sunt haud mentem adijciunt, vt iis animaduertendis a vitæ suæ institutis recedant, seruenturue.

*qui autem inquirunt Dominum* Ij inquã boni, m'aliue conscij erũt. *iudicium* משפט mispat .i. Iustitia, ita .n. interpretatus est Tanchuma, sermonem habens de ijs, qui per diluuij tempora extiterunt.

## A. ABEN EZRA.

4 *laudant impium* Legem diuinam labefactantes sceleratum laudant, cum ab ijs non dissimilem vitam instituant.

*succedentur contra* Nempe ira efferuescet vir in eum, qui a diuina lege recedat.

5 *viri mali* Qui nefarijs actionibus vacant, haud diuina iudicia animaduertunt.

*Qui autem inquirunt Dominum* Qui in sacra æde, vbi preces funduntur, Dominum inquirunt. cum nimirum ab eiusdem ore, quid velit explorant, hi prophætæ alicuius opera optima quæque intelligent.

## LEVI GHERSOM.

4 *qui derelinquunt legem* Qui in diuinam legem rebelles sunt, & contumaces, sceleratum ob impie gesta laudant, succenduntur q; in eos qui eandem seruent, cum legem eo loco ducant, vt illi nequaquam assuescendum arbitrentur. Vel etiã ita intelligenda sunt hęc, laudari a diuinę legis desertoribus prauas opiniones, quibus sceleratus sit imbutus quoad rerũ principia, pręcipuaq; capita, cũ inde aditus,

pateant ad legem deferendam. Sed enim seueri eiusdem custodes, succensent fallacibus huiusmodi opinionibus, eorumq; vitia patefacere student.

5 *Viri mali* Quamobrem qui scelera sibi preoptant, perspectā non habent normam veritatis opinionum, cùm potius ea sibi deligant ex quibus prauis actionibus insistendum iudicent opportunum: ex quo fiet, vt rerum veritatem in contemplatione non assequantur. Verum qui Dominum inquirunt .i. diuinam legem seruant, vniuersa ad veritatis amussim intelligūt, cum nulla cupiditate a rite obeunda contemplatione auocentur; quin a diuina lege suppetiæ feruntur, & instituuntur, vt opiniones veritati consentientes amplectantur, vt ex ijs quæ diximus, perspicue patet.

## Vers. V. VI.

6 Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam diues [a] in prauis itineribus.

7 Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem [b] commessatores pascit, [c] confundit patrē suū.

## VAR. LEC.

*a Chal. peruersus in via sua. Syr. pauper ambulat in simplicitate, & diues in vijs obliquis. b Chal. qui socius est commessatorum.* Syr. *qui vana, & inutilia præstat. c Chal. exasperat patrem.*

## SALOM. ISAC.

6 *melior est pauper* Ille etiam, qui haud ita in sacra lege peritus est, ambulatq; in simplicitate, qui nempe rectis actionibus assuescit, diuiti longe prestat.

7 *qui autem commessatores pascit* רעה זוללים rohe zolehim .i. qui sibi nebulones socios adiungit, nam רעה rohe socios sibi, amicosq; acquirere significat.

## A. ABEN EZRA.

6 *ambulans in simplicitate sua* Qui perfectum, integrumq; iter init *pascit* רעה rohe ad eandem vim, qua רעה המלך socii regis.

7 *commessatores* זוללים zolelim, Qui auidi sunt carnium edendarum, vt testantur illa, qui carnes ad vescendum &c.

*confundit patrem* יכלים iaclim .i. patrem ignominia suffundit.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

6 *melior est pauper* Qui mediocrem rerum cognitionem est asse-cutus, in iisq; prudenter, recteue se gerit, longe illi prestat, qui obliquam addiscendi semitam iniuit, atq; ita multa commenta addidicit, quod se ipso satis patet.

7 *qui custodit legem* Prudentia vero conspicuus est, qui legem custodit, cum ab ea adducatur ad perfectam scientiæ, morumque institutionem.

*Qui autem commessatores pascit* Sed qui lege derelicta cũ cõmessatoribus consuetudinem init, vt cupiditatibus materiæ contagione fœdatis obsequatur, laborabit dementia, patremq; nefariis actionibus ignominiosum reddet, cum nempe hunc probris notabunt, fœdis actionibus, negotiisq; filii obiectandis.

## Vers. VIII. IX.

8 Qui coaceruat diuitias vsuris, & fænore, a liberali
in pauperes congregat eas.
9 Qui b declinat aures suas, ne audiat legem c ora
tio eius erit execrabilis.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. ei qui miseretur pauperum congregat eas. Syr. relinquet eas illi, qui pauperum misereatur. b Syr. qui obturat. c Syr. et iam oratio eius erit abominabilis.*

## SALOMON ISACIDES.

8 *qui coaceruat* Qui vsura, & fænore diuitias coaceruat, id ad eorundum in pauperes facit, cum .n. magistratus resciuerint, hunc inique partis opibus opulentum esse, eum diuitijs spoliant, quibus pontes construunt, viasq; reficiunt, quod quidem est in pauperes pium, beneficumq; se exhibere. Hęc ita a R. Tanchuma sunt explanata.

## A. ABEN EZRA.

8 *in pauperes* לחונן lechonen Eas ob virum congregat, qui huiusmodi opes in pauperes liberaliter eroget.

9 *oratio eius erit execrabilis* Cum quis aures suas a lege audienda cohibet, etiam cum preces fundet, ærumnis oppressus, eas detestabitur Deus.

## L E VI G H E R S O M.

8 *qui coaceruat diuitias* Cum quis fœnore, & lucro fœdo rem suam auget, qui quidem alios per fraudem circumuenienti similis est ob diuinam legem, a qua id vetitum sit; is inquam id a Deo refert vt eædem opes ei a quo per fraudem quauis ratione sublatæ fuerant, restituantur; cum .n. fœnus, lucrumq; a pauperibus exigunt auari, quod mutuum aliquid postulent ob indigentiam, id a Deo tandem efficitur, vt diuitiæ ita cumulatæ in eius manus deueniant, qui easdem pauperibus eroget, & beneficum se, piumq; præstet in indigentes, vt antea solebat.

9 *qui declinat aures suas* Cum aures suas quis a diuina lege audiẽda abstrahit, non tantũ quæ agit inuisa sunt, quod apta conformatione careant, qua recte se gerat, sed etiam preces, quibus Deo obsequium se deferre arbitrabitur prorsus detestab les erunt; cum .n. a sacra lege addiscenda, eiusdemq. semitis obeundis sese reuocet, haud uerisimile videtur, eas aptum finem, normamq. cõsentaneam obtinere.

### Vers. X. XI. XII.

10 Qui ^a decipit iustos in via mala, ^b in interitu suo corruet, & ^c simplices possidebũt bona eius.

11 Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens ^d scrutabitur eum.

12 ^e In exultatione iustorum ^f multa gloria est: ^g regnantibus impijs ruinæ hominum.

### V A R I Æ L E C T I O N E S.

a *Chal. qui errare facit iustos.* b *Syr. in foueam corruet.* c *Chal. perfecti, & immaculati hæreditabunt bona.* d *Chal. contemnit eum.* e *Syr. in exaltatione seu corroboratione.* f *Chal. multa est pulchritudo Syr. multa laus* g *Syr. stantibus impijs, diminuitur laus. Chal. cum consurgunt impij inuestigatur filius hominis.*

### S A L O M. I S A C.

10 *in interitu suo* בשחותו bischuto .i. in foueam suam corruet, nã id deducitur a nnנ schatħ,

11 *sapiens diues pauper prudens* Pertinent hæc ad præceptorem, & ad discipulum, qui quidem res altius inuestigat, atque ideo quandoque præceptor sapientia augetur.

12 ruina

12 *ruina hominum* יחפש אדם iechupas Adam .i. Ad quolibet scelerum genus vir is inuestigabitur, ac exquiretur.

## A. ABEN EZRA.

10 *qui decipit iustos* Qui iustos a recto tramite deducit, vt forte in nefaria impingant.

*in interitu suo corruet* In foueā corruet, quā alteri irretiēdo pararat.

*& simplices possidebunt bona eius* Postquam obierit is a quo in deuia protracti fuerint hæreditate illius bona iusti adibunt.

11 *pauper prudens scruabitur eum* Pauper prudētia excultus id inuestigare poterit, in quo alter licet imprudens sibi sapere videbatur.

12 *in exultatione iustorum multa gloria* Cum imperita plebs iustos exultantes, & voluptate perfusos animaduertit, id sibi in primis gloriosum censebit.

*regnantibus impijs ruina hominum* יחפש אדם iechupas adam Cum impij euehuntur, explorabitur vir; impij .n. cęterorum diuitias explorabunt, easq; violenter diripient.

## LEVI GHERSOM.

10 *qui decipit iustos* Qui iustos in errorem protrahit, curatq; vt nefarium ineant tramitem, in quo is foueam struxit, in quam corruāt, id a Deo reportabit, vt in foueam alteri paratam decidat.

*simplices possidebunt bona eius* Integri vero bonorum compotes erunt, secus quam fallax statuisset. Vel etiam hæc insinuabunt, integros viros, qui omnibus recta consulant, vt bona obtineant, sibi ipsis optima comparaturos, ex quo constat cuilibet euentura, quę alteri siue mala, siue vtilia optarit.

11 *sapiens sibi videtur vir* Cum diues res sibi felici euentu succedere animaduertat, videtur sibi sapere, sed pauper prudens scrutabitur eum; cum .n. sapientia sit excultus aliquid ab eius ore eliciet, quo sordes eius, vitiaq; morum patefaciat; vt quandoq; contingit, cum testes examinantur, quorum verbis quid vitij insit solerter intelligendum est: diues ergo haud se continebit quin pauperi prudenti id respondeat, ex quo mentis maculę deprehendantur. Continent etiam ista hortationem, qua qui rerum scientia sunt exculti excitantur ad sapientiam suam cęteris communicandam; cum .n. qui scientię opibus affluit ob ingenij sui celeritatem, facile res penetrat, ac assequatur: ex quo fit ut non multum studium collocandum ei sit in soluendis difficultatibus, quę contingunt. Cum autem quis tenui cognitione pręditus illum conueniet, dubitationes proponet, & quęstionibus petet, has ille enodare studebit, ex quo hisce disputationibus scientię cumulum sibi adiunget, docebitq; illum, qui sibi sapiens videbatur.

12 *in exultatione* Dum autem iustis res prospero cursu feruntur, magna intercedit gloria, cum ij hominum genus honeste, & laudabiliter agere curent.

regnan-

*regnantibus impijs* Cum vero scelerati consurgunt, & ad dignitates euehuntur conteptus vires in orbe acquirit, nam cum ij sceleribus se cumulare scite sciant sedulo, demonstrare curant etiam probros huiusmodi flagitiosas actiones obire, cum consentaneum arbitreatur, vt ad suas actiones reliqui omnes etiam suas moderentur, iuxta illud qui erudit derisorem iniuriam sibi facit. Vel etiam ea erit mens horum. Euectis in honorum fastigium inuestigare homines probos, qui ab sceleratorum metum se in latibula abdiderant, iuxta illud euectis improbis, viros latere quamobrem solerter indagantur forte reperiri queant.

## Vers. XIII. XIV.

13 Qui abscondit scelera sua non a dirigetur: qui
autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14 Beatus homo, qui semper est pauidus; b qui vero
mentis est duræ, corruet in malum.

## VAR. LECT.

*a Syr. non prosperabitur. b Syr. qui indurat cor suum.*

## SALOMON ISACIDES.

13 *qui autem confessus fuerit* Qui crimina confessus fuerit, eadéq; reliquerit, ne denuo ijsdē se contaminet, misericordiā consequetur.

14 *Beatus homo qui semper est pauidus* Beatus ille, qui semper pœnam, suppliciumq; formidat; ita .n. a noxis se continebit.

## A. ABEN EZRA.

14 *qui semper est pauidus* Qui semper Deum veretur, nec in eundem sceleribus se obstringit.

*qui vero mentis est dura* Qui vero animo ita est obfirmato, vt arguenti aures præbere nolit, eis calamitatibus obnoxius erit, quas cæteris se illaturum arbitrabatur.

## LEVI GHERSOM.

13 *qui abscondit scelera sua* Qui crimina sua tegit, occultatq; cum sedulo inuestigantur, haud felici rerum cursu vtetur; inde .n. fiet, vt mentiatur ob sua piacula, pudoreq; suffundatur, quando ab eius sermone dissentient, quæ perpetrasse constabit. Sed enim, qui culpam subiuerit scelerum, eaq; fateatur, atq; a se prorsus amandet prauas consuetudines, misericordiam obtinebit a præpotenti Deo, atq; etiam a mortalibus; is .n. licet huius scelere petitus, cum animaduerterit hunc facti pænitere iniuriam condonabit.

14 bea-

14 *beatus homo qui semper est pauidus* Ter felix qui eum paueat, quẽ timere oporteat, id. n. in causa erit, vt accomodatis consilijs ineundis sapienter se gerat, vt calamitatibus, quas formidat sese subducat.

*qui vero mentis est duræ* Qui vero animo est peruicaci, sibiq; pro Deo statuit, quæ extimescenda essent, extrema patietur. An non animaduertere licet ob animum obstinatum, tum primo constructum, tum restauratum templum prorsus abolitum fuisse; nisi. n. Sekechias contumaci animo fuisset, regisque Babylonis iugo collum supposuisset, haud tunc e nostris sedibus migrare coacti fuissemus: idẽque censendum est de restaurato templo, nec. n. Romano imperio subiecti fuissemus, nec eius iugum ferre cogeremur.

Mirum a Iudæo iudæorum obstinationem affirmari.

## Vers. XV. XVI.

15 ᵃ Leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.

16 Dux indigẽs prudentia, multos opprimet per calũniã: qui autẽ odit ᵇ auaritiã, longi fient dies eius.

## VAR. LECT.

*a Chal. leo rugit, & vrsus clamat propter impium, qui dominatur super populum pauperem. Syr. vrsus dat vocem, quod præficiatur iniquus populo pauperi. b Syr. fraudem. Chal. calumnias.*

## SALOM. ISAC.

15 *leo rugiens & vrsus esuriens* נהם nohem .i. rugiens.

*esuriens* שוקק soKeK .i. frendens: sicut rugitus est leonis proprius, ita vrso conuenit שקיקה sekika .i. fremitus: vtraq. autem vox clamorem significat horum diuersorum animantium.

16. *dux indigens prudentia multos opprimet* רב מעשקות & multus in oppressionibus. Cum prudentia careat, ideo multus est in cæteris opprimendis; nec. n. vitæ suæ consulit, vt dies proroget, dum multos per calumniam subiicit, premitue, qui enim haud lucro inhiat auaritiam detestatus, ad multam ætatem vitam traducit.

## A. ABEN EZRA.

15 *leo rugiens* Desideratur Caph, particula comparationis .i. quasi leo rugiens.

*vrsus esuriens* שוקק sokeK voce deducta a שק soK .i. more ferino diripiens. Non dissimilis ab ijs est princeps impius in populum pauperem: comparaturq; pariter profligatus dux leoni, & urso, cum per iniuriam indigentes dilaceret, diripiatue.

*Qui autem odit* שונאי sone. adscripto iod, vt ostendatur de principe duceue sermonem haberi.

LEVI

## LEVI GHERS.

15 *leo rugiens* Similis est leoni rugiẽti ob ea, quæ præda rapturus sit, vrsoq; se sc cienti, & ad prædandũ progrediẽti impius princeps populi pauperis, cũ hic nihil aliud moliatur, quam vt iis damna, perniciemq; inferat, in eosq; fraudibus, iniurijsq; vtatur contra leges, quæ duci seruandę sunt.

16 *dux indigens prudentia* Idem etiam seruatur a principe pruden tia carente, qui sæpissime iniuriose agat.

*Qui autem odit auaritiam* Princeps vero, qui quæstum detestatur, ĩjs longam vitæ vsuram concedit, quibus præsit, rectaq; institutione regat, quos quidẽ a calamitatibus tutos, securosq; reddit: secus autem censendum de eo, qui eosdem discerpere cupiat. Illud etiam hæc volent. Quemadmodum cũ rugitus leonis a cæteris animantibus auditur, hinc inde diffugiunt, ita contingit cum principe abiecti populi, quem illi ferre nequeant; nam sæpe ab illo deficiũt, quod idem affirmandum de imprudente principe, quiq. violenter in subditos se gerat: at enim eius, qui lucrum detestetur, diuturnum erit imperium.

## Vers. XVII.

17 Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fugerit, nemo sustinet.

## VAR. LEC.

a *Chal. filius hominis, qui sollicitus est de sanguine animæ si vsque ad lacum fugerit, non comprehendent eum. Syr. Vir qui conscius est sanguinis animæ, vsque ad electos confugiet, & non adiuuabunt illum.*

## SALOMON ISACIDES.

17 *hominem qui calumniatur animæ sanguinem* אדם עשק בדם נפש adā hasuk bedam naphes. homo qui opprimit in sanguine animam .i. Qui socium suum piaculo obstringi, eiusq; opera cædem fieri curat.

17 *vsque ad lacum* Is inquam ad sepulchrum confugiet, vt inde suppetiæ ferantur, condoneturq; crimen, sed a nemine sustinebitur, neque ab æthere, itaut vires sufficiant, quibus seipso culpam expiare queat, itaut is in horto deliciarum sit; alter discipulus flagitiorũ in gehennam trudatur. Ita hæc allegorice exposita sunt in Tractatu ioma.

## A. ABEN EZRA.

17 *hominem qui calumniatur* עשק Hasuk idem, ac עושק HosecK .i. opprimens, cuiusdem rationis sunt אגר agur, idem ac אוגר ogher congregans, & alia multa. Qui violentus est in sanguinem animæ, parricida nimirum, & cædis patrator, a suis flagitijs in huiusmodi calamitatem detrudetur, vt in foueam descendat, necem sibimet illaturus, seq; in calamitosum locum coniecturus, neq; vero vllus existat, à quo reuocetur. Aliam etiam his explicationem accommodato. Qui a se ipso, & a diuitijs suis supplantatus fuerit, propterea quod humanum sanguinem effuderit, donec in sepulcrum inferatur sedes mutans hinc inde diffugiet sibi ipsi maxime timens: lacus autem sepulchrum significat.

*nemo sustinet* אל יתמכו בו al ijtmechu vo. Monentis sunt hæc. Q. d. Ne alij hunc sustineant cum ceciderit, neue vlla in eum miseratione moueantur, cum quod ad diuinam imaginem factitatum erat, labefactarit.

## LEVI GHERSOM.

17 *hominem qui calumniatur* אדם עשק adam hasuK Mortalis ob flagitium humani sanguinis, in quo effundendo scelerate se gesserit a Deo hac pæna plectetur, vt a cæteris opprimatur, & proteratur, licet nullo eos malo affecerit; idem etiam ob multitudinem eorum qui insectabuntur ita diffugiet, vt ad sepulcrum descendat, neque quispiam sit, quis cadentem sustineat, auxiliumq; ferat: is vero inquiet, absq; vlla causa se omnium insectationi expositũ esse. Hæc ergo vniuersa cędis patratæ crimen efficit, curatq;.

## Vers. XVIII.

18 * Qui ambulat simpliciter saluus erit: qui peruersis graditur vijs, concidet semel.

## V AR. LECT.

a *Syr. concidet in foueam.*

## SALOMON ISACIDES.

18 *concidet semel* באחת beechath .i. in vna In malum aliquod decidet, nec vnquam cum ceciderit, surget.

## A. ABEN EZRA.

18 *qui ambulat simpliciter* Qui integritatis iter obit, cui consentiunt subsequentia, qui peruersis graditur vijs, cũ scilicet inique se gerat. *vijs* דרכים derachaim. Vox hęc non est tantum dualis numeri, sed plures significat; nam cum Beth באחת beechath adscriptum habeat sceua, id perinde est, ac si diceret, in aliqua pluriumviarum corruet.

## LEVI GHERS.

18 *qui ambulat simpliciter* Qui syncere se gerit, recte agendo incolumis erit, profligatosq; & ingruentia damna cauebit, licet semitæ quibus in malum ruimus multæ sint, boni vero vna tantum:

*Qui peruersis graditur vijs, concidet semel* באחת beechath in vna. Qui vero obliquum terit iter, a recto deuius, cum nonnisi duas vias propositas habeat, alteram quidem boni, alteram vero mali, eo a suo consilio adigetur, ut eam deligat in qua offendens corruat, boni uero semitam deserat.

## Vers. XIX.

19 Qui operatur terram suam satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

## VAR. LECT.

a *Syr. qui ambulat post vanitatem satiabitur egestate.*

## SALOM. ISAC.

19 *egestate* ריש risc egestas.

## A. ABEN EZRA.

19 *sectatur otium* מרדף ריקים meraddeph reKim .i. Sectari facit inopes; est .n. uerbum cuius actio in aliud permeat, in cor nimirum ad hũc sensum, Qui curat, ut cor inopes consectetur: ij quos animus consectatur sunt pauperes; actio uero, qua quis hos insequitur nihil aliud est, quam festinatio ad iter cum iis habendum. ריקים reKim autem indigentes significat, & rerũ omnium inopia laborantes, cui consentiunt illa ריק נעור nahur uaric, excussus, & uacuus.

## LEVI GHERS.

19 *Qui operatur terram* Qui terræ colendæ sedulo studet pane affluet, terra fructus suppeditante: qui uero in negotiis humanis non

non laborat, sed inania consectatur, bonis omnibus carebit. Monemur etiam, cum quis in eo suam industriam collocat, ut quę in rerum intelligibilium potestate quadam, & ui continentur, re expleat, & in medium proferat, futurum ut iis abundet ad satietatem, quibus mens alatur: Qui uero leuia, uanaq; sectatur, neque de animo uirtutibus cumulando sollicitus est, rerum cognitione carebit.

## Vers. XX. XXI. XXII.

20 a Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens.
21 Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit: iste & pro bucella panis b deserit veritatem.
22 Vir qui festinat ditari, c & alijs inuidet ignorat quod egestas superueniet ei.

## VAR. LEC.

*a Chal. viri fidelis multæ sunt benedictiones. Syr. benedicetur. b Chal. peccabit vir. Syr. ob bucellam panis prodit virum. c Chal. est oculo nequam, & ignorat egestatem superuenturam sibi. Syr. festinat ditari oculo liuido.*

## SALOMON ISACIDES.

20 *vir fidelis* איש אמונות is emunoth. Vir fidelitatum .i. qui decimas fideliter persoluit etiam nullo alio arbitro præter Deum, qui quidem id cernet, huncq; benedictione cumulat.

*qui autem festinat ditari* Qui autem importune tempus trudere videtur, vt indigentium fortunis ditescat, non feret impune.

21 *deserit veritatem* יפשע גבר ijphsah gauer .i. iudicij normam peruertit.

22 *Vir qui festinat ditari* נבהל להון niuhal lahon: cum quis properat coaceruandis diuitiis, primitias rapiens, decimasq; ab egestate occupabitur, mulctabiturq; rerum inopia, cum iis, quæ ab eo gerentur, diræ, egestasq; sit admiscenda.

## A. ABEN EZRA.

20 *vir fidelis* Qui fide optima se gerit.

*multum laudabitur* ברכות רב rau beracoth .i. Multis benedictionibus cumulabitur, hunc.n. faustis precationibus vel viri, vel Deus prosequetur: id autem verisimile esse, probat extrema versiculi pars.

*non erit innocens* Non effugiet exitium qui in diuitijs congerendis præcipitabit.

21 *non benefacit* לא טוב lo tou Non bonum, quod etiam in posteriori hemistichio repetitur, hancq; admittit expositionem. Haud æquũ est, vt in iudicio quis faciem agnoscat, vt etiam nefas est, quempiam ob panis bucellam inique se gerere, aut rebellem, contumacemque se præbere.

22 *& alijs inuidet* רע עין rah haiu malo oculo. Hæc explicanda, vt superiora, qui autem festinat ditari &c. Qui ergo diuitias congerere festinat, inuidis oculis prædictus vocabitur, ad normam illorum, & malignus sit oculus tuus.

hic v. 20. Deut. 15. v. 9.

*egestas superueniet ei* Quando opes congesserit, nec earum partem indigentibus liberaliter concesserit, ad egestatem redigetur.

## LEVI GHERSOM.

20 *vir fidelis* Vir qui in ciuilibus negotijs sincere agit, tum etiam in ijs quæ ad scientiam spectant, benedictionibus cumulabitur, atq; ob suam integritatem prospero rerum successu fruetur eorum, quæ in votis habuerit, tum etiam, quod diuinę prouidentię peculiari munere exornetur. E contra vero, qui nec in politicis, nec in scientia fidem suam probat, sed tantum de scelestis laborat, opibus intentus vt cito opulentus fiat, nec veras opiniones amplecti studet, itaut vel exiguo temporis spatio rerum explicationem, seriemque percurrat, is inquam haud calamitatem effugiet, ut perspicuum est.

21 *qui cognoscit in iudicio faciem* Haud consentaneum est, vt iudex personarũ rationem habeat, cum .n. hic alterum eorũ, qui in iudicio versantur honore efficiet, alterius rationibus silentium imponet, qui sibi persuadebit, iudicis animum in aduersarium suum propendere, munus ergo vel leuidense accipiens iniquum se præbebit, iudicijque normam labefactabit. nam ob beneuolentiam in illum, a quo munere donatus fuerit, haud eidem aperire volet quid hic iure præstare debeat, iudicijq; veritatem reticebit.

22 *vir qui festinat ditari* Tenax ergo, qui parsimoniæ assuefecit, maiores diuitias vel breuissimo temporis spacio ita se coacerbaturum existimans, haud animaduertit, fœdum esse vitium, improbamq; cõsuetudinem a qua egestas aduehatur, cum ita amicis careat, ideo discrimini, extremisq; expositus sit vel inuitus.

Vers.

## Verſ. XXIII.

28 Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum magis, quam ille, [a] qui per linguæ blandimenta decipit.

## VAR. LEC.

a *Chal. qui biſidus eſt lingua.*

## SALOM. ISAC.

23 *qui corripit hominem* Qui alium criminum arguit, quibus contaminatus eſt, eundemq; ab illis reuocat.

*poſtea* אחרי Poſt aliquod tempus maiorem ab illo gratiam inibit, quam blandus aſſentator. In Medras Rabba inuenimus, vbicunq; reperias vocem אחרי achare, eam eſſe ſtatus abſoluti; vocem autem אחר eſſe syntacticam. Tanchuma autem inquit in hæc verba, eum qui corripit, intelligenda de Moyſe, qui reprehendit Iſraelitas, vt poſt Deum ſe conferent, qui quidem hominum grex appellantur, iuxta illud אדם אתם adam attem .i. homines vos: de Moyſe autem illud vſurpatum conſtat, inueniſti .n. gratiam coram me. Exod. 33.

*ilie qui per blandimenta linguæ decipit* Hæc vero pertinent ad Balahamum, qui in Iſraelitas optima, commodaq; verba efferebat, inquiens, quam pulchra ſunt tabernacula tua: Moyſes autem illud prædicabat, num. 24 v. 5. cauete ne forte decipiatur cor veſtrū: Balaham autē inquiebat aſſentatus, & mentitus, morē cupiditatibus veſtis gerite, cum nemo id animaduertat, curetue. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur: haud cum gentibus Deus rem habet, ſed vobiſcum, nec .n. aliquid mali efficiet. Salomon ergo vtrumq; innuit, cum inquit, meliora eſſe vulnera diligentis, quam oſcula fraudulenta. Deut. 11. v. 16. nu. c. 23. v. 19. hic c. 27. v. 7.

## A. ABEN EZRA.

23 *gratiam poſtea inueniet* אחרי achare poſt. Inquit Salomon qui alium increpat poſt præcepta mea, maiorem gratiam apud ſpectatores inibit, quam qui lingua blanditur.

## LEVI GHERS.

23 *Qui corripit hominem* Qui reprehēſione in quēpiam vtitur poſtquam illum damni conſciū fecerit, quod ad extremum laturus ſit, niſi a fæda illa conſuetudine ſeſe coerceat, ad illam rationem quam ſecutus ſum ipſe in verſiculo ſuperiori, is inquā gratiā ſibi apud eundē conci-

conciliabit maiorem, quam qui sermone lenocinatus, profligatum morem laudet. Hæc autem est quędam institutio, qua ad reprehendendum instruimur, vt ea ratio ineatur, qua reprehensionis fructus constet, consentaneum .n. est, vt præ viribus animum rapiat, itaut qui corripitur ad suum commodum, dignitatemq; castigationem hanc pertinere intelligat. Vel etiam iod vocis ימצא paragogi cum erit ad eam mentem, cum quis ab altero arguitur postquam animaduerterit incommoda, quæ ex reprehensione reiicienda contigerint, hęc expertus inquit, profecto si huius cōsilio obtēperassem, calamitatem hanc effugissem Quamobrem castigator gratior erit reprehenso, quam blandus adulator, a quo in discrimen sit adductus, quem idcirco odio prosequetur.

## Vers. XXIV.

24 Qui ª subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, ᵇ particeps homicidæ est.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. qui deprædatur patrem suum. b Chal. socius est viri dissipantis. Syr. viro iniquo sociatur.*

## SALOM. ISAC.

24 *Qui subtrahit aliquid a patre suo*. i. A præpotenti Deo.

*& a matre sua*. i. ab Ecclesia: qui nimirum alijs auctor est, vt scelus incurrant, Deum furto petit, a quo filios auocat, quos etiam bonis exspoliat.

*particeps homicidæ est* Non dissimilis est a Ierobohamo.

## A. ABEN EZRA.

24 *& dicit hoc non esse peccatum* Qui inquit in furando haud vllam noxam contraxi, cum proculdubio hæc mea sint.

*particeps est homicidæ* משחית maschith Socius est suas facultates dilapidantis, cum seducatur, vt parentum rem diripiat.

## LEVI GHERSOM.

24 *qui subtrahit aliquid a patre* Qui parentū suorū res furto subducit, neque vllo se crimine obstringi affirmat, propterea quod his e viuis sublatis hęreditate eandem sit habiturus, socius est sicariorum a quibus instituetur ad latrocinandum, & ad aliena vi auferenda, ex quo cæteris calamitatem inferet praua hac consuetudine.

Vers.

## Verſ. XXV. XXVI.

25 a Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui vero ſperat in Domino b ſanabitur.

26 Qui confidit in corde ſuo. ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, c ipſe ſaluabitur.

## VAR. LECT.

a *Chal. vir arrogans. Syr. vir auidus, & guloſus* b *Chal. impinguabitur* c *Chal. protegetur a malo.*

## SALOMON ISACIDES.

25 *qui ſe iactat, & dilatat* Vt vniuerſas cupiditates ſuas expleat, is *iurgia concitat* Excitat aduerſum ſe Deum iudicem.

## A. ABEN EZRA.

*qui ſe iactat & dilatat* רחב נפש rechau nephes; animo lato: qui quaſi lato animo ſit diuinum timorem non admittit.

*iurgia concitat* יגרה iegharch lites miſcebit.

26 *ſaluabitur* ידשן ieduſſan. i. ſaginabitur, rerumq; copia ad ſacietatem affluet.

*qui graditur ſapienter* Qui ſapientum ſemitæ inſiſtit, vt Deo confidat a calamitate ſubducetur.

## LEVI GHERSOM.

25 *qui graditur ſapiẽter* Qui animo ſuo ſorte maiori, cupidoq; eſt, cũ vehemẽter ſe affici patiatur ad cupiditates ſuas explẽdas, id reportabit, ut diſſidia in ſe concitet; cum. n. non ſuppetent, quæ appetit neceſſe erit, ut inquirendis iis, quibus gaudet, id in alios præſtet, ex quo ſibi iurgia accerſat. Sed qui in Deo ſpem ſuam reponit, omneſq; ſuas cupiditates in eundẽ refert, rerũ copia affluet, cõpos eorũ effectus, quæ in uotis habebit. Illud etiam iſta poterunt inſinuare Magni animi uirum, qui aliis abunde præbet & effundit, ut beneuolentiam captet, eo ideo adactum iri, ut lites, diſſidiaq; in ſe ſuſcitet, cum ita facultates ſuas dilapidet, aliiſq; iniquum ſe præbere cogatur, cum ſpem ſuam collocet in iis amicis, quos temere opibus oneratos, ſibi neceſſitudine deuinctos arbitratur. His accedit, hunc horum animos infenſos ſibi reddere in quos antea rem profuderat ſuam

ij .n. iugiter commoda ab eodem se percepturos sperantes, cum horum nullã spẽ relinqui animaduertent, hoc manũ a temere elagiendo coercente, necessitudo, quæ inter hos intercedebat a maleuolentia excipietur, his sibi persuadentibus, haud amplius illi se charos esse, vt ideo manum præcluserit, ac retraxerit. Spes ergo, quã sibi persuadebat mortales adiumento, roboriq; futuros irrita cadet, prorsusq; inopinata contingent. Qui vero soli Deo fidit, votorum suorum fiet compos, eiusq; mensa pinguium copia referta erit, cum secus prorsus animo prodigo succedat.

26 *qui confidit in corde suo* Stultus non antea meditationem, animumq; rebus sedatus adiungit, quam eas obtinere incæperit, animoq; suo spondet, haud consilium rectum absuturum, vt ideo in ijs incommode se gerat. Verum qui sapienter res agit vniuersa damna, impedimentaq; deuitat, quibus arceatur ab ijs quæ exordiebatur, cũ iam causas præmiserit, quæ conducant ad obtinenda, quæ aggressus erat, ac remouerit, quæ impedimento futura essent.

## Vers. XXVII. XXVIII.

27 Qui dat pauperi non indigebit: a qui despicit
deprecantem, sustinebit penuriam.
28 Cum surrexerint impij, absconduntur homines:
cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. qui prohibet oculum suum a paupere, multæ erunt eius maledictiones.*

## SALOM. ISAC.

27 *qui dat pauperi* Eleemosinam.

*non indigebit* Non incidet in egestatem, licet pauperi abunde præbeat, quod idem contingit præceptori, qui sacram legem a discipuli ore nunquam abesse velit.

## A. ABEN EZRA.

*non indigebit* Deus .n. necessaria suppeditabit iuxta illud, lænec.19 v.17. ratur Domino, qui miseretur pauperis.

*qui despicit* מעלים עיניו mahlim henau. Qui oculos suos ab indigente auertit sustinebit penuriã .i. multis infortunijs deuouebitur.

28 *absconduntur homines* Qui scilicet ius dicunt, ij .n. ob impiorum præsentiã sese subducẽt; quibus subscribit vltima pars versiculi.

LEVI

## LÉVI GHERSOM.

27 *qui dat pauperi* Qui in indigentem facultates suas liberaliter erogat, ideo a Deo benedictione cumulabitur, nec vnquam egestate premetur, iuxta illud propter rem hanc, sed qui ab inope oculos auertit, multas diras, penuriamq; sustinebit; par .n. pari referetur.

28 *cum surrexerint impij* Cum impij potestate, imperioq; potientur occultantur quidem probi, & integri duabus de causis, tum probis sese subducētibus, vt impiorū vim effugiant, tū viris flagitiosorū fœlicitatem formidātibus, cum scelerati potius, quam probi amentur, ex quo consequitur, vt improbus alios ad improbitatis suæ normam instituat, & regat.

*cum illi perierint* Duabus de causis sceleratis e medio sublatis iusti multiplicabuntur, tum quidem cum criminosis amotis, redeant qui fugam arripuerant, tum etiam cum ijsdem e viuis cedentibus sordes sceleratorum patefiant, atque ideo iustitiam cæteri complectantur.

# CAPVT VIGESIMVMNONVM.

### Vers. I.

1 ᵃ Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, ᵇ repentinus ei superueniet interitus, ᶜ & eum sanitas non sequetur.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. Vir qui non recipit correptionem, & indurat ceruicem suam. b Chal. cito conteretur. Syr. repente prosligabitur. c Chal. & non erit ei medicina.*

## SALOM. ISAC.

1 *qui corripientem dura ceruice contemnit* מקשה ערף makse horeph Qui ceruicem obdurat, ne increpationibus aures adhibeat.

*repentinus ei superueniet interitus* פתע .i. cito, & quam primum confringetur.

## A. ABEN EZRA.

1 *Viro qui corripientem* איש תוכחות is tochachoth: Vir increpationum .i. qui cū correptione indigeat, assidue arguitur, obstinataq. ac dura ceruice se præbet, repente confringetur, abolebiturq. . atq. id citra vllum remedium.

## LEVI GHERSOM.

1 *Viro qui corripientem &c.* איש תוכחות is tochechoth. Vir correptionum, Cum quis arguitur, itaut a Deo calamitatum flagellis castigetur, cruciatibusque corripiatur, vt auocetur a criminibus tum morum, tum sciendi, is tamen si in sua contumacia perdurarit, nec a deuio tramite decedere voluerit, perniciem inopinatam subibit, itaut nulla arte instaurari queat, par namque pari reddetur; cum .n. medelam respuerit, quoue magis castigaretur magis etiam criminibus se obstringeret, ideo irreparabili calamitate premetur.

### Vers. II.

2 In multiplicatione iustorum ᵃ lætabitur vulgus: ᵇ cum impij sumpserint principatum, gemet populus.

### VAR. LECT.

ᵃ *Syr. multiplicatur populus.* ᵇ *Chal. domino impiorum.*

### A. ABEN EZRA.

2 *in multiplicatione iustorum* ברבות biruoth Hæc eandem vim habent, quam illa, multa gloria est.
Ecc.28.v.12

### LEVI GHERS.

2 *in multiplicatione iustorum* ברבות biruoth .i. Cum iusti imperio potiuntur, vulgus lætitia perfunditur, ij .n. amore prosequuntur eos, quibus præsunt, studentque diligenter, vt eosdem præ viribus recte instituant; cum præterea ob iustos diuinę prouidentiæ beneficium his impensius tribuatur, quod secus prorsus improbis regnantibus contingit, vt planum est.

### Vers. III.

3 Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem ᵃ nutrit scorta perdet substantiam.

### VAR. LECT.

ᵃ *Chal. qui adhæret meretrici. Syr. qui associatur.*

### SALOM. ISAC.

3 *qui autem nutrit scorta* רעה roheh, qui cum scortis societatem init,

init, iuxta vocũ ſonum. Rabbini autem id explicant pertinere ad il-lũ,qui hanc auſcultationẽ pulchram affirmet, ideoq; addiſcendam: aliam autem non ita iucundam, ideoq; prætermittendam: adminiculum autem ſibi petunt ex ſacro contextu, vbi vox זונות zonoth, nonniſi hoc loco,cum duobus Vau exſcribitur.

## A. ABEN EZRA.

3 *Vir qui amat* איש is .i. filius parenti lætitiam afferet.

*qui autem nutrit ſcorta* רעה rohe, quod eiuſdẽ eſt ſignificationis,ac רעך .i. ſocius tuus. Vel etiam iuxta ſignificationem illorum כמרעיתם iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, paſcere ſignificabit; quaſi dicas, qui ſcorta alit,cui ſignificationi conſentiunt,quæ ſubſequuntur, perdet ſubſtantiam .i. facultates ſuas dilapidat. Hos.c.13.v.6

## LEVI GHERS.

3 *Vir qui amat ſapientiam* Qui ſapientiæ amore trahitur voluptati eſt parenti ſuo,ob præclaram inſtitutionem;qui vero cupiditatibus obſequitur,ſcortis alendis, tum paternas opes perdit, tum ſuas omnes, ac vniuerſas humanas perfectiones.

## Verſ. IV.

4 Rex [a] iuſtus erigit terrã:vir [b] auarus deſtruet eã.

## VAR. LEC.

*a Chal. in iudicio ſtabilem facit terrã. b Syr. vir iniquus.*

## SALOM. ISAC.

4 *rex iuſtus erigit terram* Si iuſta decernat terram ſtabilem reddit, & firmat.

*vir auarus* איש תרומות is therumoth. Vir elationum .i. Vir ſuperbus,qui haud futurum uereretur,ut in iudicium uocetur. Rabbini autem illud pronunciarunt, iudicem ſi regi ſimilis ſit, quem nec amicos ſibi comparare, nec munera oblata recipere neceſſe ſit, hac ratione terram firmare:Quodſi ſimilis ſit ſacerdoti per areas oberranti ad primitias poſtulandas, eandem diripere, & perdere.

## A. ABEN EZRA.

4 *Vir auarus* איש תרומות is terumoth .i. Vir exactionum, qui tributa exigit.Conſtat autem tributa,exactioneſq;quas a populo princeps refert,eſſe ſextam ephæ partem. q. d. Rex cum iuſte ſe gerit,

 ter-

terram firmam, stabilemq. reddit: sed qui tributa ampliora sumit, quam certo ordine, mensuraq. constitutum sit, eandem demolitur.

## LEVI GHERS.

4 *rex iustus* Rex iustitia terrã roborat, & firmat, cũ in eo recta, absolutaq. vrbis administratio sita sit, ne alter alteri iniuriosus sit: Quodsi qui imperio pollet, a iustitiæ norma deuiet, ab partem quã ex sceleris patrati consortio acceperit, vt exempli gratia, Si Ruben debeat Simeoni centum aureos, absoluaturq. Ruben, quod centum aureorum partem regi detulerit, & tanquam primitiæ loco summã aliquam obtulerit, hac ratione terram vastabit, atq. ad exitium adiget, cum ita efficiatur, vt vrbis ordo perturbetur, vnoquoq. socium inique circumueniente, sibiq. certo persuadente, si munera principi præbeat se absolutum iri. Quamobrem haud is a Salomone regio nomine est appellatus, cum nefarium sit, huiusmodi virum regia dignitate exornari.

## Vers. V. VI.

5 ᵃ Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.
6 ᵇ Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus. ᶜ & iustus laudabit, atque gaudebit.

## VAR. LEC.

*a Chal. Vir qui diuiditur a socio suo. b Chal. Vir malus in peccato suo capitur. c Chal. iustus exultat & gaudet.*

## SALOM. ISAC.

5 *qui blãdis, fictisq; sermonibus* מחליק machalik, qui blãda loquitur.

6 *peccantem iustum iniquum* בפשע bephesah .i. Ob scelus improbis laquei accidunt: iustus autem, quod sceleratorum iter non sit ingressus, iubilabit, ac exultabit.

## A. ABEN EZRA.

5 *homo qui blandis* מחליק machalik, Qui adulatorium sermonem cum socio init, vt forte illum fraudibus circumuenire queat.

*rete expandit gressibus eius* על פעמיו hal pehamau .i. gressibus suis; vox .n. hęc coniungitur cum viro blandiente, ad eundem sensum
Ps. 15.v.8. quo illa, & captio quam abscondit, apprehendat eum, quod item testatur versiculus subsequens, peccantem virum &c.

6 *peccantem virum* בפשע bephesa .i. Propter rebellionem labentis iniquus laqueis implicabitur, vel etiam ob scelus lapsus irretietur.

&

*& iustus laudabit* Hoc ergo laqueis implicato secum ipse iustus exaltabit.

## LEVI GHERS.

5 *homo qui blandis* מחליק machaliK. Qui blandum, molleq; iter socio pingit, itaut in flexuosam, erroris q; plenã viam trudatur, se ipso pedibus suis retia expandit, quod alterum illis irretire cogitaret.

6 *peccantem virum* בפשע bephesah Ob mortalium scelera iniquus secum trahere in errores alios curat, iuxta tritum illud, væh scelesto, væh scelesti vicino. At.n. iustus huiusmodi discrimen effugiet, exultabitq: tum inoffensus, tum etiam scelesto e medio sublato, iuxta illud, in perditione impiorum exultatio. Vel etiam is erit sensus, sce- hic c.11.v.10
lesto ob sua crimina laqueos accidere, qubus capiatur; cum iusto vero secus se rem habere; multis quippe bonis cumulabitur, itaut iubilet, assiduoq; gaudio triumphet ob singularem fælicitatem suam, quod peculiari diuinæ prouidentię beneficio excultus sit.

## Verf. VII. VIII.

7 Nouit iustus causam pauperum: impius ; ignorat scientiam.

8 Homines pestilentes disipant ciuitatem: sapientes vero auertent furorem.

## VAR. LECT.

8 *Syr. delusores.*

## SALOM. ISAC.

7 *nouit iustus causam pauperũ* דין דלים din dallim. Flagella pauperũ intelligit iustus, & ea quibus indigent, eosdemque solatur, & constantes reddit.

8 *disipant ciuitatem* יפיחו iapichu .i. Inflammant, igne flatu suo excitato.

## A. ABEN EZRA.

7 *nouit iustus causam pauperum* Hic enim horum litibus prosequendis vacat.

*impius ignorat scientiam* Tum scientiam, tũ iustitiæ normã ignorat.

8 *disipant ciuitatem* יפיחו iapichu .i. laquei ciuitati struũtur, q.d. Deum ob derisores ciuibus laqueos, quibus implicentur, parare.

*sapientes auertunt furorem* Sapientes vero ob prudentiam, qua exculti sunt diuinam iram sedabunt, laqueosque deuitabunt.

LEVI

## LEVI GHERSOM.

7 *nouit iustus* Perspectum habet iustus ius,quodque debetur indigentibus, opportunaq; ijs subministrari studet seu illa sint,quę facultatibus,mentis ministris suppeditantur,iuxta illud,benefacit animæ suæ virmisericors,seu etiam sint quibus indigeat,ut panis,& uestes: *impius ignorat scientiam* Iniquus autem animum suum consentanea rerum cognitione non exornat: Secus prorsus iusto se gerente cũ tũ cæteris,tũ abiectioribus facultatibus opportuna deesse non patiatur:iniquus vero,neque sui nobilissimę parti congrua suppeditat.

Sup. c.11,v.17

*Homines pestilentes* אנשי לצון anse latson. Derisores iurgia,dissidiaque serunt,quod patet ex eorum negotijs: secus vero sapientes, pacem conciliari curant,iramq; & æstum,quo quis in alterum exardescit prorsus deliniunt.

## Vers. IX.X.XI.

9 Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur siue rideat, *a* non inueniet requiem.

10 *b* Viri sanguinum oderunt simplicẽ: iusti autem *c* quærunt animam eius.

11 *d* Totum spiritum suum profert stultus: sapiens *e* differt,& reseruat in posterum.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. non conteritur. Syr. non fert moleste vel non indignatur. b Chal. viri sanguinem effundentes oderunt simplicitatem. Syr. oderunt innocentem. c Chal. quærunt eam. Syr. amant eum. d Chal. omnem furorem suum. e Chal. sapiens in prudentia reprimit. Syr. sapiens in mente sua cogitat.*

## SALOMON ISACIDES.

9 *si cum stulto contenderit* נשפט nispat Disceptat cum stulto. *non inueniet requiem* Sapiens nihil proficiet, seu stulto vultum iratum,seu hilarem risuq; decorum præferat,neutroq; animi firmitatẽ adipiscitur. Constat .n. nobis, Deũ Amtsiæ vultum ridentem,beneuolumq; præse tulisse, cum in illius potestatem Edomitas redegit,

hunc

hunc tamen, cum ab eorum cęde regrederetur, impuraque illorum idola duceret, ijsdem superstitiosum cultum impendisse: Achazi autem iratum se præbuit Deus, quem in potestatem regum Aramæorū venire voluit, sed enim is Damascęnorum idola veneratione prosecutus est, a quibus Damascęnis opem latam affirmauit.

10 *iusti autem quærunt animam eius* יבקשו ieuaKKesu; Vox hæc beneuolentiam, charitatemque significat; eandemque vim habere mihi videntur, quæ a Dauid Abiataro dicta sunt, si quis quæsierit animam meam, quæret & tuam .i. qui mihi beneficijs gratificabitur, tibi etiam gratificabitur; hanc autem interpretes non admittunt expositionem. 1.reg.c.22.v.23.

11 *sapiens differt* באחור ישבחנה beachor iesabechenna .i. in posterū, compescit eam.q. d. Cum stultus mentem suam totam depromit, accedit sapiens, eumque improbat, & deprimit responsis suis, atque equidem uox שבח cōpescendi uim habet ad mētem illorum, משביח .i. qui compescit sonitum maris: item illorum, cum eleuauerit se fluctus eius, tu compesces eos. ps.65.v.8.

## A. ABEN EZRA.

9 *vir sapiens si cum stulto contenderit*, את איש eth is .i. cum stulto. Quando sapiens cum stulto in iudicium descendit, seu irascatur, seu rideat, nullam tamen cum stulto quies intercedet.

10 *Viri sanguinum* Sanguinarij integrum virum oderunt, & iugulant.

*iusti quærunt animam eius* Integri animum, eiusq; sanguinem requirunt .i. hæc inulta esse non patiuntur. Aliter etiam hęc expones, itaut animam eius referas ad quempiam sanguinolentum, ad hunc sensum iusti animum sanguinem effundentis quærunt, vt eum morti dedant obintegrum. Vel etiam illud.

*animam eius* Referetur ad iustum aliquem, itaut idem repetatur.

11 *sapiens differt, & reseruat in posterum* באחור beachor quod non est dissimile ab illo נסוגו אחור conuersi sunt retrorsum, vbi אחור vel est nomen appellatiuum, aut adiectiuum, vel certe nomen, quod quidē arridebit intelligenti. Vox ergo אחור achor .i. posterius, hominis cor innuitur, quod est post labiorum pronunciationem, & ita in illis תחת לשונו cor innuitur, quod lingue subest. Isai. ps.

*reseruat* ישבחנה iesabechennah .i. compescit, seu quiescere facit idem enim significat ac משביח masbiach .i compescens strepitum maris. Q. d. vniuersos scientiæ spiritus exerit stultus, cæterisq; diuulgat, iuxta illud, in corde prudentis requiescit sapientia, & in stulti corde dignoscetur; sed sapiens scientiæ spiritum continet, cohibetq; corde, quod est post organa pronunciationis, nec eam stulto euulgat, vt testatur illud in corde prudentis requiescit sapientia. ps.65.v.8. hic c.14.v.33

LEVI

## LEVI GHERSOM.

9 *Vir sapiens* Cum prudens stultũ iudicabit, simulq; disceptabunt sermonesq; ferent, haud hic patietur sapientem sermonem habere, vel cæptum absoluere, sed quandoq; huius verbis audiendis ira inflammabitur, nec eum ad dicendi finem pertingere permittet, quandoque etiam deridebit, sannisq; prosequetur, quod a sapiente pronunciatum sit, neq; eidem spatium concedet, vt sermonem absoluat, ne sermone suo propositum finem obtinere queat. In his igitur verbis continetur quędem adhortatio, ne sapiens cum stulto iurgetur.

10 *Viri sanguinum* Hi virum integrum, probumque inuisum habent, quod variam ab ipsis semitam ineant: iusti autẽ maximo conatu, quæ volunt præstare tentant. Viro etiam integro forte insinuatur vis quædam excitatrix, cum omnes huius conatus, & vota ad integritatem, & perfectionem spectent. Sanguinolenti vero se abripi patiuntur a diffidij auctore, hoc est a facultate ad cupiditates inflammante, atq; ideo priorem vim odio insectantur: iusti vero optata sua prę vniuersis viribus præstare curant, cum nihil aliud in votis habeant, quam quod sincerum sit, vitioque careat.

11 *totum spiritum* Stultus quæcunq; optat, & vult statim ac in mentẽ veniunt re præstat, haud perpendens animo sedato consentanea ne sint, vt in ijs operam suam collocet, necne: quambrem indegrauissima damna contingunt.

*differt in posterum* באחור .i. ad extremum Verum sapiens cupiditates turpes cohibet, cum extremũ, hoc est, quod ad extremũ sit euenturũ in mentẽ veniet, nec quę cupiditas suggerit, exequatur, donec perspectum prorsus habeat, consentaneum id ne sit, an non; Quare hac procrastinatione fædã cupiditatem comprimit: Illud etiam hęc insinuabunt, sapientem quietem imponere, & sedare cupiditates יחור ב bcichur, cum nimirum auersus, non autem aduersus erit huic consuetudini, quin ita assuescat, vt oppositum eius quod ab ea præscribitur, præstet, cum ita huiusmodi ægritudinibus medicina paretur Vel deniq; horum mens erit, stultum effutire ore spiritus suos vniuersos, & quæcunq; velit, absque vllo repagulo cum iurgatur cũ altero, vt ideo garrulus iniquus, & turpis sermone accidat: sed cum id sapiens animaduertet stulto cum ipso disceptante, illius ęstum cohibebit, terga vertens, non uultum, atq; ab eo sese diuellens.

### Vers. XII. XIII XIV.

12 Princeps, qui libenter audit verba mendacij omnes ministros habet impios.

13 Pau-

13 Pauper & a creditor obuiauerunt sibi: vtriusque b illuminator est Deus.

14 Rex qui iudicat in veritate pauperes: thronus eius in æternum c firmabitur.

## VAR. LECT.

a *Chal. mediocris fortunæ vir. Syr. dolore affectus.* b *Syr. Deus illuminat oculos amborum.* c *Chal. dirigetur.* Sed non video cur interpres in Bibl. regis non retinuerit, firmabitur cum id etiam significet תקין *tekin*, magisque faciat ad rem.

## A. ABEN EZRA.

12 *princeps* Quando princeps mendacia proloquentibus aures præbet, tunc ministros habebit impios.

13 *& creditor* ואיש תככים is techachim .i. vir effractionum, Qui nimirum ab egestate sit attritus, idemq; erit vis huius loci, ac illius מתוך ומחמס mitoch vmechamas .i. a dolo, & iniquitate redimet animas eorum, cuiusdem significationis sunt illa תוכו לרגליך .i. effracti sunt Radix ergo erit תכך tachach, vel תכה

*obuiauerunt sibi* Quoniam egestas, & penuria a Deo decerni videntur, atq; a cælo deueniunt tanquam imber, qui in terras aduehatur; illis .n. obuiam itur, hæq; obuiam veniunt.

*vtriusque illuminator est Deus* Cum vterq; per egestatis tenebras iter habeat, Deus vtriusq; oculis lucem præbebit, quando horum egestatem subleuabit, quod quidem iuxta cuiusq; actiones præstabit. Aliam lubet adscribere expositionem, vt

*creditor* איש תככים is techachim ille sit, cuius diuitiæ fraude, doloq; surreptæ sint.

14 *rex qui iudicat in veritate* Regis qui tenuibus ex veritatis præscripto ius dicit, nec magnatum rationem habet,

*thronus firmabitur* In æternum, tum ei, tum eius posteritati.

## LEVI GHERS.

12 *princeps qui libenter* Cum princeps mendacijs aures præbet, tūc vniuersi eius ministri iniqui euadent, cum dominis suis morē gerere studeant, & quādo illum impietate gaudere prospexerint, perdite agendo assuescent. Innuitur etiam forte principe mendacia audiēte ea facultas, qua ad corporis cupiditates titillamur; cū .n. illa in homine imperiū tenebit, secus quā oporteret, mēsq. cū cæteris animi faculti

bus eidem inseruiet, vis intelligēs flagitiosa erit, cū obsequium præstet ad eas artes, adminiculaq; comparanda, quæ conducant ad vniuersas propositas cupiditates explendas.

13 *pauper & creditor* איש תככים is techachim perplexus. Pauper ergo, qui rerum cognitione sit destitutus, cum cogitationum copia careat, cuius opera hanc contemplationem aggredi queat, ideoque difficultatibus implicetur: Vir etiam, qui multis cogitationibus inter se pugnantibus distrahitur quoad quæstionem, quæ enodanda esset, cum illæ obuiæ fiant inextricabili modo, ob cognitionis tenuitatem: hic inquam licet quæstionis agnitionem singularem se habere arbitretur, attamen ob cogitationum variam repugnantiam, quæ animum vexat irretitus, laqueisq; validissimis implicitus videbitur, neq; in quam partem propendeat perspectum habebit: Sed enim vtriusq; oculos Deus luce perfundit, tum ob eam vim, quæ a Deo in mentem deriuatur, vt eæ iudicentur sedes, quibus ad huiusmodi inuestigationem instruatur, tum ob illud, quod a Deo benigno influxu dimanat, quo ad modos huiusmodi multarum inter se pugnantium cogitationum extricandos instituitur; id .n. grauissimum accidit in quæstionibus quibusdam grauioribus, itaut diuino sit opus adiumento. Sacra autem lex in primis confert ad difficultates, nodosq; huiusmodi euoluendos in plurimis difficillimis quęstionibus, in quibus difficulter mortalis veritati consentaneas cogitationes a falsis descernere potest, vt alibi commemoratum est.

14 *rex qui iudicat* Cum rex ad veritatis normam tenues iudicat, vt in lucem eliciat accurata inuestigatione quod cum aduersario, alioue intercedit quoad huiusmodi litis negotium, huius solium firmabitur, cum nimirum beatissimus ab vniuerso populo idcirco prædicetur, qui illo mirum in modum delectatur: diuinum præterea adiumentum præsto erit, ut stabile eidem regnum conseruet. In his etiam idem, quod paulo ante insinuabitur. Voce igitur pauperum uocantur partes illæ aduersantes, seu negantes in quibus non magis ueritas elucet, quam in cæteris; rex autem est humana mens, ut a ntea diximus, quę in homine primas tenet, quæ quidem cum in hisce quæstionibus ad ueritatis normam res exiget throno in omnem æternitatem duraturo insidebit: quod si haud ita se res habeat, secus prorsus continget, cum dubitationes, quæ in ijs accidere solent eius sint generis, ut clarissima uestigia impressa habeant fælicitatis obtinendæ, uel amittendæ.

## Vers. XV. XVI. XVII.

15 Virga, atque correptio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati suæ confundit
matrem

matrem suam.

16 In multiplicatione impiorum, multiplicabuntur scelera, et iusti ruinas eorum videbunt.

17 Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.

## VAR. LEC.

*a Chal. qui non recipit correptionem. Syr. puer qui non castigatur. b Syr. patrem suum. c Syr. requiescere te faciet.*

## SALOM. ISAC.

15 *puer autem, qui dimittitur voluntati suæ* משלח mesullach: Qui a parente, suo permissus est arbitrio, ita ut quodcunq; libuerit efficiat, eo tandem deueniet, vt matrem pudore afficiat; Ismael autem cum flagitiosus esset, Saram prouocauit, vt Abrahamo diceret eijce ancillam &c.

## A. ABEN EZRA.

15 *virga* Qua puer verberatur.
*correptio* Castigatio item verberibus adiuncta, horum inquam singula insipientem, & fatuum sapientia exornant;
15 *qui dimittitur* Qui a patre suo nullis habenis correptionis coercitus suo se ductu moderatur matrem suam dehonestabit.
16 *iusti ruinas eorum videbunt* Calamitatem sceleribus non disparem intuebuntur iusti, & voluptate afficientur.
17 *refrigerabit te* יניחך vinichecha .i. quietem tibi concedet.
*& dabit tibi delicias* Cum castigatione emendatus fuerit.

## LEVI GHERS.

15 *virga, atque correptio* Flagellis, & correptione puer sapientia excolitur; ita .n. honestis moribus informatur, quibus si careat, nulla semita relinquitur ad sapientiam obtinendam: puer autem, qui suæ voluntati permittitur, tum recta institutione, tum sapientia caret, atq; ideo matri probro est ob improbitatem suam; præcipue uero cũ in eandem plerumq. improbitatis filij culpa reijciatur: uniuersis affirmantibus, id ab illa effectum fuisse, quæ puerum, a teneris recte non imbuerit.

16 *in multiplicatione impiorum* Cum impiorum numerus augetur, in orbe scelera cumulantur, & ad crmina maiora sunt audaciores, quam cum alter ab altero dissitus esset, cum sibi inuicem auxilium

præbeant, simulq; ad quodcunq; scelus sunt proiecti, quod ob multitudinem simul collectam difficile pænas luant: licet autem hi iustos inimicos habeant, vt paulò ante dictum est, moxq. subdetur, iuxta illud, & abominatio impij rectus via, haud tamen eos lędere poterūt, iustis ab horum potestate sese subducentibus, criminosorum ruinam inspectantibus cum scelerati exitum sortiantur infeliciſſimum.

17 *erudi filium* Dum adhuc in tenera ętate constitutus est filium instrue, itaut recte instituatur, ac te quiete, animiq. tranquillitate frui permittat, quod egregie conformatus sit, animo item tuo delicias subministret, ob singularem lętitiam, quam ex illo percipies: illud prętereà accedit, hac ratione ad sapientiam habēdam instituī, quę animum tuum voluptate perfundet, ob ea, quę ab illo sapienter dicta audieris.

## Vers. XVIII.

18 ᵃ Cum prophætia defecerit, diſſipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.

## VAR. LEC.

a *Syr. cum multiplicantur scelesti, scinditur populus.*

## SALOM. ISAC.

Pro Ismael codex Bibl. Ambros. habet Israel.

18 *cum prophatia defecerit* Quando Ismaelitę sibi auctores fuerūt vt vaticinij munus subtraheretur, quod prophætas ludibrio haberēt & deluderent in varias partes distracti sunt, & in prauos mores degenerarunt.

## A. ABEN EZRA.

18 *cum prophatia defecerit* באין חזון bean chazon vir prophætię. Cum prophęta deest a quo populus corripiatur, tunc plebs profligatur, atq; in captiuitatem abducitur.

*beatus est* אשרהו asrehu Tunc eum cęteri beatum prędicabunt illius bonis incrementum accipientibus.

## LEVI GHERS.

18 *cum prophatia defecerit* Cum vaticinium cessat, aboletur populus, rectęq; institutiones, & reprehensionis munus deficit: lex autē innuitur voce prophætię, cum ea quasi per vaticinium concessa sit. Hęc ergo instituit ad rectam conformationē, & honestas cōsuetudines, tum erga domesticos, tum erga ciuium suorum multitudinem. Quodsi eadem desit, haud fieri potest, vt pręclare versari quis poſsit in ciuium multitudine, cum.n. uaria, dissidensq; mortalium natura sit, moribus etiam inter se summopere dissidebunt, ideoq. socie-

tas

tas eorum labefactabitur, nisi lex, quę eos temperat, & moderatur vnica sit, atq; vnica norma, quam sequantur. Qui ergo legem seruat, beatus est, cum sese accomodet egregiæ, absolutæq; institutioni, atque ita viam sibi sternat ad sapientiam, prudentiamq; ex eius principijs obtinendam. Illa etiam horum vis esse poterit, proptereaquod haud satis plane compertum quis habeat, quid ex singulis rebus sit euenturum, itaut plane intelligat, consentaneum ne sit, in illis obtinendis operam collocare, si vero operæprecium sit, quæ nam apta ratio ineunda ad hæc consequenda, idcirco populus dissipatur, quæq; in primis optabat male cedent: vel etiam opportuna institutione carebit, cum illius compos fieri velit, in quo consequendo haud studium impendi par erat.

*qui vero custodit legem beatus est* Sed enim felix ille, qui legem seruat, qua reuocabitur ab ijs consectandis, quorum consentaneus fructus non constet, a qua etiam seruata auxilium feretur, vt votorum optatam metam attingat.

## Vers. XIX. XX. XXI.

19 Seruus verbis non potest erudiri: [a] quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit.

20 Vidisti hominem velocem ad loquendum? [b] stultitia magis speranda est, quã illius correptio.

21 [c] Qui delicate a pueritia nutrit seruum suum, [d] postea sentiet eum contumacem.

## VAR. LECT.

*a Syr. scit enim se non esse verberandum, vel vulnerandum Chal. qui cognoscit iugum, nec patitur. b Chal. melior est spes de stulto, quam de illo. Syr. scito hoc meliorem esse stultum. c Chal. qui delitijs indulget a pueritia sua, seruus euadet. d Chal. & ad extremum euertetur. Syr. ad extremum gemet.*

## SALOMON ISACIDES.

19 *quod dicis intelligit, & respondere contemnit* Quãdo seruus reprehensorem tacentem animaduertit, & postea nouos errores, nouasq; noxas incurrit, ideo verberibus, pænisq; est corripiendus: neq; vero sermo est de seruo proprie, sed de vniuersis contumacibus in iudicum pronunciata.

20 *hominem velocem ad loquendum* אץ בדבריו ats biduarau .i. qui festinus, temerariusq. est in respondendo.

Stulti-

*stultitia magis speranda* תקוה לכסיל ממנו tikuah lichesil mimmennu Maior spes de stulto est, quam de illo, hoc est, magis sperandum est de stulto, quam de huiusmodi temere loquente.

21 *qui delicate a pueritia nutrit seruum* .i. Qui mali fomitem delicijs fouet.

Ps. 72. v. 17. *sentiet eum contumacem* מנון manon .i. Dominum experietur, cuiusdem significationis sunt illa: ante solem ינון ianon dominatur nomē eius. Idem etiam in omnibus sacrarum litterarum locis significat vox נין nin .i. filius, quod filius post parentis obitum in eius res dominari incipiat.

## A. ABEN EZRA.

19 *seruus verbis non post erudiri* Sola verborum opera seruus non eruditur, sed flagella, castigationesq; adhibendæ.

*respondere contemnit* Licet reprehensionem intelligat, haud tamen corripienti respondebit, en ita me geram.

20 *vidisti hominem velocem ad loquendum* אץ בדבריו ats biduarau, Qui ad loquendum, vel in negotijs præceps est.

*stultitia magis* Hęc duabus rationibus supra explicata sunt ad vers. vidisti hominem sapientem &c.

21 *qui delicate nutrit* מפנק mephannech, Qui delicijs, voluptatibusq; seruum alit.

hic. c. 26. v. 12 *postea sentiet eum contumacem* אחריתו יהיה מנון acharito yhieh manō Ad extremum erit filius Postquam deliciose educatus fuerit tanquam filius esse volet. Vox ergo מנון manon deriuatur a נין nin filius,

Ps. 72. v. 17. ex qua voce efformatur verbum ינון שמו ianon semo .i. ante solem filij nomine appellabitur, cui consentiunt illa, dixit ad me filius meus es tu.

## LEVI GHERSOM.

19 *seruus verbis non potest* erudiri Qui suis cupiditatibus inseruit, haud sola verborum ope emendabitur, sed opus erit, vt virga, vel huiusmodi verberetur: sed quando vir prudens erit, ne verbo quidem, aut sermone grauiori opus erit ad eum castigandum, sed satis erit leuis nutus, tenuisq; reprehensio, iuxta illud, plus proficit correptio

hic c. 17. v. 10 apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

20 *vidisti hominem velocem ad loquendum* Cum præcipitē in rebus suis quempiam animaduerteris, qui rem non agat animo composito, & consultatione, maior spes relinquitur ei, qui dementia laboret, quæ sapientiæ aduersatur; is enim stoliditate sua animaduersa consilio in suis negotijs vtitur; sed præceps neminem consulit, cum sibi satis, superq; sapere videatur.

21 *qui delicate nutrit* Cū quis seruo suo, dum adhuc in tenera ætate constitutus est, voluptates, deliciasq; subministrat, haud sperandum

dum futurum, vt is ſeruiat, ſed potius domini vices in dominum ſuſtinere velit. Monemur item ne delicias ſuppeditemus facultati nos ad corporis cupiditates inflammanti, dũ adhuc res in integro eſt, nec diuturnitate temporis vires quæſiuit; cum .n. hanc hominis menti inſeruire oporteat, ſi ita agatur, regnum tandem ſibi, poteſtatemq; auocabit, ac intellectus, qui imperare debuiſſet, in eiuſdem ſeruitutem redigetur.

## Verſ. XXII.

22 a Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignãdum facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. viri furioſi multa ſunt peccata. Syr. iracundus multiplicat peccata.*

## SALOM. ISAC.

22 *Vir iracundus* Hæc vt ſonant verba ſunt intelligenda.
*prouocat rixas* מדון madon .i. Diuinum iudicium in ſe aduocabit.

## A. ABEN EZRA.

22 *vir iracundus* איש אף is aph; ira .n. quod in vultu maxime dignoſcatur hanc appellationem habet.

*qui ad indignandum facilis* בעל חמה bahal chemah .i. Furore percitus: חמה chemah autem .i. furor, eſt ira grauior, vt teſtantur illa iratus rex, & nimio furore ſuccenſus, ira vero eſt, quę in vultu tan- Eſt. c. 1. v. 12.
tum proditur.

## LEVI GHERSOM.

22 *vir iracundus* Qui iræ indulget, in ſe diſſidia, liteſq; excitat ob iræ vehemẽtiam, verbaq; abſurda, ac actiones ab ira expreſſas, ex quo acerbiſſimas calamitates ſubibit; quemadmodum .n. ab ira corpori pernicies, ita animo calamitas affertur; neq; .n. diuina lex hunc ira æſtuantem reuocare poterit ab ijs, ad quę ab ira inflammatur, ex quo ad grauiſſima ſcelera perpetranda adducetur.

## Verſ. XXIII.

22 a Superbum ſequitur humilitas, b & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

VAR.

## VAR. LECT.

a *Chal. elatio hominis humiliat eum.* b *Syr. demisso humilitas honores multiplicat. Chal. qui demisso est spiritu honores diuidit.*

## SALOM. ISAC.

23 *suscipiet gloria* יתמך כבוד iithmoch chauod Animo summissus ad gloriam proxime accedet, illamq. semper fouebit.

## A. ABEN EZRA.

23 *suscipiet gloria* יתמך iithmoch .i. sustinebit. Etiam cum deprimitur sustinebitur, ne honore spolietur. Vel etiam; qui animo demisso est a diuina gloria sustinebitur.

## LEVI GHERSOM.

23 *superbum sequitur humilitas* A superbia vir deijcitur ab eo gradu, quem quis arroganter, absq; meritis arripuerat; id .n. in causa est, vt a magnatibus ab ijs sedibus reiiciatur, in quibus ipsi morantur, maioriq etiam ignominia notabitur, quam par esset, quod clare sensu patet. Qui vero animo demisso est honorem suum abiectione, & modestia animi fulciet, & corroborabit, cum summo in honore a cæteris habeatur, qui etiam eidem prodesse student, quem coram ipsis demisse se gerere animaduertent.

### Vers. XXIV.

24 a Qui cum fure participat, odit animam suam; b adiurantem audit, & non iudicat.

## VAR. LECT.

a *Chal. qui diuidit cum fure.* b *Chal. iusiurandum defertur ei, & non confitebitur. Syr. decernunt super eum, vt det, & non fatetur.*

## SALOM. ISAC.

24 *adiurantem audit* אלה ישמע alah iismah .i. Iuramentum audit; hunc .n. sacramento obstringi curant, an eum videris, qui hoc vel illud mihi surripuit, qui quidem cum communicet cum fure, haud rem prodere vult.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

24 *odit animam suam* Ad mortem .n adigitur ob iusiurandum, cũ furtum nouerit, illudq; euulgare noluerit, iuxta illud, & consumet eam, & ligna eius &c. Zach.5.v.4.

## LEVI GHERSOM.

24 *qui cum fure participat* Qui furti partem capit, animam suam odit, licet aliquam rationem excusationis habeat, a se nimirum haud id abreptum fuisse; parte tamen prædæ admittenda grauissimum crimen incurrit, execrationem enim audiet eius, qui id perspectum habeat, si quod nouit non indicet, qui quidem ob singularem ignominiam, qua se notatum iri animaduertit, si furtum prodat, ab eo euulgando se continet; quamobrem crimini, pœnisque grauissimis est obnoxius.

## Vers. XXV.

25 [a] Qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in Domino [b] subleuabitur.

## VAR. LEC.

*a Chal. calumnia filij hominis accersit ei offendiculum. Syr. iniquitas. b Chal. roborabitur. Syr. magnus erit.*

## SALOM. ISAC.

25 *cito corruet* יתן מוקש ijtten mokes. Desideratur vox aliqua: q.d. ob criminis offendiculum inijci viro timorem. Aliam etiam lubet explicationem adducere ad litteræ sensum. Cum quis se tenacem præbet, formidatq; si eleemosinas liberaliter eroget, se opus habiturum cæteris formidãs, ex huiusmodi pauore offendiculum conciliatur: sed prior expositio magis placet.

## A. ABEN EZRA.

25 *qui timet hominem* חרדת אדם cherdath adam. timor hominis, Est verbum significans tremorem, si est similis illis, & perdet robur cordis eius, quod perinde est ac si dicatur, timor hominis, qui hominem tremitu percellit: hic inquam eidem offendiculũ cõciliat. Eccles.c.7.9.

*qui sperat in domino subleuabitur* ישגב iesugau .i. hunc Dominus a timorem inijciente subleuabit.

Aliter etiam hæc exponito. Dominus eos timore percellet, laque-

isq; implicabit, quos pauperibus irretiendis collocarat.
Et demum hęc ita explanabis. Timore anxium nec in Deo spem suam collocantem quę formidabat mala deprehendent.

## LEVI GHERS.

25 *qui timet hominem* Cum quis illud formidat, quod pauere non oporteat, damnum, laqueosq; sibi cōstruit, vt exempli gratia, cū sce lestus quempiam in via obuiam habuerit, quem animo formidoloso consternatoq; esse animaduertat, ideo inflammabitur ad damnum, perniciemq; eidem inferendam, quem facile se expugnaturum intelligat, atq; multa eiusmodi varia exempla suppetunt.

*qui sperat in Domino* Qui spe firmus Deo hęret, nec ob singularem hanc fiduciam quidquam trepidat, vel leuiter mouetur ijs, quę summopere quauis ratione sint formidanda, is inquam extolletur, cōfirmabiturq; ad hoc discrimen euadendum, vt constat de Dauide, qui Deo fretus est turmis insectandis, a quibus Siceleg igne absumptus fuerat, vt etiam patet de Ezechia quando cum Senacherib rem optime egit.

## Vers. XXVI. XXVII.

26. Multi requirunt faciem principis: & a iudicium a Domino egreditur singulorum.
27 Abominantur iusti virum impium, & abominantur impij b eos, qui in recta sunt via.
Verbum custodiens filius, extra perditionem erit. } *Desideratur in hebreo.*

## VARIÆ LECTIONES.

a *Syr. & a Domino iudicium viri. Chal. a facie Dei.* b *Syr. rectas semitas abominantur.*

## SALOMON ISACIDES.

26 *requirunt faciem principis* Vt ab eo ius obtineant.

*& iudicium a domino egreditur singulorum* Siue is sit inculpatus, siue etiam sit reus. Sermonem autem habet sacer contextus de gentium regibus.

27 *qui in recta sunt via* ישר דרך iesar darech Qui rectam viuendi consuetudinem init.

A. ABEN

## A. ABEN EZRA.

26 *multi* רבים rabbim : Magnates requirunt faciem principis, vt ab eo munera, vel auxilium reportent. Verum a Domino egreditur iudicium dignitatis viri, cum ad illum spectet cum ad honores euehere, tum ab ijsdem deijcere.

## LE. VI GHERSOM.

26 *multi requirunt faciem principis* Multi student principis beneuolentiam sibi conciliare, vt in iudicio rem rite perpendat, sed non animaduertunt iudicium viri a Deo, non a principe pendere: quamobrem id a Deo efflagitandum, ad quem iudicij ius spectat, cum princeps mentem accomodet ijs, quę a Deo pręscribuntur, iuxta illud, sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. hic c. 21. v. 1.

Vel certe innuentur quęstiones illæ, quibus mens sese adiungere nequit, nisi a sacra lege instituatur: inquitq; frustra requiri faciem principis, qui in homine principatum obtineat ad hasce quęstiones euoluendas, cum ita non sit absolutum, ac perfectum viri iudicium, sed id ad Deum pertineat.

27 *abominantur iusti virum impium* Vt profligatus iusto prorsus detestabilis est; ita iniquo rectum iter instituens prorsus est inuisus: quod plane ad sensum patet. Atq; hæc hoc loco adduxisse satis, superq; visum est: quę vero commoda inde percipiantur tenui studio patebunt.

# CAPVT TRIGESIMVM.

Vers. I. II. III. IV. V. VI.

1 Verba Congregantis filij Vomentis. Visio quam
locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait:
2 Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum
non est mecum.
3 Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.
4 Quis ascendit in cęlum, atque descendit? [d] quis
continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas [e] quasi in vestimento? quis su-

ſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen eſt eius. *f* Et quod nomen filij eius ſi noſti?

5 Omnis ſermo Dei *g* ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe.

6 Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniariſque mendax.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. Verba Agur, filij Iachæ, qui ſuſcepit prophætiam, & dixit vir ad Ithiel, Ithiel, & Vcal. Syr. Verba Agur, filij Iachæ, qui recepit prophætiam, & corroboratus eſt, & dixit ad Ithiel b Syr. quoniam egentiſsimus ſum ego cogitationum c Syr. dic mihi d Chal. quis tenuit ventum in pugillis ſuis e Chal. quaſi in pallio. Syr. in ſudariolo f Chal. quis ſtatuit terminos Syr. quis conſtituit validos terræ g Chal. conflatus* adderem interpreti Bibl. Reg. *igne Syr. omnes ſermones Dei electi, & adiuuat illos, qui in eo confidunt.*

## SALOMON ISACIDES.

Salomon appellatur Agur quaſi collector.

1 *Verba congregantis* דברי אגור diure Agur .i. Verba Salomonis, qui prudentiam collegit, eamq; in hoc libro euomuit, ita .n. hæc a ſapientibus exponuntur.

*Viſio* Vaticinium hoc ideo appellauit, quod dictum fuerit ad Ithielem.

*locutus eſt vir cum quo eſt Deus* נאם הגבר לאיתיאל neum haggheuer leithiel .i. locutus eſt vir propter Ithielem: Vir autem hic eſt ipſemet Salomon, qui hoc vaticinium de ſeipſo pronunciauit propter Ithielem, quod nimirum ſapientiæ ſuæ niteretur, ob inſignem auri, equorum, mulierumq; copiam, quæ ne plus æquo ſibi cumularet monebatur. Hæc ergo de ſe vſurpauit Salomon Ithiel .i. eſt mecum Deus. Vcal .i. præualebo: mulierum enim multitudinem mihi parabo, a quibus haud mihi mens eripietur: aurum mihi coaceruabo, nec a meo gradu deijciar: equorum greges poſſidebo, nec Iſraelitas in Aegyptum reducam.

*Et qui Deo ſecum morante confortatus* לאיתיאל ואכל leithiel veuchal .i. propte-

Propterea quod mecum sit Deus, en præualebo. Cum ergo mecum sit Deus, ut res agam, haud vlla ratione offendam. lamed autem vocis לאיתיאל leithiel est caufalis, significatq; propter, ad normam illorũ dicturusq; est Pharao לבני liune .i. propter filios Israel. Exod.14.v.3

2 *Stultissimus sum virorum* Propterea quod meæ sapientiæ nixus sũ in rebus, ob quas Deus dolet, ne noxa incurratur; tum etiam quod sapientiam didicerim, nec sanctorum scientiam adeptus sim, nam constat, me multum addidisse, vel detraxisse verbis Moysis.

3 *quis ascendit* Quis cælos ascendit sicut Moyses:

*Quis continuit spiritum in manibus suis* Quis fauillas fornacis manibus gestauit.

*quis colligauit aquas* Congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, cõgregatæ sunt abyssi Moyse ad Deum preces fundente. Exod.15.v.8.

*quis suscitauit* Quis construxit tabernacula sicut Moyses, quibus cõstitutis vniuersi orbis fundamenta iacta sunt, & omnia orbis extrema. Hæc ita exposita sunt in Pesikata.

*Quod nomen est eius* Quodsi inquias iam eius similitudinẽ expositã patuisse, iam dicito, quodnam sit nomen eius filij, quæ item est familia ex qua ortum duxit, vt cognoscamus quis nam ille sit.

*Si nosti* כי תדע chi thedah. Si nosti quis ille sit, & quomodo nobis timendum non sit, ne illius iussa transgrediamur.

5 *omnis sermo Dei ignitus* Sermo diuinus purus, putusq; est, neque .n. quidquam est conscriptum, quod vsui non sit: ideoq; monitum me voluit.

*arguaris, inueniarisq; mendax* Huius rei te aperte arguit, cũ eiusdem verbis addas, noxam te incurrere, multoq; etiam magis si detrahas. Alludit ad relig. Iudæorũ quæ ne apicem quidem addi vel detrahi sacro textui vnq̃ potuisse autumant.

## A. ABEN EZRA.

1 *Verba congregantis* דברי אגור diure Agur. Fuit Agur Salomonis tẽpore vir integer, doctusq;, eaq; etate maximo in honore habitus, vt ideo eius sapienter dicta in librum suum Salomon contulerit.

*Filij vomentis* בן יקה Bin iakeh. filij Iakeh. Bin autem per chirich perinde excribitur, ac per tserẽ, vt ריב רב ris res, bin nun, ben lailah.

*Visio* המשא hammasa. Vaticinium, prophætia, propterea quod eleuet, extollatq; Deus virum ad huiusmodi munus.

*quam locutus est vir* Hic est Agur, qui ideo dicitur גבר gheuer .i. validus quod eius sapientia late vires acquisiuisset.

*cum quo est Deus* איתיאל ithiel אכל Vcal. Ithiel autem, & Vcal duo fuerunt sapientes viri socij Agur, vel certe discipuli.

*clypeus* מגן Magghen. Mem est addititium, & eam vim habet, quam מגן menaghen .i. pulsans, & sanans.

6 *ne addas* אל תוסף al tosephe. Vox hac composita est ex יסף iasaph, & ספה sapha, quod est peccati additio: id vero aperte testatur secua subscri-

Ne addas ex vi compositi hebraica significat ne crimine te obstringas addendo.

subscriptum Samech: prima porro littera compositæ dictionis est ducenda a מכפי ad normam ירי

Atque ut ad explicationem redeamus, dicendum est huius sapientis dicta in septem partes esse diuisas, quæ omnes ad institutionem, seu castigationem referuntur; singulas uero partes quatuor rebus constare, præter illam, postulaui duo &c. Hęc autem ratio est Rabbinis, maxime solemnis, cum inquiunt quatuor esse hominis affectus, quatuorq; addiscentium conditiones. In hisce autem uersiculis inter se mutuo connexis quatuor elementorum fit mentio, cæli scilicet, quo ignis elementum demonstratur calore, siccitateq, præstans, venti seu aeris, qui humore caloreq; excellat; aquarum quæ humorem frigusq; simul complectantur, terræ deniq; quæ frigidum, aridumque est elementum. Ea porro erit explicationis ratio.

1 *Verba* Vox ista duplici loco vsui est, tum hic verba Agur tum paulo post, verba prophætiæ, non dissimili ratione ab illis, consilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis quasi si quis consuleret Deum. hebr. quasi consilium Dei haberet.

2.reg.c.16.v.23.

*quam locutus est vir* Non immerito dices ab Ithiele, & Vcal Agur rogatum fuisse de diuinæ sapientiæ rebus, hûc vero sese demisisse, & hæc de se protulisse.

2 *stultissimus sum* Quid me rogatis, cum sim mortalium omnium imperitissimus, itaut nec illa sim præditus prudentia, qua quilibet vnus mortalis excellit. Neque vero rerum diuinarum sapientiam, nec diuinam scientiam sum adeptus .i. nullo prorsus sapientiæ, aut scientiæ genere sum imbutus, quis .n. ille est qui cælos ascenderit q.d. quis ea virtute pollet, vt cælorum altitudine superata terræ viscera penetrare possit, cum ita profunda sit. Sed enim nullum ego quantalibet sapientia polleam huiusmodi agnosco. Quis ventos pugillis suis collegit, vt nimirum intelligat auditor, pugillos, manusq; vniuscuiusq; nihil aliud esse quã eas facultates, quibus quisque vult, & intelligit. Q. d. quis ventum colligauit ne perflaret? quis aquas conclusit perinde ac si in nubibus, quæ vestimento similes sunt constrictæ sint, ne in terras defluerent.

*Quis suscitauit* מי הקים mi heKim Quis stabiliuit terminos terræ, ne a sua sede dimouerentur? termini autem sunt extremitates, quæ inter res constitutę sunt.

*Quod nomen* Quodnam est eius nomen, aut eius filij, qui eum prę sua sapientia cognoscat.

*si nosti* Si tu o Ithiel perspectum habes virum, aut filium eiusdem, alterius mihi nomen edissere, qui illum agnoscat. Sensus ergo est. Non tãti sum ipse, vt illum cognoscam, nec aliquis inter res procreatas existit, qui eundem quantalibet sapientia sit excultus perspectum habeat.

*omnis sermo Dei ignitus* צרופה tseruphah igne purgatus, ad sensum illorum

illorum, eloquia Domini, eloquia munda, quæ quidem nihil aliud sunt, quam pręcepta diuina pura instar auri defęcati, inter quę pręcipuum locum obtinet illud, de sapientia timoris Domini, ex quo haud vlli alteri rei præter hanc, vacare licebit. 11.ps.heb.12 v.7.

*ne addas* Quamobrem o Ithiel ne illius verbis quidquam addas, iuxta illud, nec addas quidquam nec minuas. deut.12.v.32

*& arguaris* Ne forte reprehendaris, propterea quod pręceptis negatiuis non obtemperando, noxam subieris.

*inueniarisq; mendax* נכזבת niczaueta Mendacij reus eris, cum alteri sapientiæ operam dabis præterquam illi, quæ circa diuina præcepta versatur: mendacem vero inueniri non dissimilem vim habet ab illis, filij mendaces, qui ideo hanc sortiuntur appellationem, quod diuino sermoni iniuriam faciant. mendacem esse significat iniurium facere. Esai.30.v.9.

Alia etiam explicandi ratio adhiberi poterit.

*Filij Vomentis* Filij Iakeh .i. filij eius, cui populi auscultabant, Dauidis nimirum, propter quem Salomoni Bin IaKeh nomen est impositum, & Koheleth .i. Ecclesiastę. Agur autem est sermo viri cum Ithiele propter mulierum, equorumq; negotium, cum is iactabundus dixisset, mulierum, equorumq greges mihi congregabo, nec e mentis gradu deijciar, sed enim præualebo, cunctisq; superior euadam.

2 *Stultissimus sum virorum* Consilio ergo mutato Ithiel subdit postea, ita me gessi ac qui sapientiæ non est imbutus, nullamque cælestium orbium scientiam habet, constat enim Ecclesiastem in votis habuisse, vt in iudicando absoluere, reumq; declarare nosceret absq; testibus, cum tamen a sacra lege id pręscriptum esset, vt nonnisi ex testium auctoritate, iudicium haberetur Quamobrem dictum est quęsiuit Ecclesiastes verba placita &c. vt nimirum voce e cœlo delapsa sibi responderetur, quod tñ non est consecutus. Vel certe illa, quę ibidem subdidit, sermones rectissimos, ac veritate plenos, inquit propter sacram legem, de qua hic habetur, omnis sermo Dei purus, ne addas quidquam verbis illius &c. Verum ipse haud rem consentaneam postulaui, id .n. expetij, quod a me flagitari nefas esset, quod tamen alijs licebat, ut Moysi qui in cęlos ascendit, & descendit; Aaroni, qui spiritum cohibuit, iuxta illud, & stans inter mortuos, & viuentes; Elię, qui vestimentis aquas cohibuit, Iosue qui firmauit terrę terminos, cum Sol in Gabbaon fixus constitit. Eccl. c.12. v.10. n.c.16.v.48.

*Quod nomen* Quod est eius nomen, cum eius posteritas ad eorum famam, atque doctrinam pertingere non potuerit, ut etiam ipse, qui sum ex eorundem numero.

## LEVI GHERSOM.

1 *Verba congregantis* דברי אגור diure Agur. Salomonem arbitror seipsum uocasse Agur ob ea, quę in hoc libro compræhendit, quemadmo- Quare Sal. appellet seipsum Agur & Vomentem.

madmodum idem seipsum Ecclesiastem appellauit ob ea quæ in Ecclesiastę libro continentur. Agur ergo significat collectionem, & cumulum; se autem filium IaKeh uocitauit .i. euomentem, quod nimirum apud se collectas haberet cogitationes prorsus contrarias in grauissimis quæstionibus, euomereq; uoluerit onerosum pondus cogitationum, quæ ad ueritatis normam exactæ non essent, ut eas reseruaret sibi, quæ utiles essent, ueritatiq; consentirent.

*quam locutus est vir* Narrat autem Salomon se hosce sermones cũ altero qui appellabatur Ithiel, eiusq; altero socio Vcali contulisse.

2 *stultissimus sum virorum* Cum autem præ quolibet mortali inscitus sim, nec humana aliqua scientia in hisce quæstionibus abstrusis imbutus sim, nec ea facultate polleã, ut scientiã sanctorũ adipiscar, eorũ nimirum, qui cælestes orbes sua ui mouent, & cient, maxime difficultates, tricæq; contingerẽt ob ingenij mei tenuitatem in iis quęstionibus, quas infra commemorabo, ijsq; similibus, nisi forte a sacra lege ad eas euoluendas instrueret. Primo .n. dubitare contingit circa id quod apud omnes est uulgatissimum, quod cum ab æthere uires deriuentur, quibus terrena perficiantur; videmus .n. a sole diei conuolutiones, anniq; conuersionem oriri, ex quibus rebus naturalibus mirabilis vis inditur, cæterisq; lunæ orbe subiacentibus; constat etiam a luna in hæc abiecta, & depressa impressiones mirabiles oriri; nec tamen res huiusmodi magis perspicua est in aliquo, quam in altero. Du bitatio ergo est huiusmodi.

4 *Quis ascendit in cælum* Quid ex rebus hisce infimis cælos ascendit, aut quid e cęlo in terras descendit, propter quod terræ cælos cõuenire, hæcq; inter se inuicem consentire apte dicamus, itaut ab ęthere vires in terras consentaneę defluant, ex quibus quæ terræ insunt ad absolutionem perducantur; hæc autem quæstio abstrusa est, maximeq; inuoluta ob varias rationes, quarum difficiliores tantum commemorabo, vt ita sermonis breuitati consulam Prima ergo difficultas est necessarium videri, vt a quo influxus deriuentur ita se habeat reapse, & actu, quemadmodum quod vim illam recipit, in prõptu est, & potentia, vt inquiunt philosophi ad illam recipiendam. Exempli loco erit ignis, qui aliquid quod caloris vim percipere posset haud calefactum reddit actu, nõnisi propterea quod calore ignis ipse præditus sit Quæ cum ita sint, cõstabit illud de quo nulla prorsus ratione dubitari potest, cælestes orbes nulla præditos esse huiusmodi qualitate, quæ ab ijsdem in hæc astris subiacentia dimanent, calore nimirum frigore, humore, & siccitate, ex quo grauissima difficultas oritur, quanam ratione huiusmodi qualitates, quæq. ex iisdem consequuntur a cælestis machinæ viribus ortũ ducant, dimanentue. Altera vero quæstionis in primis abstrusę est difficultas, nimirum vnumquemque sibi persuadere, cum cogitatione quidpiam versarit, rerum diuersarum, quæq. inter se pugnent, diuersa atq. inter se pugnantia

gnantia principia necessario constituta esse: vt ideo necessarium videatur, ordinem quendam, & consensum esse principiorum cum ijs,quæ ab ijsdem deducantur, ex quo quæ ita sunt effecta, vt interire nequeant,haud principia habebunt rerum,quæ intereant,& corrumpantur. Cum ergo necesse sit rerum, quæ non emarcescunt exordia corruptioni non esse obnoxia, illud etiam oportet iudicemus,rerum quæ absumantur, & pereant exordia etiam corrumpi, & euanescere.Id autem in primis dissuadet, eorum, quæ in terris enascuntur,cælestem vim exordium esse; nisi forte certum illud esse statuamus, rerum harum humilium aliquid in celos ascendisse, cui finis, interitusq; sit constitutus, vt cæteris omnibus terrenis rebus, ex quo in terras vires illæ defluant, quod tamen alienissimum est à veritate, vanissimumq; figmentum Quodsi dubitationi huic finem imponere velimus, longissimo sermone opus erit, qui haud hac explicatione contineri posset.Quare satis sint,quæ commemoraui.

*quis continuit spiritum* Hæc est secunda dubitatio,quis .n. cohibuit spiritum,seu animum in manibus cælestis molis &c.

*quis colligauit aquas* Tertia dubitatio est, quis nam ille fuerit, qui aquas colligarit, itaut firmamentum esset in medio aquarum superiorum,quemadmodum in Genesi commemoratur,& a me expositũ est libro bell. Dei, illud .n. est necessarium,vt inter quemlibet cæli orbem corpus aliquod intercedat,quod formam non conseruet suã, id autem aquarum superiorum habet appellationem. Vis ergo dubitationis in eo sita est,quod corpus hoc sublime ijs careat rationibus, ob quas aliquid condensari,congelariq; contingat. Neq; vero consentaneum est,vt ratũ esse statuamus,effectum fuisse orbẽ,ob frigus & calorem,qui ijs orbibus insit, quiq; illorum sit origo,quemadmodum constat de pluuia, quam patet partim ex frigore, partim ex calore coalescere,vt declarabitur in lib. signorum, & prodigiorum. Hæc ergo quæstio abstrusa est,& difficilis. Quodsi hęc latius prosequi vellemus,tũ etiamq; in hac quęstione continetur,quid nimirum sint aquæ superiores,& quęnam sit earum natura,sermone opus esset prolixo.Qui vero,quæ in lib. de bellis Dei perspexerit, nullo negotio huius difficultatis cognitionem assequetur.

Falsissima de animi cõmentatur origine.

*Quis suscitauit omnes terminos terræ*? Est quarta dubitatio, quisnam fuerit,qui terræ certos limites statuerit,itaut pars hæc aperta esset, nec aquis perfusa,vt ita rerum ordine, & natura exigente fieri oportuisset Dubitatio ergo in eo sita est, quod si dicamus, id contigisse ob cælorum influxum, vt philosophus commemorauit, eadem dubia quæ in prima quæstione difficultatem faciebant,hoc loco firma, solidaq; erunt. Illud præterea accedit, quod tum in lib. de bellis Dei, tum de cælo, & mundo explicatum fuit, si sentiamus id astrorum viribus tribuendum, si inquam ita se res habeat, necesse erit,vt terra prorsus exposita, & aquis nudata sit secundum or-

tem integrum, cum astra circa terras gyro absoluto, & integro circumvoluantur, cum tamen constet nobis terram nonnisi ad duodecim plagas apertam esse, vt a Ptolomęo commemoratur quod declaratur ex ijs eclypsibus lunæ, ex quibus Orientis, Occidentisq; accolæ rem perceperunt. Et deniq; haud potest sapiens horum causam assequi, nisi auxilium sibi deposcat ex ijs, quæ a sacra lege quoad huiusmodi sunt recensita.

*quod nomen est eius aut quod nomen filij eius* Vocat autem causam huic agenti proximam filij nomine, quod hæc originem trahat ab altera superioris ordinis: Quare is erit verborum sensus. Effare quęso, quænam in hoc negotio sit agens causa. Quodsi inquias causam hanc nonnisi alterius opera agere, nomenque sortiri congruum, cum ex ea rerum vim deriuari consentaneum sit, vt ex ipsa vi nominis patet; nec deficere exempla in huiusmodi nominibus, cum dicamus hominem a Deo procreari opera intellectus agentis; ab intellectu autem agente eundem effici opera virilis, fæmineique seminis ad huiusmodi procreationem, actionemque accommodati, vt constat in naturalibus, contra vrgere licet in hisce dubijs recensitis haud nomen imponi posse agenti, vel eiusdem soboli, itaut ex eo huiusmodi res existere apte queat. Quamobrem necesse erit, vt has cogitationes dubitationibus implicitas hisce nominibus appelles, diuinoq; sermoni tum sacræ legis, tum prophætarum nitaris, ex quo veritas harum rerum patebit, ob quę dubitatio incidit: a quo item dubitanti satisfiet, quoad ea, quæ de mundi molitione recensentur, neq; .n. opus erit deinceps vt cuiusuis generis causas inuestigemus, quæ de rebus intra naturæ fines constitutis soleant assignari, quod a me diserte explanabitur lib. 5. de bellis Dei.

5 *omnis sermo Dei ignitus* [illegible] tseruphah .i. Scorijs expurgatus est sermo diuinus, purusq. est eorum, quib. ad res super vacaneas adducamur.

*clypeus est sperantibus in se.* Eos .n. seruat ab erroribus, & ab huiusmodi rebus tuetur, quas hoc loco animaduertere licuit: error autem in hisce hominem arcet a vera felicitate: quapropter in sacra lege, & prophætis iacta sunt horum semina, & fundamenta.

6 *ne addas* Ne diuinis verbis quidquam addas; ita .n. illa intelligenda sunt, & penetranda, vt haud necesse sit aliquid addendum iudicare. Quodsi in diuinis verbis attentum studium collocare neglexeris, itaut illud a te prorsus reijcias, cum huiusmodi vacare nolueris, atq; ita ea explices, vt vocem aliquam, vel plures desiderari affirmes, deterrebit fortasse cæteros, arguetq; exemplo, ne ita se gerant, ob grauissimas calamitates, exitiumq; quo pressus fueris, ita vt mendax, vanusq; reperiaris rebus omnibus expoliatus.

Vers.

## Vers. VII.VIII.IX.

7 Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar.

8 ª Vanitatem, & verba mendacij longe fac a me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, ᵇ tribue tantum victui meo necessaria,

9 Ne forte satiatus ᶜ illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & ᵈ periurem nomen Dei mei.

## VAR. LECT.

*a Chal. detractionem. b Chal. enutri me pane sufficienti mihi. Syr. da mihi habitationem sufficientem. c Syr. mentiar. d Chal. violem nomen Dei.*

## SALOM. ISAC.

7 *duo rogaui* Hunc sermonem conuertit ad Deum.

8 *mendicitatem* ראש res .i. inopiam, & egestatem.

*tribue tantum victui* הטריפני hatripheni. Ciba me, & ale, nam vox hæc alere significat; iuxta vim illorum, escam dedit timentibus se. l. 110. heb. sp. 111. v. 5.

9 *ne forte satiatus* ne forte ob diuitias ex saturer:

*illiciar ad negandum &* Deum ipsum abnegem superbia incredibili elatus. Quænam vero est hæc abnegatio, vt nimirum Inquiam, quis est Dominus, quod idem sonat, ac non est Deus.

*& periurem* ותפשתי שם taphasti sem Sacrosanctum illius nomen periurare in vsu habeam.

## A. ABEN EZRA.

Hi tres versiculi copulantur inuicem, suntq; ad Deum preces fundentis verba.

8 *vanitatem* שוא sau, quod mendacium significat.

*verba mendacij* Ne sim inique periurus testis.

*& diuitias* Particula & pro vel.

*tribue tantum victui necessaria* הטריפני לחם חקי hat ripheni lechem chuki Ale me pane statuti mei, seu demensi Verbum autem הטריפני hat ripheni desumitur ex illis, & sit טרף tereph .i. cibus in domo mea. malach. 3. v. 10.

*necessaria* 'pn chuKKi, .i. Suppedita id quod mihi consentaneum sit, & opportunum, vt eo vitam transigam.

9 *dicam: Quis est Dominus?* Quod quidem perinde est, ac si diceret: haud ego Deum agnosco.

*& periurem nomen Dei mei* 'nvaw assumam Quando iusiurandum exigetur a me ob rem furto sublatam, nomen Dei mei peierabo idem in testimonium falso assumens: hatephisa autem nihil aliud est, quam diuini nominis commemoratio.

## LEVI GHERSOM.

7 *Duo rogaui* Hæc inquit Salomon Deum allocutus Duo a te postulaui, quæ rogo ne mihi deneges antequam vitam obeam, cum haud liceat mortali vita functo perfectione aliqua virtutis se cumulare, sed tantum dum inter viuos degit.

8 *vanitatem, & verba mendacij longe fac a me* Illud te rogo, ne res futiles, mēdacijsq; inuolutas adipiscar, quo perturber, ac semper incertus hęream in meis studiis; tum etiam ne operam collocem in rebus vanis, quæ merum sint figmentum & chimęræ, vt si quis studium impenderet in id, quod nullibi existeret, vt vacuum. Innuere autem videtur voce vanitatis quod mendacium sit, & figmentum; verbis vero mendacij quod inane sit, & futile, aut e contra. Contingit autem mortalem studium impendere in id, quod nullibi reperiatur, q; sibi certo persuadeat id existere, seu quod a propria opinione verisimili decipiatur, seu quod falsa narrentur, seu deniq; quod huiusmodi opinionem ab alijs hauserit.

*Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi* Hęc est altera petitio, ne scientię inopem me esse velis, ne nimirum ea prætermittam, & negligam, quæ mortalis assequi possit. Nec etiam me diuitijs sciendi cumules, vt nimium ad id me conuertam cognoscendum, quod hominis vires superet: sed tantum cibum consentaneum impende intelligendi facultati, itaut nec desit, nec supersit. Atque equidem insignis in primis grauisq; est postulatio, quam inter infinitam multitudinem virorum nemo est qui obtineat. In quo quidem necessarium in primis est, vt quilibet mortalis rerum cognitioni vacans, sedulo operam collocet.

*ne forte Satiatus* Ne forte ea curiosius inuestigem, quæ uiribus meis sint inparia, & inquiam, quis est Dominus .i. quid est Deus? cuius quidem cognitio huiusmodi est, ut solimet Deo reseruetur. Cum ergo huic inuestigationi curiosius uacabo, eo adducar, ut Deū negem, Deumq; mihi fingam ex rebus quæ non existant. Cum pariter Deo, quod nō est affingam, eo adducar, ut eū negē, aliūq credā.

*aut egestate compulsus furer* Ne etiam forte ad inopiam redigar, eamq; prætermittam inuestigationem, quę intra mortaliū uires continetur, ex quo nō constabit mihi, necessarium esse, Deum esse, qui res uniuersas effecerit: Illud pręterea mihi continget, quod ob huiusmo-

Iusmodi contemplationem abiectam, ut Deum e medio tollam; Deumq; reperiri inficier, vt Epicurus, eiusdemq; sectatores opinabantur; illudq; mihi persuadeam, diuinum tamen nomen violari, cum quod Dei appellationem habet, nominis solam vmbram præse ferat, nec vllus vllibi sit Deus, qui quidem est omnium grauissimus error, quiq; maxime ad exitium propellat, propterea quod plus æquo quis sapere voluerit.

## Vers. X.

10 [a] Ne accuses seruum ad Dominum suum, ne forte maledicat tibi, & [b] corruas.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. ne prodas. b Chal. reus peragaris.*

## SALOMON ISACIDES.

10 *Ne accuses seruum* Ne viro iudicium inducas, ac de eo apud Deum conquer aris, sit licet ille sceleratus, parenti suo extrema fuerit imprecatus, cæteraq; horrenda perpetrarit hoc loco recensita, ne forte Deus tibi maledicat. Quod ita esse aperte testatur Hoseas filius Beeri, vt habetur in Phesachim, qui cum Israelitas accusasset, inquiens, muta eos in aliam gentem, Deum audiuit dicentem sibi, sume tibi vxorem fornicationum. Hosea c. 1. v. 2.

## A. ABEN EZRA.

Hoc versiculo a fraude facienda cauendum monet; mentionemque facit serui, qui effugiat, quæ est omnium fraus grauissima.

10 *Ne accuses* אל תלשן al tallen. Ne reueles, linguaq; tua demonstres seruum fugitiuum, qui ab idolatris fugiens sese in terram Israel receperit, vt proselytus euaderet ne domino suo restituatur, iuxta illud non trades seruum domino suo, qui ad te confugerit: habi- deut. 23. v. 15 16.
tabit tecum in loco, qui ei placuerit.

*apud Dominum suum* Haec vtraque dedecent, tum ne tradas seruum ad te confugientem, tum etiam, vt ibidem commemoratur, ne eundem apud Dominum suum querelis oneres.

*& corruas* ונאשמת nosamtha Reus eris criminis, quod ad te confugerit propter Dei gloriam, vt sub illius patrocinio tutus esset.

Castigatio.

Ne Forte quando lex Moysis efflorebat admittenda expositio. Ea abolita absq; dubio repudianda.

## LEVI GHERSOM.

10 *Ne accuses* Illud etiam secundo monere prosequitur de sacrilegis uerbis, ne scilicet quis in illius studio labatur, incertusq; erret

eiusdem

eiuſdem legis ſermonibus fretos. Cum ergo ſacra lex ſit tanquam Dei ſerua, cum illi obſequium deferat, vt per eandem mortales virtutum abſolutione cumulentur, monet Salom. ne opinionum erroribus mortalis inuolutus, id legis affingat verbis; hoc n. perinde eſt ac ſi quis ſeruum apud eiuſdem dominũ criminis inſimularet, oblatrans, ſe ab eius ſeruo in errorem pertractũ fuiſſe: ſubdit autem ſi ita te geras, futurum vt a domino diris deuouearis. a Deo nimirũ te ad exitium, extremaq; propellente, proptereaquod eiuſdem legem parui feceris.

## Verſ. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

11 Generatio, quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri
ſuæ non benedicit.
12 Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non
eſt lota à ſordibus ſuis.
13 Generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ
eius [a] in alta ſurrectæ.
14 Generatio, quæ [b] pro dentibus gladios habet, &
[c] commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.
15 Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, [d] dicentes: Affer, Affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod numquam dicit ſufficit.
16 Infernus, & [e] os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur
aqua: ignis vero numquam dicit ſufficit.
17 Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit
[f] partum matris ſuæ, [g] effodiant eum corui
de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. palpebræ eleuatæ. b Chal. cuius dentes ſunt ſicut gladij. c Chal. et molares vt cultri, ad comedẽdũ Syr. & molares ſunt cultri. d Syr. filiæ dilectæ. Chal. datæ.* Sed neſcio quomodo interpres in Bibl. regijs hanc admiſeret interpretationem, nam כתכתן id non ſignificat *Placet vero præclariſsimi, & antiquiſsimi*

*quiſsimi codicis Syri Bibliothecæ Ambroſianæ lectio, habet enim* חביב *Neque verò abſre erit ſi aliqua de Ambrobroſiana Bibliotheca hoc loco inſeram. Cum Illuſtriſs. Card. FEDERICVS BORROMAEVS, neſcio an æquius litteratorum principem, quam Mæcenatem appellem, ad reuocandas in Italiam litteras longe admirabilem Bibliothecã conſtruxiſſet, viros in pleriſq; ſcientiarum, & linguarum generibus verſatos adiunxit, quos Ambroſiani Collegij Doctores appellari voluit, inter quos pro ſua incredibili benignitate me etiam prorſus immeritum adſcribi non eſt adſpernatus. Ne ergo apparatus aliquis librorum deeſſet tum Doctoribus, tum cæteris vniuerſis (eſt .n. Bibliotheca publici iuris, & ſingulis diebus accedentibus patet) impenſis potentiſsimis regibus plane paribus, ex vniuerſo pene orbe conquiſiuit libros omnes eruditiores, & obtinuit, itaut Oriente etiam penetrato theſauros doctrinæ in Biblioth. adſportari curarit. Inter huiuſmodi extat ex intima Aegypto aduectus venerandæ antiquitatis codex Syrus, in quo vniuerſum Teſtamentum vetus continetur; qui ob præclariſsimas varias lectiones plurimi faciendus eſt, & à me in varia lectione horum Prouerbiorum adhibitus. e Chal. conſtricta vulua f Syr. ſenectam. g Chal. diffident eum.*

## SALOM. ISAC.

13 *generatio, cuius excelſi ſunt oculi* Hæc demonſtrant ſuperbia intumeſcentes.

14 *pro dentibus gladios habet* Pro dentibus, qui extrinſecus cernuntur.

*molaribus* Hi ſunt dentes in intima parte ſiti.

*commandit* מאכלות maachaloth. cultri .i. molares eius ſunt cultri.

15 *Sanguiſuga* עלוקה Haluka Iuxta interpretationem Menachẽ vt ſonat vox hæc intelligenda, & erit vox Arabica. Alij uero eandem interpretantur eſſe ſynonimum Sceol .i. inferni, & deſcenſus; ita autem

autem in Commentarijs allegoricis psalmorum interpretatum reperimus, duas filias reperiri, gehennam scilicet, & hortum deliciarum, quorum altera assiduis vocibus sceleratos, alter vero iustos sibi deposcat.

*sufficit* הן hon .i. multum est nobis.

16 *os vuluę* עצר רחם Hetser racham V iri cum muliere concubitus declaratur.

17 *despicit partum matris suæ* יקהת אם ijkehath em .i. qui despicit rugas, quæ in matris vultu coaceruatę coaluerunt, nam יקהת yKkehath collectionē, aceruūq; significat, & deducitur ex illis יקהת עמים
Gen.49.v.10 ykehath Hamim .i. populorum congregatio vbi littera iod necessaria est ad nominis huius integritatem, vt in voce יפעת iphhath, & יעלת iahlath.

*effodiant* יקרוהו ijkKeruhu .i. suffodient eum, quæ eandem vim habet, quam an oculos nostros vis eruere? Gall. forgar. coruus ergo
num.16.v.14 aduolabit, sæuus etiam in suos fœtus, qui oculos effodiet, illos nec vorans, nec ad aliquos vsus adhibens.

*comedant eum filij aquilæ* Aquila vero, quæ in suam sobolem pia est huiusmodi oculos vorabit, inq; suos vsus trahet. Coruus .n. sæuus est & crudelis, iuxta illud, pullis coruorum inuocantibus eum &c.
ps.147.v.9. aquila vero pia est, & benigna, iuxta illud, sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

## A. ABEN EZRA.

11 *generatio quæ patri suo maledicit* Huiusmodi genus eas contra-
v.16. het sordes, quæ dilui nequeant. Quatuor hi versiculi, quoad explicationem coniungendi sunt cum ijs quatuor, quæ nunquam saturari queunt, quod aperte probat, cum hic habeatur generatio quæ patri maledicit, deinde subdatur, oculum qui subsannat patrē.

15 *sanguisugæ* לעלוקה lahaluKa Vox hæc prauitatem, peruersitatemq; significat, scribiq; oportuisset עקולה Hakula .i. peruersa, iux-
Abac.c.1.v.4. ta illud משפט מעוקל mispat mehuKal iudicium peruersum, & iniquum, litteræq; transpositæ sunt, vt כשב cheseu כבש cheues, illæ vero voces duo, & tria producendæ orationis gratia sunt vsurpatę.

*filiæ* .i. casus, seu euentus, quod a Deo ortum habeant, cuiusmodi significationem habeat בנותיו benothau .i. eius euentus.

16 *sufficit* הן hon Nomen est, diuitiasq; significat. Vel etiam si aliter velis explicare, vim facultatemq; significabit, vt magna prędit us es facultate.

Gen.49.v.10. 17 *partum matris* יקהת ikhath societatem, coniunctionemque significat, eandemque vim habet, quam illa יקהת עמים iKhath hamim q d. qui matris societatem, consortiumq; adspernatur.

Hæc

Hæc ergo vniuersa hac ratione recte explicabis. Est genus quoddam, quod parentem suum diris deuouet, quem tamen summo in honore habere deberet; idemq; matri suæ non benedicit, quæ lac sugendum præbuerit, honoremq; sibi, & faustas precationes demeruerit. Est & aliud genus, quod sibi labe carens, gloriosûq; videtur, nec tamen a sordibus suis lotum est. Hoc ergo si corporis sui sordes abluere nequit multo minus ab animi impuritate, & impietate purgari põt, & se tamen purũ, piumq; arbitratur. Hoc autem loco superbia elati innuuntur. Est tertium genus, cuius dentes gladij sint, cum pauperes vi, fraudeque opprimat Est deniq; generatio peruersorum, seu obliquum iter ineuntium, quod quartum genus efficit. Verum non desunt quatuor soboles, seu pænæ quibus a Deo plectantur; est enim Pro sanguisuga, peruersitatem exponit.

*infernus* In quem deijcitur primum genus eorum, qui parentibus suis maledixerint, qui quidem immaturæ mortis pæna punientur, iuxta illud, qui maledixerit patri suo, vel matri morte moriatur. Alteram pænæ ratio est Exod. 21. v. 17.

*os vulua*. i. vuluæ constrictio, nam vuluam adstringet, ne prolem suscipiat propter illud hominum genus, quod scortationis labe laboret, qui quidem sobole, & posteritate carebunt. Tertia pæna est

*terra qua non satiatur aqua*, Quod nimirum cum terra destituta sit pluuia semina exarescant, atq; ita superbi, & fastuosi fame deprimantur. Est *ignis*, qui ab æthere quandoq; demittitur, ut absumat eos, qui pauperes ad exitium peruim, & fraudem adigunt, ut constat de igne, qui in huiusmodi descendit per Eliæ ætatem, iuxta illud, & exiuit ignis a facie Dei. Vel etiam pro igne immoderatum calorem, æstumq; intelliges instar ignis exurentem, quando pluuiæ imbres denegabuntur.

17 *oculum qui subsannat* Altera uero uice parẽtes cõmemorat, cũ qui eos subsannant, & diris deuouent cæterorum omnium sint sceleratissimum genus: oculis autem deludentis patrem a quo corrigatur, cõsuetudinemq; matris a qua erudiatur adspernãtis, plaga, perniciesq; inferetur; nam effodientur ij a fluuialibus coruis, qui nec fætuum suorum miseratione mouentur, ijdemq; ab aquilis uorabuntur; itaut sepulchro inferri nequeant, è contra qui parentes suos honore afficiunt ad multam ætatem uitam producent.

*filij aquilæ* Quod pietate erga parentes, fætusq; suos excellant.

## LEVI GHERSOM.

11 *generatio, qua patri suo maledicit* Quæ autem ante commemorauimus exemplis declarans inquit, eum qui criminose se gerens sacri contextus uerba uitiose intelligat, comparandum ei, qui parentes suos, a quibus in lucem editus, educatusq; fuerit infaustis precationibus prosequatur, nec eis consentaneum honorem exhibeat; idem .n. plane contingit in sacras litteras obliqua ratione studium suum collocanti; si .n. sacræ legis sermonibus debitũ honorem

impenderet, studiosus eorum cognitioni vacaret, erroresq; vitaret, qui quoad sacra verba contingere possunt: sed enim diuinam legem is flocci facit, licet innumerabilia prope bona, quoad rectam morũ, sciendiq; institutionem ex ea deriuentur, itaut ab eadem alatur animus, eaq; alimenta iugiter subministrentur, quibus vitam nullis terminis definitam consequatur.

12 *generatio, quæ sibi munda videtur* Similitudine vero vtens, inquit de eo qui res inanes, mendacijsq; inuolutas studio persequatur, similem videri generi illorum, qui sibi ipsis labis expertes videantur, cum tamen a contaminationis sordibus non sint abluti, quibus & turpes sunt, & cæteris ad eosdem accedentibus fœdissime olent; idẽ .n. est iudicandum de re inani, & futili; nam hæc, & quę mendacio subest vt sunt animi esca, e marcido corporis cibo comparantur, quando quis illo vescatur; quæ vero superuacanea sunt, & indigna, vt in escam adhibeantur, sordes sunt, & inquinamenta. Cum autem animus scientia alatur, veritatem admittens mendacia reijcit, quibus ali, sustentariq; non deceat.

13 *generatio, cuius excelsi sunt oculi* Comparat autem eum, qui plus æquo sapere velit, eaq; consectetur, quæ assequi non liceat generationi fronte perfricata, generationi inquam elato supercilio incedenti; cum modestus vir, pudoremq; seruans secus se gerat: cum autem turpis hæc in primis, fædaq; superbiæ consuetudo ad grauissima crimina nos propellat, ita pariter in scientijs maximos errores, piaculaq; parit, vt antea declaratum fuit.

14 *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet* Illum etiam, qui per Dei sui nomen, inops mentis, diuinæq; dignitatis prædo periuret, illorum generi comparat, quorum dentes sint tanquam gladij, quibus res discindantur, & effringantur, & cibi, quiq; molaribus sint instructi, quibus pauperes commandantur, atq; e medio tollantur, miseriq; ex hominum genere aboleantur: ille .n. non dissimili modo scientiam vniuersam demolitur, cum prauis, & vitiosis eiusdem opinionibus facile in errorem propellamur. Quare a sapientibus maxime est alienum, vt huiusmodi exitiosis opinionibus lædi se patiantur.

15 *sanguisuga duæ sunt filiæ* Exagerans autem quam auide, copioseq; alimenta deglutiat, opinionumq; suarum a veritate aborrentium vi permultos mentis indigos in exitium trahat, itaut nunquã satiari queat, inquit duas esse filias hirudinis, nam עלוקה haluKah est vermis qui gall. appellatur artogim, qui humanum sanguinem exsugens, nunquam saturatur, mirumq; in modum eo repletur, moxq; decidens sanguinem euomit. reditq; subinde ad se replendum nunquam ita saturandus Vnumquodq; igitur horum trium, quæ dicũt, affer, affer, satiari nunquam poterit.

*Tria sunt insaturabilia* Tria ergo sunt, quorum satietati nunquam satis-

satisfiat,quartumq; etiam accedit,quod nunquam inquiat.satis est.

*infernus* Hæc est prima materia, quæ quidem comparatur omniũ infimæ,cæterisq; supposite parti,quod extremũ inter elementa obtineat locum,prorsusq; sit natura sua manca,& imperfecta,quod plane patet,cum non satis sit illi forma aliqua exornari, nisi alias subinde mutet.

*os vuluæ* Hæc est prolis in vtero susceptio, tunc .n. in aluo semen concluditur, vuluæq; os adstringitur; verũ huius auiditati a natura inditæ nunquam satisfit, cum semper nouam prolem suscipere appetat.

*terra* Terra etiam nunquam aqua saturari potest, a qua germina alantur, si quando .n. pluat, alio adhuc imbre subinde indiget, qui quidem est perpetuus quidam ordo, qui nunquam intermittatur. Vel etiam mens horum erit, quæ mihi verisimilior etiam videtur, semper esse aquas in terræ imis receptaculis, ventreq. itaut nunquam recedant,quin terræ venas,fontesq, permeent.

*ignis vero nunquam dicit sufficit* Quartum vero est, quod maxime simile sit ei, quod per similitudinem adumbratur, ignis nimirum, qui ideo sigillatim a cæteris discretus fuit,quod nunquam dicat,satis esse quodcunq, sibi assidue apponi cõtingat, quod possit absumi. Pari autem ratione exitiosa huiusmodi opinionũ portenta, quæ ob cognitionis,scientiæq. tenuitatem inducuntur, nũquam ab hominũ generi infligenda calamitate desistunt, itaut quicunq. scientia careat,idcirco erroribus inuolui necesse sit.

17 *oculum qui subsannat patrem* Cum ergo comparationem hanc absoluisset aliam deinde repetit,quoad eum,qui in sacræ legis mente assequenda errorib. obruatur, propterea quod eandem contemnat, quem quidem paulo ante æquarat generi illorum, qui parentibus suis extrema imprecarentur:inquit ergo oculum mentis,qui patrem sannis insectetur, sacram nimirum legem, matrisq; adsperneturcollectionẽ,quæ nihil aliud sunt quam sacrę litterę,cũ nimirum haud rite conetur intelligere, quid consequatur ex singulis verbis atq; ex aceruo verborum legis,eorumq; ordine,quæ quidem inuicẽ sibi consentiant ex quo fit in veritatis sensu percipiendo labatur fędissime, huiusmodi inquam oculum volucres raptu viuere assuetæ effodient, quæ velocissimo volatu circumferuntur, quod nimirum hic v. to. extrema repentino casu sit subiturus, vt ostendunt illa, ne forte maledicat tibi, & corruas: pertinent autem hæc per similitudinem ad eum, qui paruipendat sacrorum voluminum verba, itaut in ijs erret, haud animaduertens, quænam sit semita, ob quam in huiusmodi errores fuerit adactus.

## Verſ. XVIII. XIX. XX.

18 Tria ſunt ᵃ difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.
19 Viam aquilæ in cælo; viam colubri ſuper ᵇ terram; viam nauis in medio mari, & viam viri ᶜ in adoleſcentia.
20 Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malū.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. abſcondita: b Syr. ſuper petram. c Chal. in virgine. Syr. viam viri in iuuenta.*

## SALOM. ISAC.

18. *ſunt difficilia mihi* נפלאו niphleu .i. occulta, inuolutaq. mihi ſunt poſtquam ab oculis meis ſubtracta ſunt, neq. .n. quo abierint conſtat mihi, cū maxima celeritate ab oculis meis ſeſe ſubduxerint.

20 *tergens os ſuum* מחתה machatah Vox hæc os inclinare ſignificat, iuxta illud, & demiſit os ſuum, & vertit ſuper faciem ſuam. 4. reg. c. 21. v. 13.

*quæ comedit* אכלה achelah. Ratio honeſta loquendi in ſacro contextu.

## A. ABEN EZRA.

18 *difficilia mihi* נפלאו niphleu .i. abſcondita ſunt.

19 *os tergens ſuum* מחתה machatah, Vox hæc eandem uim hoc loco habet, quam ibi, מחיתי machithi .i. deleui ut nubem iniquitates tuas: Isai. 45. v. 22. Hæc autem uniuerſa ita explicanda ſunt. Quatuor hæc ita me latent, ut ea ſapientię meę uiribus aſſequi nequeā, me namq; fugit, qua ratione aquila in ſublimes cęlorum plagas euolet, ignara ubinam terrarum quietem ſit repertura: tum etiam quomodo coluber ſuper petram repere queat pedibus carens, haud conſcius ubinam loci quietem ſit habiturus: ignoro etiam uiam nauis inter fluctus diſcrimen ſubeuntis, dum in altum progreditur, prorſus neſcia ad quā plagam a uentis ſit deferenda. Ad extremum non percipio uiam uiri בעלמה behalmah .i. in adoleſcentula, quomodo nimirum uir in adoleſcentula ſcortetur, nihil Deum ueritus, præceptoq; de cauenda ſcortatione contraire audeat, nihil proſpectans, quid ad extremum ſibi reſeruetur.

20 *talis eſt via mulieris adulteræ* Illud pariter mihi non conſtat, quo-

quomodo scortũ nullo Dei timore agatur, mulieres enim viri voce comprehenduntur, itaque se gerat, ac si cibum sumeret, eundemq; ab ore abstergeret, ne illum comedisse quis animaduerteret; cum enim uiris sui copiam facit, negat, impudiceque iactat, haud se flagitium admisisse. Ex quo homini ab ea cauendum est. Alia etiam explicandi ratio est accomodata. Ignoro viam aquilæ, neq; enim aquila vestigium relinquit, ex quo intelligas vnde prætererit, quæ quidem omnia non dissimili ratione ab vxore impudica facile præstantur, hæc .n. scelus occultat marito. Salomon vero in hisce versiculis primo de duobus loquitur, tum de tribus, & denique de quatuor.

## LEVI GHERSOM.

18 *tria sunt difficilia* Tria sunt, quorum viam assequi nequeam, cũ nullum in itinere agendo post se vestigium relinquant. Eiusdemq; prorsus rationis est quartum, quod etsi turpissima sui vestigia relinquat, a me tamen percipi nequeat. Prima igitur est aquilæ via per aeris tractus permeantis, cuius volantis nulla semita relinquitur, cum ad prædam faciendam ea ferri soleat. Altera vero est via colubri super saxum incedentis; nec enim in lapide semita dignoscitur, quam is presserit; verum eius via ad nocendum, exitiumque inferendum spectat, vt moris est serpentum Tertia autem est nauis via in altum prouectæ, nec enim constat, quo itinere incesserit cum submersa fuerit. Postrema deniq; est via viri בעלמה behalmah .i. in muliere nupta, cum nimirum illa vetito concubitu se fædat, id deprehendi in eadem non potest, sed remanet fouea hoc iter ineunti, vt cum fædissime se quis cum muliere commiscuerit, quæ in primis pulchra mulier, charaque erat, turpissima videatur: quod idem contingit mancam, vitiosamq; rationem quoad sacras litteras intelligendas amplectenti; cum .n. quis ita studens turpitudinem vitiumq; deprehenderit, quæ in maximo precio habebat, nullius momenti, abiectaq; arbitrabitur.

20 *talis est via mulieris adultera* Eadem de causa mulierem hanc nuptæ scortāti compa rauit, quæ adult erata, abstersisq; verendis a se flagitium vllum admissum inficietur.

## Castigatio.

Caue facile credas A. ABEN EZRAE, & LEVI GHERSOM vocem עלמה innuptam, fædatamq; significare exponentibus. sed consule D. Hier. Iansen. & alios auctores, qui illam fuse explicant tum hoc loco, tum Isai. cap. 7. v. 14. licet non desint aliqui doctissimi ex nostris, qui interpretes Hebræos sequantur, illud sibi persuadentes ex hoc loco nihil imminui vim testimonij Isaiæ capit. 7. v. 14.

Vers.

## Verſ. XXI. XXII. XXIII.

21 [a] Per tria mouetur terra, [b] & quartum non poteſt ſuſtinere.

22 [c] Per ſeruum cum regnauerit, per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo.

23 Per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta: per ancillam cum fuerit hæres dominæ ſuæ.

## VAR. LECT.

*a Chal. cõmouetur. Syr. ſub tribus nutat terra. b Syr. propter quartum. c Chal. propter. d Chal. propter odioſam, quæ fuit viro. e Syr. propter ancillam, quæ eijcit dominam ſuam.*

## A. ABEN EZRA.

21 *per tria mouetur terra* Propter tria contremiſcit, quatiturq· terra .i. terræ incolę.

22 *per ſeruum* Propter ſeruum nimirum, cui a Deo in eoſdem imperium ſit conceſſum, ob ſcelera eorundem, qui nulla vſpiam miſeratione moueatur: ob huius ergo imperium populi contremiſcunt.

*per ſtultum* Stultus ergo in imperij ſede ad eorum crimina plectenda collocatus, cum ſaturatus fuerit, inſolenter ſe geret, & arrogãter.

23 *per odioſam mulierem* שנואה ſenuah Propter mulierem quando nuptui tradita fuerit, tunc .n. odio habebit eos quibus inuiſa fuerat a quibuſq. refugiebatur, cum eandem ad huiuſmodi ſtatum deueni-re non libenter ferrent, ideoq. ijdem metu percellentur. Quare non immerito affirmabis, huiuſmodi mulierem ad hanc connubij conditionem prouectam, nonniſi ob hoſtium ſuorum ſcelera.

נבל naual eſt verbum ſignificat arroganter ſe geſſit, vel ſe nebulonem in agendo præſtitit.

*per ancillam* Propter ancillam, cum dominæ ſuæ hęres euaſerit, in eandemq. imperium exercebit, ita dominę criminibus demerentibus. Conſentaneum igitur eſt, vt in primis crimina refugiamus, ne abiecti, & viles in nobilitate inſignes imperium habeant.

## LEVI GHERSOM.

Parabolicos etiam inquit de ijs, qui in ſtudijs ſuis vana, fallaciq. ſemita incedunt, propter tria terram contremiſcere, quin imo propter quatuor non poſſe ſuſtinere, nimirum propter ſeruum,

quando

quando regnum obtinebit, quem omnino regnare dedeceat, quemadmodum alienum est mendacium, & vana primas tenere, atq; in intelligente facultate sedem collocare, cum oporteat in primis illud reijci, amandariue, ita ut in animum sola veritas penetret. Mendacium ergo est tanquam seruus, qui ad veritatem expiscandam inseruire debeat: deinde vero commouetur terra propter nebulonem, qui rerum inanium societatem studiose sectetur, quando pane fuerit saturatus, neq. .n. rem ita transigi congruum esset, cum æquũ sit ex huiusmodi instituto eũ ad egestatem redigi, ita vt alimentis, vesteq. careat, iuxta illud qui sectatur viros inanes, replebitur egestate; neq. n. vllum laborem in humanis negotijs adhibet: idem pariter sentiendum est de re inani, & mendacio, quæ inter res vniuersi haud connumeranda sunt, cum nullibi gentiũ existant. Tertio autem cietur terra ob mulierem odiosam, quando nupta fuerit, cum haud oporteat virum illam vxorem habere, quam odio prosequatur, quod non dissimili modo iudicandum est de mendacis, reiq. futilis necessitudine cum intelligente facultate, quas hæc summopere detestetur.

Quartum vero est, cum ancilla dominę suę hæreditario iure locum obtinet, hæcq. seruę vices obtinens eidem ancillatur, quod idem est negotium intellectus cum mendacio, & rebus commentitijs, opinio .n. mendacijs inuoluta est tanquam mancipium quoddam veritatis, vt commemorauimus, operæ precium autem esset, vt intelligens vis veritatis hęreditatem adiret, ancillę societate reiecta, necessitudineq. repudiata ob quã ad exitiosam quãdã rationem intellectus propellabatur ob mendacium, & figmenta, quod idem similitudine adumbratur, cum inquit propter ancillam cum fuerit hæres dominę suæ, vt .n. declarauimus lib. primo bellorum Dei, humana mens fęlicitatis fit compos, ob quamplurima, quę cognitione adepta fuerit, quę quidem cum eadem mente, quodammodo coaluerint. Cum autem vera falsis admixta fuerint, illud consequitur, vt consensus hic, atq. necessitudo ex cõprehẽsione intelligibiliũ proueniens lõge dissimilis formę videatur, quam re uera sit, ex quo fœlicitas hæc admirabilis ortum trahens ex rebus cognitis, quę cum mente coaluerint, interibit: quod quidem insignis cuiusdam, reconditiq. studij est, arcanaq. huiusmodi sunt a nobis declarata primo bellorum Dei.

## Vers. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

24 Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt * sapientiora sapientibus.

25 Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.

26 Lepu-

26 [b] Lepusculus plebs inualida; qui collocat in pe-
tra cubile suum:
27 Regem locusta non habet, [c] & egreditur vniuer-
sa per turmas suas.
28 [d] Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus
regis.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal sunt sapientia, & erudita. b Syr. cuniculi. c Chal. congregantur omnes in vnum. Syr. congregantur omnes velut vnum. d Chal. aranea manibus tegumenta facit.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *stellio* שממית semamith .i. aranea.

*manibus nititur* תתפש tetappes Apprehendit, quod telæ suæ fila ueluti manibus aranea apprehendat, ijsq. suspensa adhærescat.

## A. ABEN EZRA.

Hi quinque uersiculi sibi inuicem respondent, & adhærent.

24 *sunt minima terræ* Ex minimis terræ animantibus.

*sapientiora sapientibus* Maiori nimirum sapientia quam sapientes ipsi sunt hæc imbuta a Deo, eadem ad hæc præstanda sapientia donante.

25 *populus infirmus* לא עז lo haz non robustus .i. cui uires desunt.

*præparat in messe cibum* Sibi alimenta præparat iuxta uirium suarum facultatem.

26 *plebs inualida* לא עצום lo hatsum .i. Non numerosa gens, iuxta
exod.c.1.v.7 illud, creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.

*collocat in petra cubile suum* Vt ibidem sese abdat.

27 *egreditur vniuersa per turmas suas* חוצץ chotsets Est uerbum neutrum ut ירד descendit, eandemq. uim habet, quam illa חדשיו חוצצו
Iob.c.21.v.21. chodasau chutsatsu .i. conglomerati, & constipati sunt menses eius, non dissimili forma ab illis, quoniam impleti sunt dies eius. Hoc ergo loco חוצץ chotsets idem erit ac מאוסף meusaph .i. locustæ conglomeratæ, simulq. agminatim collectæ prodeunt, iuxta illud stultus colligit, & coaceruat. Aliter etiam explicare libet, vt חוצץ alludat ad chatsatson Tamar .i. exeunt in ciuitatem Amorrheorum, quod
Gen.14.17. forte ibi multæ palmæ.

28 *stellio*

28 *stellio* שממית est ferę nomen, simiæ scilicet. Nec inepte dices hoc esse animantis genus, quod homini simile sit, tum quoad formam, tum quoad corporis constitutionem, quod testantur sequentia, cum inquit, manibus nititur .i. apprehendit, cum scilicet, quidquid eidem porrigitur manibus excipiat. Huiusmodi vero animal præ sapientia, qua excultum est, frequens est in regum palatijs. Ab hisce autem quatuor generibus, quæ singularem præseferunt sapientiam præ cæteris, qua ratione rem nostram gerere debeamus, addiscendum est.

## LEVI GHERSOM.

24 *quatuor sunt minima terræ* Orationem præterea suam prosecutus Salomon, duas similitudines vsurpat de eo, qui rerum cognitione affluat, magisq; in dies sapere studeat. In prima autem similitudine exponit sapientiam eius esse generis, cui comparando mortalem abiectione sui uti oporteat, inquitq; quatuor esse minuta animantium genera, quę sapientiora sint sapientibus .i. cęteris animantib. uniuersis sapientia præstent, ut intelligat, consentaneum esse, sapienti, ut demisse de se sentiat, ideoq; summa quædam rimari vereatur, quę intelligi, comprehendiq. non solent; ita .n. calamitatem euadet, quãdo haud sapere plus æquo uolet, cum imbecillitatis suæ conscius sit, imparemq, se ad huiusmodi adipiscenda cognoscat. Primum ergo genus sunt formicæ, quę infirmæ sunt uiribus cum cęteris belluis comparatę, licet fortissimę sint corporis mole pensitata, cum ore ferant pondus, quod earundem corpore duplo sit grauius: eædem autem singularem sapientiam pręseferunt alimenta sibi opportuna messium tempore conquirentes, quę quidem aptissima est frugibus colligendis tempestas. Hinc autem sapiens instituitur, ut nonnisi opportuno tempore, quo rerum compos fieri possit, contemplationi uacet, multoq; magis ab inchoando illius studio abstineat, quod nullo unquam tempore possit adipisci. In ijs autem, quę supra allata sunt, commemorauit Salomon modum sapientiæ formicarum, cum æstatis tempore alimenta sibi coaceruent, inquitq; uade piger ad formicam. Alterum uero genus sunt lepores populus infirmus, rupes sibi deligens, quas colat, tutamq; sibi inueniat stationem. Hinc aut. m monemur, in ijs tantum inuestigandis accuratius operam defigendam, quibus uires sint pares, tantumq sapientiæ sufficiat, qua ueritatem indagare ualeamus; cum nimirum diffidentis fallacijs, fraudibusq; occurretur, itaut is nulla arte illius, fallaciq; ratione a veritate repelli queat. hic 6.a.6.

27 *regem locusta non habet* Rege carent locustæ, qui easdem coerceat, & ad arbitrium moderetur: illæ tamen certo tempore prodeunt, aptoq; ad frugũ excidenda germina, quib. vescantur. Hinc etiã sapienti exempla petenda sunt, vt opportuno tantum tempore cõsentaneoq; interuallo, quod labori satis sit, in rerum cognitione augenda desudet.

28 *stellio* שממית semamith .i. aranea. Hæc licet sit mole corporis exigua, sapientia tamen excellit, dum quasi manibus aulæum texit, quo tanquam casſibus implicet muſcas, apeſq; & huiuſmodi genus inſectorũ quod retib. hiſce cohiberi poſſit; ita .n. ſibi alimẽta parat, vt in libris de animantium hiſtoria patet: eadem etiam regũ atria penetrat, indeq; ſibi eſcas depromit. Id etiam ſapientem monet, ne deterreatur a ſublimiorum rerum indagatione, quarum veritatem expiſcari queat, quemadmodũ exẽplo eſt aranea, quæ regum domos penetrare non veretur, ex quo inde ſibi cibum abripere ſe poſſe animaduertit. Vel etiam affirmare poterimus illa.

*moratur in ædibus regis*, ſpectare ad id declarandum, licet aranea ſapientia polleat, errare tamen grauiſſime, cum id aggrediatur ex quo nulla vtilitas, ſed tantum interitus, & exitium oriatur, propterea quod a ſeruis domum purgantibus huiuſmodi caſſes abſtergantur, aboleanturq; quod quidem illi contingit, cum regum ædes ingredi audeat, a quibus longiſſime abeſſe oporteret. Idem ergo contingit plus æquo ſapere cupienti, nec enim inde aliquid emolumenti, ſed tantum damna, calamitateſq; ſibi accerſit.

## Verſ. XXIX. XXX. XXXI.

29 Tria ſunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit [a] feliciter.

30 [b] Leo fortiſſimus beſtiarum [c] ad nullius pauebit occurſum:

31 Gallus [d] ſuccinctus lumbos, & [e] aries; [f] nec eſt rex qui reſiſtat ei.

## VAR. LECT.

*a Chal. bene. b Syr. catulus leonis. c non fugatur a quoquam. Syr. neque formidat, neq; conuertitur ab omnibus animantibus. d Syr. qui deambulat inter gallinas. e Chal. hircus ſyluestris, qui vadit in domum peregrini. Syr. aries qui primus ante greges incedit. Chal. f rex qui ſtat, & loquitur in domo populi. Syr. & rex qui loquitur inter populos.*

# SALOM. ISAC.

29 *bene gradiuntur* Quę cum fortitudine, roboreq; excellant, fæliciter incedunt.

31 *Gallus* זרזיר zarzir, & תיש tais, Quid sint hęc, vt respondeant quaterno numero prorsus ignoro; atq: ad verum sensum tais est ferę genus elumbe, seu lumbis debilitatum.

*rex qui resistat ei* מלך אל קום melech alKum Ingenue etiam fateor nescire me, quid id sibi velit:

Allegorice autem quinque hę partes singulis quaternis constantes de quatuor regnis exponuntur, propterea quod eorum imperium firmatum fuerit in Israelitas ob eorundem scelera, quibus diuinam legem, quinq; libris comprehensam violarant, vt ideo quinquies eorum facta sit mentio.

16 *Infernus* Regnum Babylonicum inferno innuitur, iuxta illud quod de Nabucodonosor vsurpatur, qui dilatauit quasi infernus animam suam. Abac. 2. v. 5.

*Os vulua* constrictio uuluę. Hoc est Medorum imperium, cum per illam tempestatem Israelitæ fætus suscipere nequirent, ut testantur illa, missę sunt per cursores regis, vt occiderent, atq. delerent omnes Iudæos. Est. 3. v. 13.

*Terra qua non satiatur* Id est Græcorum regnum, cui nunquam satis fuit in Israelitas leges, suaq. edicta exitij sancire.

*Ignis* Hoc est regnum Esau, quod ira inflammatum incendia Israeliticæ gentis edidit, ita ut eadem die mulieres cum suis infantibus e medio tolli iusserit. pro Esau Romanos, Romanorumq. successores intelligit.

19 *Viam aquilæ in cælo* Hæc est Babylon, aquila ingens, alisq. late sese effundens.

*Viam colubri* Hic est Medus.

*Viam nauis in medio mari* Pertinent hæc ad Græcos, qui citissimi erant ad leges ferendas.

*Viam viri in adolescentia* Hi sunt Persę vel Romani, qui sui imperij nullum vnquam finem futurum affirmarunt.

*Talis est via mulieris adulteræ* Hæc est calamitas, cuius sibi opifex fuit Israelitica gens superstitiosum idolorum cultum, a Deo recedens amplexata, ex quo pænas hasce ingruentes in sese experta fuit. Hæc .n. illud iactabat, nullo me crimine obstrinxi: ex quo inuicem illud a Deo responsum, ideo iudicio meo es obnoxia, quod crimine te carere affirmaris.

21 *mouetur terra* .i. Israelitæ.

22 *per seruum* Pertinet id ad Nabuchodonosor, qui seruus fuit Merodach Beladan, eiq; ab epistolis inseruiuit. Fides sit penes auctorē.

eiusdem legis sermonibus fretus. Cum ergo sacra lex sit tanquam Dei serua, cum illi obsequium deferat, vt per eandem mortales virtutum absolutione cumulentur, monet Salom. die opinionum erroribus mortalis inuolutus, id legis affingat verbis, hoc n. perinde est ac si quis seruum apud eiusdem dominũ criminis insimularet, oblatrans, se ab eius seruo in errorem pertractũ fuisse: subdit autem si ita te geras, futurum vt a domino diris deuouearis. a Deo nimirũ te ad exitium, extremaq; propellente, propterea quod eiusdem legem parui feceris.

## Vers. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

11 Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri
suæ non benedicit.
12 Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non
est lota a sordibus suis.
13 Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ
eius ᵃ in alta surrectæ.
14 Generatio, quæ ᵇ pro dentibus gladios habet, &
ᶜ commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.
15 Sanguisugæ duæ sunt filiæ, ᵈ dicentes: Affer, Affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit sufficit.
16 Infernus, & ᵉ os vuluæ, & terra quæ non satiatur
aqua: ignis vero numquam dicit sufficit.
17 Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit
ᶠ partum matris suæ, ᵍ effodiant eum corui
de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

## VARIÆ LECTIONES.

a *Chal. palpebræ eleuatæ.* b *Chal. cuius dentes sunt sicut gladij.* c *Chal. et molares vt cultri, ad comedẽdũ Syr. & molares sunt cultri.* d *Syr. filiæ dilectæ. Chal. datæ.* Sed nescio quomodo interpres in Bibl. regijs hanc admiseret interpretationem, nam [illegible] id non significat *Placet vero præclarissimi, & antiquissimi*

*quissimi codicis Syri Bibliothecæ Ambrosianæ lectio, habet enim* הכיב *Neque vero absre erit si aliqua de Ambrosiana Bibliotheca hoc loco inseram. Cum Illustriss. Card. FEDERICVS BORROMAEVS, nescio an æquius litteratorum principem, quam Mæcenatem appellem, ad reuocandas in Italiam litteras longe admirabilem Bibliothecã construxisset, viros in plerisq; scientiarum, & linguarum generibus versatos adiunxit, quos Ambrosiani Collegij Doctores appellari voluit, inter quos pro sua incredibili benignitate me etiam prorsus immeritum adscribi non est aspernatus. Ne ergo apparatus aliquis librorum deesset tum Doctoribus, tum cæteris vniuersis (est n. Bibliotheca publici iuris, & singulis diebus accedentibus patet) impensis potentissimis regibus plane paribus, ex vniuerso pane orbe conquisiuit libros omnes eruditiores, & obtinuit, itaut Oriente etiam penetrato thesauros doctrinæ in Biblioth. asportari curarit. Inter huiusmodi extat ex intima Aegypto aduectus venerandæ antiquitatis codex Syrus, in quo vniuersum Testamentum vetus continetur; qui ob præclarissimas varias lectiones plurimi faciendus est, & a me in varia lectione horum Prouerbiorum adhibitus. e Chal. constricta vulua f Syr. senectam. g Chal. diffident eum.*

## SALOM. ISAC.

13 *generatio, cuius excelsi sunt oculi* Hæc demonstrant superbia intumescentes.

14 *pro dentibus gladios habet* Pro dentibus, qui extrinsecus cernuntur.

*molaribus* Hi sunt dentes in intima parte siti.

*commandit* מאכלות maachaloth. cultri .i. molares eius sunt cultri.

15 *Sanguisuga* עלוקה Haluka Iuxta interpretationem Menachẽ vt sonat vox hæc intelligenda, & erit vox Arabica. Alij uero eandem interpretantur esse synonimum Seol .i. inferni, & descensus; ita

autem in Commentarijs allegoricis psalmorum interpretatum reperimus, duas filias reperiri, gehennam scilicet, & hortum deliciarum, quorum altera assiduis vocibus sceleratos, alter vero iustos sibi deposcat.

*sufficit* הון hon .i. multum est nobis.

16 *os vuluæ* עצר רחם Hetser racham V iricum muliere concubitus declaratur.

17 *despicit partum matris suæ* יקהת אם ijkehath em .i. qui despicit rugas, quæ in matris vultu coaceruatę coaluerunt, nam יקהת yKkehath collectionē, aceruūq; significat, & deducitur ex illis יקהת עמים

Gen.49.v.10 ykehath Hamim .i. populorum congregatio vbi littera iod necessaria est ad nominis huius integritatem, vt in voce יפעת iphhath, & יעלת iahlath.

*effodiant* יקרוה ijkKeruhu .i. suffodient eum, quæ eandem vim habet, quam an oculos nostros vis eruere? Gall. forgar. coruus ergo

Num.16.v.14 aduolabit, fæuus etiam in suos fætus, qui oculos effodiet, illos nec vorans, nec ad aliquos vsus adhibens.

*comedant eum filij aquilæ* Aquila vero, quæ in suam sobolem pia est huiusmodi oculos vorabit, inq; suos vsus trahet. Coruus .n. sæuus est & crudelis, iuxta illud, pullis coruorum inuocantibus eum &c.

Ps.147.v.9. aquila vero pia est, & benigna, iuxta illud, sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

## A. ABEN EZRA.

11 *generatio quæ patri suo maledicit* Huiusmodi genus eas contra-

v.16. het sordes, quæ dilui nequeant. Quatuor hi versiculi, quoad explicationem coniungendi sunt cum ijs quatuor, quæ nunquam saturari queunt, quod aperte probat, cum hic habeatur generatio quæ patri maledicit, deinde subdatur, oculum qui subsannat patrē.

15 *sanguisugæ* לעלוקה lahaluKa Vox hæc prauitatem, peruersitatemq; significat, scribiq; oportuisset עקולה Hakula .i. peruersa, iux-

Abac.c.1.v.4. ta illud משפט מעקל mispat mehuKal iudicium peruersum, & iniquum, litteræq; transpositæ sunt, vt כשב chesev כבש cheues, illæ vero voces duo, & tria producendæ orationis gratia sunt vsurpatę.

*filiæ* .i. casus, seu euentus, quod a Deo ortum habeant, cuiusmodi significationem habeat בנותו benothau .i. eius euentus.

16 *sufficit* הון hon Nomen est, diuitiasq; significat. Vel etiam si aliter velis explicare, vim facultatemq; significabit, vt magna pręditus es facultate.

Gen.49.v.10. 17 *partum matris* יקהת ikhath societatem, coniunctionemque significat, eandemque vim habet, quam illa יקהת עמים iKhath hamim q d. qui matris societatem, consortiumq; adspernatur.

Hæc

Hæc ergo vniuersa hac ratione recte explicabis. Est genus quoddam, quod parentem suum diris deuouet, quem tamen summo in honore habere deberet; idemq; matri suæ non benedicit, quæ lac sugendum præbuerit, honoremq; sibi, & faustas precationes demeruerit. Est & aliud genus, quod sibi labe carens, gloriosûq; videtur, nec tamen a sordibus suis lotum est. Hoc ergo si corporis sui sordes abluere nequit mul to minus ab animi impuritate, & impietate purgari pôt, & se tamen purũ, piumq; arbitratur. Hoc autem loco superbia elati innuuntur. Est tertium genus, cuius dentes gladij sint, cum pauperes vi, fraudeque opprimat. Est deniq; generatio peruersorum, seu obliquum iter ineuntium, quod quartum genus efficit. Verum non desunt quatuor soboles, seu pænæ quibus a Deo plectantur; est enim

Pro sanguisuga, peruersitatem exponit.

*infernus* In quem deijcitur primum genus eorum, qui parentibus suis maledixerint, qui quidem immaturæ mortis pæna punientur, iuxta illud, qui maledixerit patri suo, vel matri morte moriatur. Alteram pænæ ratio est

Exod. 21. v. 17.

*os vuluæ*.i. vuluæ constrictio, nam vuluam adstringet, ne prolem suscipiat propter illud hominum genus, quod scortationis labe laboret, qui quidem sobole, & posteritate carebunt. Tertia pæna est

*terra quæ non satiatur aqua*, Quod nimirum cum terra destituta sit pluuia semina exarescant, atq; ita superbi, & fastuosi fame deprimantur. Est *ignis*, qui ab æthere quandoq; demittitur, ut absumat eos, qui pauperes ad exitium pe ruim, & fraudem adigunt, ut constat de igne, qui in huiusmodi descendit per Eliæ ætatem, iuxta illud, & exiuit ignis a facie Dei. Vel etiam pro igne immoderatum calorem, æstumq; intelliges instar ignis exurentem, quando pluuiæ imbres denegabuntur.

17 *oculum qui subsannat* Altera uero uice parẽtes cõmemorat, cũ qui eos subsannant, & diris deuouent cæterorum omnium sint sceleratissimum genus: oculis autem deludentis patrem a quo corrigatur, cõsuetudinemq; matris a qua erudiatur adspernãtis, plaga, perniciesq; inferetur; nam effodientur ij a fluuialibus coruis, qui nec fætuum suorum miseratione mouentur, ijdemq; ab aquilis uorabuntur; ita ut sepulchro inferri nequeant, è contra qui parentes suos honore afficiunt ad multam ætatem uitam producent.

*filij aquilæ* Quod pietate erga parentes, fætusq; suos excellant.

## LEVI GHERSOM.

11 *generatio, quæ patri suo maledicit* Quæ autem ante commemorauimus exemplis declarans inquit, eum qui criminose se gerens sacri contextus uerba uitiose intelligat, comparandum ei, qui parentes suos, a quibus in lucem editus, educatusq; fuerit infaustis precationibus prosequatur, nec eis consentaneum honorem exhibeat; idem .n. plane contingit in sacras litteras obliqua ratione studium suum collocantissi .n. sacræ legis sermonibus debitũ honorem

impenderet, studiosus eorum cognitioni vacaret, erroresq; vitaret, qui quoad sacra verba contingere possunt: sed enim diuinam legem is flocci facit, licet innumerabilia prope bona, quoad rectam morũ, sciendiq; institutionem ex ea deriuentur, itaut ab eadem alatur animus, eaq; alimenta iugiter subministrentur, quibus vitam nullis terminis definitam consequatur.

12 *generatio, quæ sibi munda videtur* Similitudine vero vtens, inquit de eo qui res inanes, mendacijsq; inuolutas studio persequatur, similem videri generi illorum, qui sibi ipsis labis expertes videantur, cum tamen a contaminationis sordibus non sint abluti, quibus & turpes sunt, & cæteris ad eosdem accedentibus fædissime olent; idẽ .n. est iudicandum de re inani, & futili; nam hæc, & quę mendacio subest vt sunt animi esca, e marcido corporis cibo comparantur, quando quis illo vescatur; quæ vero superuacanea sunt, & indigna, vt in escam adhibeantur, sordes sunt, & inquinamenta. Cum autem animus scientia alatur, veritatem admittens mendacia reijcit, quibus ali, sustentariq; non deceat.

13 *generatio, cuius excelsi sunt oculi* Comparat autem eum, qui plus æquo sapere velit, eaq; consectetur, quæ assequi non liceat generationi fronte perfricata, generationi inquam elato supercilio incedenti; cum modestus vir, pudoremq; seruans secus se gerat: cum autem turpis hæc in primis, fædaq; superbiæ consuetudo ad grauissima crimina nos propellat, ita pariter in scientijs maximos errores, piaculaq; parit, vt antea declaratum fuit.

14 *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet* Illum etiam, qui per Dei sui nomen, inops mentis, diuinæq; dignitatis prædo periuret, illorum generi comparat, quorum dentes sint tanquam gladij, quibus res discindantur, & effringantur, & cibi, quiq; molaribus sint instructi, quibus pauperes commandantur, atq; e medio tollantur, miseriq; ex hominum genere aboleantur: ille .n. non dissimili modo scientiam vniuersam demolitur, cum prauis, & vitiosis eiusdem opinionibus facile in errorem propellamur. Quare a sapientibus maxime est alienum, vt huiusmodi exitiosis opinionibus lædi se patiantur.

15 *sanguisuga duæ sunt filiæ* Exagerans autem quam auide, copioseq; alimenta deglutiat, opinionumq; suarum a veritate aberrantium vi permultos mentis indigos in exitium trahat, itaut nunquã satiari queat, inquit duas esse filias hirudinis, nam עלוקה halu Kah est vermis qui gall. appellatur artogim, qui humanum sanguinem exsugens, nunquam saturatur, mirumq; in modum eo repletur, moxq; decidens sanguinem euomit, reditq; subinde ad se replendum nunquam ita saturandus Vnumquodq; igitur horum trium, quæ dicũt, affer, affer, satiari nunquam poterit.

*Tria sunt insaturabilia* Tria ergo sunt, quorum satietati nunquam satis-

satisfiat, quartumq; etiam accedit, quod nunquam inquiat, satis est.

*infernus* Hæc est prima materia, quæ quidem comparatur omniũ infimæ, cæterisq; supposite parti, quod extremũ inter elementa obtineat locum, prorsusq; sit natura sua manca, & imperfecta, quod plane patet, cum non satis sit illi forma aliqua exornari, nisi alias subinde mutet.

*os vuluæ* Hæc est prolis in vtero susceptio, tunc .n. in aluo semen concluditur, vuluæq; os adstringitur; verũ huius auiditati a natura inditæ nunquam satisfit, cum semper nouam prolem suscipere appetat.

*terra* Terra etiam nunquam aqua saturari potest, a qua germina alantur, si quando .n. pluat, alio adhuc imbre subinde indiget, qui quidem est perpetuus quidam ordo, qui nunquam intermittatur. Vel etiam mens horum erit, quæ mihi verisimilior etiam videtur, semper esse aquas in terræ imis receptaculis, ventreq. itaut nunquam recedant, quin terræ venas, fontesq, permeent.

*ignis vero nunquam dicit sufficit* Quartum vero est, quod maxime simile sit ei, quod per similitudinem adumbratur, ignis nimirum, qui ideo sigillatim a cæteris discretus fuit, quod nunquam dicat, satis esse quodcunq, sibi assidue apponi cõtingat, quod possit absumi. Pari autem ratione exitiosa huiusmodi opinionũ portenta, quæ ob cognitionis, scientiæq. tenuitatem inducuntur, nũquam ab hominũ generi infligenda calamitate desistunt, itaut quicunq. scientia careat, idcirco erroribus inuolui necesse sit.

17 *oculum qui subsannat patrem* Cum ergo comparationem hanc absoluisset aliam deinde repetit, quoad eum, qui in sacræ legis mente assequenda errorib. obruatur, propterea quod eandem contemnat, quem quidem paulo ante æquarat generi illorum, qui parentibus suis extrema imprecarentur: inquit ergo oculum mentis, qui patrem sannis insectetur, sacram nimirum legem, matrisq; adsperne. tur collectionẽ, quæ nihil aliud sunt quam sacrę litterę, cũ nimirum haud rite conetur intelligere, quid consequatur ex singulis verbis atq; ex aceruo verborum legis, eorumq; ordine, quæ quidem inuicẽ sibi consentiant ex quo fit in veritatis sensu percipiendo labatur fędissime, huiusmodi inquam oculum volucres raptu viuere assuetæ effodient, quæ velocissimo volatu circumferuntur, quod nimirum extrema repentino casu sit subiturus, vt ostendunt illa, ne forte maledicat tibi, & corruas: pertinent autem hæc per similitudinem ad eum, qui paruipendat sacrorum voluminum verba, itaut in ijs erret, haud animaduertens, quænam sit semita, ob quam in huiusmodi errores fuerit adactus. hic v. 10.

quomodo scortū nullo Dei timore agatur, mulieres enim viri voce comprehenduntur, itaque se gerat, ac si cibum sumeret, eundemq; ab ore abstergeret, ne illum comedisse quis animaduerteret; cum enim uiris sui copiam facit, negat, impudiceque iactat, haud se flagitium admisisse. Ex quo homini ab ea cauendum est. Alia etiam explicandi ratio est accomodata. Ignoro viam aquilæ, neq; enim aquila vestigium relinquit, ex quo intelligas vnde præterierit, quæ quidem omnia non dissimili ratione ab vxore impudica facile præstantur, hæc .n. scelus occultat marito. Salomon vero in hisce versiculis primo de duobus loquitur, tum de tribus, & denique de quatuor.

## LEVI GHERSOM.

18 *tria sunt difficilia* Tria sunt, quorum viam assequi nequeam, cū nullum in itinere agendo post se vestigium relinquant. Eiusdemq; prorsus rationis est quartum, quod etsi turpissima sui vestigia relinquat, a me tamen percipi nequeat. Prima igitur est aquilæ via per aeris tractus permeantis, cuius volantis nulla semita relinquitur, cum ad prædam faciendam ea ferri soleat. Altera vero est via colubri super saxum incedentis; nec enim in lapide semita dignoscitur, quam is presserit; verum eius via ad nocendum, exitiumque inferendum spectat, vt moris est serpentum Tertia autem est nauis via in altum prouectæ, nec enim constat, quo itinere incesserit cum submersa fuerit. Postrema deniq; est via viri בעלמה behalmah .i. in muliere nupta, cum nimirum illa vetito concubitu se fædat, id deprehendi in eadem non potest, sed remanet fouea hoc iter ineunti, vt cum fædissime se quis cum muliere commiscuerit, quæ in primis pulchra mulier, charaque erat, turpissima videatur: quod idem contingit mancam, vitiosamq; rationem quoad sacras litteras intelligendas amplectenti; cum .n. quis ita studens turpitudinem vitiumq; deprehenderit, quæ in maximo precio habebat, nullius momenti, abiectaq; arbitrabitur.

20 *talis est via mulieris adultera* Eadem de causa mulierem hanc nuptæ scortāti comparauit, quæ adulterata, abstersisq; verendis a se flagitium vllum admissum inficietur.

## Castigatio.

Caue facile credas A. ABEN EZRAE, & LEVI GHERSOM vocem עלמה innuptam, fædatamq; significare exponentibus. sed consule D. Hier. Iansen. & alios auctores, qui illam fuse explicant tum hoc loco, tum Isai. cap. 7. v. 14. licet non desint aliqui doctissimi ex nostris, qui interpretes Hebræos sequantur, illud sibi persuadentes ex hoc loco nihil imminui vim testimonij Isaiæ capit. 7. v. 14.

Vers.

## Verſ. XXI. XXII. XXIII.

21 a Per tria mouetur terra, b & quartum non poteſt ſuſtinere.

22 c Per ſeruum cum regnauerit, per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo.

23 Per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta: per ancillam cum fuerit hæres dominæ ſuæ.

## VAR. LECT.

a *Chal. cõmouetur. Syr. ſub tribus nutat terra. b Syr. propter quartum. c Chal. propter. d Chal. propter odioſam, quæ fuit viro. e Syr. propter ancillam, quæ eijcit dominam ſuam.*

## A. ABEN EZRA.

21 *per tria mouetur terra* Propter tria contremiſcit, quatiturq; terra .i. terræ incolę.

22 *per ſeruum* Propter ſeruum nimirum, cui a Deo in eoſdem imperium ſit conceſſum, ob ſcelera eorundem, qui nulla vſpiam miſeratione moueatur: ob huius ergo imperium populi contremiſcunt.

*per ſtultum* Stultus ergo in imperij ſedead eorum crimina plectenda collocatus, cum ſaturatus fuerit, inſolenter ſe geret, & arrogãter.

נבל naual eſt verbum ſignificat arroganter ſe geſſit, vel ſe nebulonem in agendo præſtitit.

23 *per odioſam mulierem* שנואה ſenuah Propter mulierem quando nuptui tradita fuerit, tunc .n. odio habebit eos quibus inuiſa fuerat a quibuſq. refugiebatur, cum eandem ad huiuſmodi ſtatum deueniſe non libenter ferrent, ideoq. ijdem metu percellentur. Quare non immerito affirmabis, huiuſmodi mulierem ad hanc connubij conditionem prouectam, nonniſi ob hoſtium ſuorum ſcelera.

*per ancillam* Propter ancillam, cum dominæ ſuæ hęres euaſerit, in eandemq. imperium exercebit, ita dominę criminibus demerentibus. Conſentaneum igitur eſt, vt in primis crimina refugiamus, ne abiecti, & viles in nobilitate inſignes imperium habeant.

## LEVI GHERSOM.

Parabolicos etiam inquit de ijs, qui in ſtudijs ſuis vana, fallaciq. ſemita incedunt, propter tria terram contremiſcere, quin imo propter quatuor non poſſe ſuſtinere, nimirum propter ſeruum,

quando

quando regnum obtinebit, quem omnino regnare dedeceat, quemadmodum alienum est mendacium, & vana primas tenere, atq; in intelligente facultate sedem collocare, cum oporteat in primis illud reijci, amandariue, itaut in animum sola veritas penetret. Mendacium ergo est tanquam seruus, qui ad veritatem expiscandam inseruire debeat: deinde vero commouetur terra propter nebulonem, qui rerum inanium societatem studiose sectetur, quando pane fuerit saturatus, neq. .n. rem ita transigi congruum esset, cum æquũ sit ex huiusmodi instituto eũ ad egestatem redigi, itavt alimentis, vesteq. careat, iuxta illud qui sectatur viros inanes, replebitur egestate; neq. n. vllum laborem in humanis negotijs adhibet: idem pariter sentiendum est de re inani, & mendacio, quæ inter res vniuersi haud connumeranda sunt, cum nullibi gentiũ existant. Tertio autem cietur terra ob mulierem odiosam, quando nupta fuerit, cum haud oporteat virum illam vxorem habere, quam odio prosequatur, quod non dissimili modo iudicandum est de mendacis, reiq. futilis necessitudine cum intelligente facultate, quas hæc summopere detestetur.

Quartum vero est, cum ancilla dominę suę hæreditario iure locum obtinet, hæcq. seruę vices obtinens eidem ancillatur, quod idem est negotium intellectus cum mendacio, & rebus commentitijs, opinio .n. mendacijs inuoluta est tanquam mancipium quoddam veritatis, vt commemorauimus, operæ precium autem esset, vt intelligens vis veritatis hęreditatem adiret, ancillę societate reiecta, necessitudineq. repudiata ob quã ad exitiosam quãdã rationem intellectus propellabatur ob mendacium, & figmenta, quod idem similitudine adumbratur, cum inquit propter ancillam cum fuerit hæres dominę suæ, vt .n. declarauimus lib. primo bellorum Dei, humana mens fęlicitatis fit compos, ob quamplurima, quę cognitione adepta fuerit, quę quidem cum eadem mente, quodammodo coaluerint. Cum autem vera falsis admixta fuerint, illud consequitur, vt consensus hic, atq. necessitudo ex cõprehẽsione intelligibiliũ proueniens lõge dissimilis formę videatur, quam re uera sit, ex quo fælicitas hæc admirabilis ortum trahens ex rebus cognitis, quę cum mente coaluerint, interibit: quod quidem insignis cuiusdam, reconditiq. sti d j e st, arcanaq. huiusmodi sunt a nobis declarata primo bellorum Dei.

## Vers. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

24 Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt * sapientiora sapientibus.

25 Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.

26 Lepu-

26 [b] Lepusculus plebs inualida; qui collocat in petra cubile suum:

27 Regem locusta non habet, [c] & egreditur vniuersa per turmas suas.

28 [d] Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal sunt sapientia, & erudita. b Syr. cuniculi. c Chal. congregantur omnes in vnum. Syr. congregantur omnes velut vnum. d Chal. aranea manibus tegumenta facit.*

## SALOMON ISACIDES.

28 *stellio* שממית semamith .i. aranea.

*manibus nititur* תתפש tetappes Apprehendit, quod telæ suæ fila ueluti manibus aranea apprehendat, ijsq. suspensa adhærescat.

## A. ABEN EZRA.

Hi quinque uersiculi sibi inuicem respondent, & adhærent.

24 *sunt minima terræ* Ex minimis terræ animantibus.

*sapientiora sapientibus* Maiori nimirum sapientia quam sapientes ipsi sunt hæc imbuta a Deo, eadem ad hæc præstanda sapientia donante.

25 *populus infirmus* לא עז lo haz non robustus .i. cui uires desunt.

*præparat in messe cibum* Sibi alimenta præparat iuxta uirium suarum facultatem.

26 *plebs inualida* לא עצום lo hatsum .i. Non numerosa gens, iuxta

exod.c.1.v.7 illud, creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.

*collocat in petra cubile suum* Vt ibidem sese abdat.

27 *egreditur vniuersa per turmas suas* חצץ chotsets Est uerbum neutrum ut ירד descendit, eandemq. uim habet, quam illa חדשיו חצצו

Iob.c.21.v.21. chodasauchutsatsu .i. conglomerati, & constipati sunt menses eius, non dissimili forma ab illis, quoniam impleti sunt dies eius. Hoc ergo loco חצץ chotsets idem erit ac מאסף meusaph .i. locustæ conglomeratæ, simulq. agminatim collectæ prodeunt, iuxta illud stultus colligit, & coaceruat. Aliter etiam explicare libet, vt חצץ alludat ad chatsatson Tamar .i. exeunt in ciuitatem Amorrheorum, quod

Gen.14.7. forte ibi multæ palmæ.

28 stellio

28 *stellio* שממית est ferę nomen, simiæ scilicet. Nec inepte dices hoc esse animantis genus, quod homini simile sit, tum quoad formam, tum quoad corporis constitutionem, quod testantur sequentia, cum inquit, manibus nititur .i. apprehendit, cum scilicet, quidquid eidem porrigitur manibus excipiat. Huiusmodi vero animal præ sapientia, qua excultum est, frequens est in regum palatijs. Ab hisce autem quatuor generibus, quæ singularem præseferunt sapientiam præ cæteris, qua ratione rem nostram gerere debeamus, addiscendum est.

## LEVI GHERSOM.

24 *quatuor sunt minima terra* Orationem præterea suam prosecutus Salomon, duas similitudines vsurpat de eo, qui rerum cognitione affluat, magisq; in dies sapere studeat. In prima autem similitudine exponit sapientiam eius esse generis, cui comparando mortalem abiectione sui uti oporteat, inquitq; quatuor esse minuta animantium genera, quę sapientiora sint sapientibus .i. cęteris animantib. uniuersis sapientia præstent, ut intelligat, consentaneum esse, sapienti, ut demisse de se sentiat, ideoq; summa quædam rimari vereatur, quę intelligi, comprehendiq. non solent; ita .n. calamitatem euadet, quãdo haud sapere plus æquo uolet, cum imbecillitatis suæ conscius sit, imparemq, se ad huiusmodi adipiscenda cognoscat. Primum ergo genus sunt formicæ, quę infirmæ sunt uiribus cum cęteris belluis comparatę, licet fortissimę sint corporis mole pensitata, cum ore ferant pondus, quod earundem corpore duplo sit grauius: eædem autem singularem sapientiam pręseferunt alimenta sibi opportuna messium tempore conquirentes, quę quidem aptissima est frugibus colligendis tempestas. Hinc autem sapiens instituitur, ut nonnisi opportuno tempore, quo rerum compos fieri possit, contemplationi uacet, multoq; magis ab inchoando illius studio abstineat, quod nullo unquam tempore possit adipisci. In ijs autem, quę supra allata sunt, commemorauit Salomon modum sapientiæ formicarum, cum æstatis tempore alimenta sibi coaceruent, inquitq; uade piger ad formicam. Alterum uero genus sunt lepores populus infirmus, rupes sibi deligens, quas colat, tutamq; sibi inueniat stationem. Hinc aut. m monemur, in ijs tantum inuestigandis accuratius operam defigendam, quibus uires sint pares, tantumq sapientiæ sufficiat, qua ueritatem indagare ualeamus; cum nimirum diffidentis fallacijs, fraudibusq; occurretur, itaut is nulla arte illius, fallaciq; ratione a veritate repelli queat. hic 6.a.6.

27 *regem locusta non habet* Rege carent locustæ, qui easdem coerceat, & ad arbitrium moderetur: illæ tamen certo tempore prodeunt, aptoq; ad frugũ excidenda germina, quib. vescantur. Hinc etiã sapienti exempla petenda sunt, vt opportuno tantum tempore cõsentaneoq; interuallo, quod labori satis sit, in rerum cognitione augenda desudet.

28 *stellio* שממית semamith .i. aranea. Hęc, licet sit mole corporis exigua, sapientia tamen excellit, dum quasi manibus aulæum texit, quo tanquam casſibus implicet muscas, apesq; & huiusmodi genus insectorũ; quod retib. hisce cohiberi possit; ita .n. sibi alimẽta parat, vt in libris de animantium historia patet: eadem etiam regũ atria penetrat, indeq; sibi escas depromit. Id etiam sapientem monet, ne deterreatur a sublimiorum rerum indagatione, quarum veritatem expiscari queat, quemadmodũ exẽplo est aranea, quę regum domos penetrare non veretur, ex quo inde sibi cibum abripere se posse animaduertit. Vel etiam affirmare poterimus illa. *moratur in ædibus regis*, spectare ad id declarandum, licet aranea sapientia polleat, errare tamen grauissime, cum id aggrediatur ex quo nulla vtilitas, sed tantum interitus, & exitium oriatur. propterea quod a seruis domum purgantibus huiusmodi casses abstergantur, aboleanturq; quod quidem illi contingit, cum regum ædes ingredi audeat, a quibus longissime abesse oporteret. Idem ergo contingit plus æquo sapere cupienti, nec enim inde aliquid emolumenti, sed tantum damna, calamitatesq; sibi accersit.

## Vers. XXIX. XXX. XXXI.

29 Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit ᵃ feliciter.

30 ᵇ Leo fortissimus bestiarum ᶜ ad nullius pauebit occursum:

31 Gallus ᵈ succinctus lumbos, & ᵉ aries; ᶠ nec est rex qui resistat ei.

## VAR. LECT.

*a Chal. bene. b Syr. catulus leonis. c non fugatur a quoquam. Syr. neque formidat, neq; conuertitur ab omnibus animantibus. d Syr. qui deambulat inter gallinas. e Chal. hircus syluestris, qui vadit in domum peregrini. Syr. aries qui primus ante greges incedit. Chal. f rex qui stat, & loquitur in domo populi. Syr. & rex qui loquitur inter populos.*

# SALOM. ISAC.

29 *bene gradiuntur* Quę cum fortitudine, roboreq; excellant, fæliciter incedunt.

31 *Gallus* זרזיר zarzir, & תיש tais, Quid sint hęc, vt respondeat quaterno numero prorsus ignoro; atq: ad verum sensum tais est ferę genus elumbe, seu lumbis debilitatum.

*rex qui resistat ei* מלך אל קום melech alKum Ingenue etiam fateor nescire me, quid id sibi velit.

Allegorice autem quinque hę partes singulis quaternis constantes de quatuor regnis exponuntur, propterea quod eorum imperium firmatum fuerit in Israelitas ob eorundem scelera, quibus diuinam legem, quinq; libris comprehensam violarant, vt ideo quinquies eorum facta sit mentio.

16 *Infernus* Regnum Babylonicum inferno innuitur, iuxta illud quod de Nabucodonosor vsurpatur, qui dilatauit quasi infernus animam suam. Abac. 2. v. 5.

*Os vulua* constrictio vuluę. Hoc est Medorum imperium, cum per illam tempestatem Israelitæ fœtus suscipere nequirent, ut testantur illa, missę sunt per cursores regis, vt occiderent, atq. delerent omnes Iudæos. Est. 3. v. 13.

*Terra quæ non satiatur* Id est Græcorum regnum, cui nunquam satis fuit in Israelitas leges, suaq. edicta exitij sancire.

*Ignis* Hoc est regnum Esau, quod ira inflammatum incendia Israeliticæ gentis edidit, itaut eadem die mulieres cum suis infantibus e medio tolli iusserit. pro Esau Romanos, Romanorumq. successores intelligit.

19 *Viam aquilæ in cælo* Hæc est Babylon, aquila ingens, alisq. late sese effundens.

*Viam colubri* Hic est Medus.

*Viam nauis in medio mari* Pertinent hæc ad Græcos, qui citissimi erant ad leges ferendas.

*Viam viri in adolescentia* Hi sunt Persę vel Romani, qui sui imperij nullum vnquam finem futurum affirmarunt.

*Talis est via mulieris adulteræ* Hæc est calamitas, cuius sibi opifex fuit Israelitica gens superstitiosum idolorum cultum, a Deo recedens amplexata, ex quo pœnas hasce ingruentes in sese experta fuit. Hæc .n. illud iactabat, nullo me crimine obstrinxi: ex quo inuicem illud a Deo responsum, ideo iudicio meo es obnoxia, quod crimine te carere affirmaris.

21 *mouetur terra* .i. Israelitæ.

22 *per seruum* Pertinet id ad Nabuchodonosor, qui seruus fuit Merodach Beladan, eiq; ab epistolis inseruiuit. Fides & pœnes auctoré.

*per stultum cum saturatus fuerit* Hic est Assuerus, qui centum octua-ginta dierum spatio epulas regias exhibuit.

23 *per odiosam mulierem* Ad Græcos id est referendum.

*per ancillam cum fuerit hæres dominæ* Referendum ad posteritatem Esau, quem Iacobo fas erat inseruire, cũ tamẽ secus res successerit.

25 *formicæ populus infirmus* .i. Zerobabel, vt testantur illa, ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit.

Esai.23.v.13. Fides sit penes auctoré. *præparat in messe cibum sibi* Nabuchdonosor aliquando Deo honorem detulit per ætatem Merodach Beladan, qui litteras ad Ezechiã perscribẽs, inquit, salus Ezechiæ, salus ciuitati Ierusalem. Salus Deo magno. Nabuchdonosor ergo, qui illi erat ab epistolis, eo forte die aberat, cumq; rediisset eorum, quæ gesta fuerant conscius factus inquit, Deum magnum appellatis, illumq; postremo adscribitis. Ergo post nuncium excurrens illum reduxit. Quare propter huiusmodi cursum ad regnum euectus est. Is ergo messis tempestate alimenta sibi præparauit, formicam imitatus.

30 *lepusculus plebs inualida* Hi sunt Medi, & Persę, qui quidem cubile in petra collocarunt, propterea quod templum Hierosolymiticum ædificarint.

28 *stellio manibus* Romani posteritas Esau innuuntur, iuxta illud manus autem Esau.

Ezek. *moratur in ædibus regis* Romani, .n. Hierosolymiticum templum ingressi, idem funditus deleuerunt.

30 *leo fortis* Hic est Nabuchdonosor, iuxta illud, ascendit leo de cubili suo.

31 *gallus succinctus lumbos* Hi sunt Medi, & Persæ, qui simul conspirantes, lumbosq; accingentes Balthasarem interfecerunt, eidemq; regnum eripuerunt.

Daniel. 8.v.21. *aries* Hi sunt Græci, qui huiusmodi voce sunt appellati, iuxta illud, porro hircus caprarum rex Græcorum est.

Esai.47. 8. & 10. *nec est rex* Spectant hæc ad Persas, qui illud de se vsurpabant. Ego sum, & non est præter me alius, iis .n. nemo vires suas apponere audebat, vbi אלקום alkum significat, nemo ei poterat obsistere.

## A. ABEN EZRA.

Tres hi versiculi coniunguntur.

29 *& quatuor* Spectat id ad orationis ornatum, sermonemq; producendum.

*bene gradiuntur feliciter incedit* Idem repetitur q. d. sedate, & composito gradu incedant.

30 *leo fortissimus* ליש lais, Leopardus feliciter incedit, quod robore præstet, nec vllo timore percellatur ob ferarum, velut leonum, pardorum, vrsiq; occursum, nec in fugam cedens vertatur, quod omnium sit fortissimus.

31 gal-

31 *gallus* זרזיר zarzir Nomen est animantis, additamq; habet lumborum vocem, quasi lumbis sit expeditis. Eius autem fit mentio, quod pedibus sit velocissimis, beneq. incedat, cum prædam assequi possit, quando opus fuerit. Vel etiam expones, zarzir significare apes, uel etiam aquilam.

*aries* Is quidem bene incedit, nec .n. illum grex præcedit Sensus ergo erit tanquam hircus, aut aries gregem præcedentes est.

*nec est rex qui resistat ei* מלך אל קום melech al Kum: al Kum uero est dictio composita, sed אל al non est dictio dissuadentis .i. ne, sed significat non: קום kum uero est participiũ passiuum, ut מיג .i. non est erectus cum eo. Q. d. tunc rex felici gressu incedit, cum nemo ad bellum inferendum insurgit, resq; feliciter succedunt, propterea quod iustitię tramiti insistens nullum aduersarium, hostemq. habeat.

## LEVI GHERS.

Alteram vero similitudinem afferens tria commemorat, quæ recte incedant, velocissimo nimirum motu ferantur in quãcumq; rem nullam prorsus rationem habentes, ęquum ne sit id, nec ne. Quartum etiam feliciter incedit, non dissimili ratione a tribus superioribus; distinxit autem sin, gillatim quartum a cæteris tribus, cum id magis conueniat cum eo, quod per similitudinem adumbratur, illo nimirũ qui sapientia affluens magis sapiat, quam oporteat.

*leo fortissimus*, Qui rapido cursu fertur ad quorumcumq; animantium occurrentium prædam faciendam; is .n. ad nullius adspectum gradum conuertit, maxima fortitudine sua fretus, ex quo quidem quandoq; damna patitur, cũ scilicet cõgreditur cum fortiore, a quo expugnatur, vt historiæ sæpe meminerunt.

31 *gallus succinctus lumbos* זרזיר מתנים zarzir mothnaim .i. Canis leporarius tenuitate lumborum præcellens, qui venatoribus maximo vsui est: is ergo canis præceps fertur cursu celerimo, nec vires suas æstimat, an nimirum illæ superiores sint animanti, quod insequitur, an secus se res habeat, ex quo sæpissime exitium subit.

*aries* תיש tais. Id est animantis genus, quod cursu in primis excellit, ideoq; præceps pugnam aggreditur cum eo, a quo virib. superetur, atq; inde extrema patiatur.

*nec est rex qui resistat ei* Quartus autem est rex, cui nemo resistat, quando ab eodem bello petitus fuerit, is .n. nimiæ suæ felicitati obsecutus ad alienas regiones inuadendas, in suamq; potestatem redigendas præceps excurrit, nec primo perpendit, iure ne, an per iniuriam id agat, atq; bellum assidue prosequitur, vt de Alexãdro legimus, tandemq; ab alio viribus superiore expugnatus cadit. Idem pariter euenit scientiæ varietate insigni, & locupleti; is .n. sapientiæ suæ innixus haud sollicitus in rei exordio perpendit, consentaneum ne sit ei cuiuspiam solerti inuestigationi vacare, atq; ideo turpissime fallitur, indeq; grauissimis calamitatibus fit obnoxius.

Vers.

## Verſ. XXXII. XXXIII.

32 ᵃ Eſt qui ſtultus apparuit poſtquam eleuatus eſt in ſublime: ſi enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum.

33 ᵇ Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: & qui prouocat iras, producit diſcordias.

## VAR. LEC.

*a Chal. ne te extollas, ne ſis inſipiens, neque extendas manus ad os tuum. Syr. Ne deſiderijs indulgeas, ne probris afficiaris. Neque manus ad os tuum iniuſte apponas. b Chal. quia qui exprimit lac elicit butyrum, & de expreſſione furoris exit ſanguis, & de naribus vultus exit contentio. Interp. in Bibl. Reg. non percepit vim vocis* חרינא *Syr. A pinguedine lactis exit butyrum, & ſi compreſſeris manum ſuper pruritum egreditur ſanguis, ita ex contentione facierum procedunt lites.*

## SALOMON ISACIDES.

32 *eſt qui ſtultus appareat* אם נבלת im naualta .i. Si quando ab amico tuo ignominioſe habitus ſis, qui te criminibus, probriſq; inſectatus fuerit, ad extremum hac de cauſa honore excoleris.

*ſi enim intellexiſti* אם זמות im zammota .i. ſi cogitaſti. Quodſi tecũ ſilentio vti conſtituiſti, ori tuo manum admoue, & ſile.

33 *qui autem fortiter premit vbera* Quemadmodum .n. exprimendo lacte butyrum, nimiumq; emungendis naribus ſanguis educitur ita ira concitata, bileq; durius excita rixæ, & contentiones excitantur מיץ mits eſt expreſſio, iuxta illud, & expreſsit rorem de uellere.

Iud. 6. v. 38. Rabbini porro hæc ita explicant. Si ſtolide te geſſiſti in rebus ſacræ legis, dubitationib. quibus hærebas, præceptori tuo proponendis, itaut eidem fatuus, excorſq; viſus fueris, ad extremum ad dignitates, honoreſq; eueheris. אם זמות im zamota Quodſi frænum ori tuo iniecisti, itaut illud occluderes, nec eundem quidpiam rogaſti, cum is de

Alluſio verborũ זמות & זמם frænũ ſignant.

is de studijs tuis te rogabit, tandem ori tuo manum adpones, obmutescesq; propterea quod interrogationibus satisfacere nescias. Quēadmodum .n. exprimendo lacte butyrum elicitur, ita præceptorē tuum ira inflammabis, quod cito rem non perceperis, in eaq; imprudenter te gesseris.

## A. ABEN EZRA.

32 *est qui stultus apparet* אם נבלת im nabalta .i. si imprudenter, stolideq; egisti: dirigitur autem sermo ad Ithielem, & Vcal

*si .n. intellexisses* אם זממות im zammotha Si etiam malum cogitasti manum ori adponens sermonē depromito. Alia etiam non displicet explicādi ratio, præteritum nimirum futuri loco vsurpari, itaut is sit sensus. Quodsi te stulte geres, cum ad regnū eueheris: vel etiam si cōgitatione nefaria versabis .i. si stulta te gesturum cogitabis, manum ori admoue, ne cogitatio illa iniqua prodatur.

Aliter etiam hæc exponito. Si piaculum incurristi cogitans futurum vt alicui præferreris: si etiam iniqua cogitatione molitus fueris manum ori adiunge. Aliam deniq; exponendi rationem amplectere. Tecum ipse perpende, an dementer te gesseris, quando diuina ope ad dignitatem elatus es; quodsi nefaria machinatione animi es contaminatus, manum ori adijce.

33 *qui autem fortiter premit* מיץ mits. Vox hæc a tribus distinctis verbis deriuatur primo ab illis defecit, qui conculcabat terram Esai. 16. v. 4. deinde vero ab illo, fæces eius, quas exprimentes, bibent omnes Ps. 75. v. 9. &c. & deniq; conuenit cum illis vt mulgeatis. Lac ergo, & ira exprimi, emulgeriq; dicuntur. Quamobrē horum sensus erit. Cū hæc tria Esai. 66. v. 11. premuntur, aliquid ex ijs elicitur, exprimiturq; quod in horum vi quasi conclusum contineretur, agentisq; opera educendum esset vt butyrum, & ira: Ira autem narium appellationem habet, quod in ijs maxime eluceat.

*Qui prouocat iras* Hæc ita intelligenda, qui nimirum nares emungit, hoc est, qui semper ira inflammatur, quasi ira exprimatur, producit discordias .i. in causa est, ut cum cæteris dissidia excitentur Hæc ergo ita intellige. Caue, ne stulte te geras, cum ideo ira concitetur, ira autem dissidii, contentionumq; sit fons, & origo.

## LEVI GHERSOM.

33 *est qui stultus apparet* אם נבלת im naualta Si defatigatus es in illo assequendo, quod indagabas, id a tua arrogātia est factitatū, cum in tuam sapientiam spem reijceres, huiusce rei te compotem futurū ratus, haud æquus æstimator in exordio, an huiusmodi veritatē assequi posses. Quodsi forte rem viribus tuis imparem non iudicasti, haud tamen ea prius comparasti, quæ apta essent, conducerentue ad verita-

veritatem contemplationis obtinendam. Nec inepte dices idem esse אם נבלת im naualta. ac אם נפלת im naphalta .i. si cecidisti; arrogantia .n. & fastus in rebus sapientiæ supplantat, cadentemq. impellit, vt antea diximus.

*si enim intellexisset* אם זמות im zamota. Si malum cogitasti manum ad os pone. Si nimirum sublimi cuippiam quæstioni enucleandæ cogitationem addixisti, ne præceps ruas in huiusmodi contemplationem, & abstine, donec constet tibi, an aditus tibi aliqua prębeatur ratione, ut rite hanc inuestigationem ingredi queas.

Inquit autem, manum ad os pone, similitudini insistens, qui .n. aliqua de re sermonem est habiturus, haud operæ precium est, vt præcipitet sermonem, donec perspicuum eidem sit, an id sit opportunum, quin manu os premet, ne scilicet eloquatur.

Ea etiam erit horum verborum uis. Quod si cogitatione aliquid complexus fueris, propter quod os digito coercere debeas, si nimirū errorem animaduerteris, quoad Dei inuestigationem, quo ad eundem pernegandum adducaris, id certe a superbia, fastuq. tuo effectum fuisse constabit, cum ab arrogãtia tua impulsus sis ad eam inuestigationem aggrediendam, cui non pateret aditus, ideoq. in errorem nō ferendum te detruserit, ad Deum scilicet e medio tollendum. Inquit autem manum ori admoue, imitatus Iob illa vsurpantem, & si vidi solem cū fulgeret, & lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, ita .n. se res habet, vt qui in huiusmodi errat, vix suum errorem depromere queat, quin a cęteris Deum esse credentibus summum discrimen subeat. Si ergo hanc sequamur interpretationem, vt arbitror in primis accomodatam, ea erit meus horum verborum נבלת אם im naualta. Si laborasti ad ea inuestiganda, quę consentanea essent, & opportuna, huiusmodi laborem subijsti ob elationem tuam, fastumq. in sapientia, quod nimirum in sapientiam spem reijciens, ea neglexeris in studij primordijs tibi apte disponere, quæ intelligenda essent, quæq. inuestiganda essent, vt ad veritatis indagationē promouereris. Nec dissident illa, אם זמות im zamota. Si ea animo versasti, ob quæ digito os cohibendū esset, ne mortales fœdæ tuę sententiæ conscij fierent, cum rerum omnium moderatorem Deum sustuleris, abnegarisue, id tibi contigit, quod sapientia tua cælum tibi contingere videreris, vt ideo illius contemplationi te addicere sis ausus, cui nulla semita pateat &c.

Iob. 31. v. 26. & 27.

3 *Qui autem fortiter premit vbera* Res ergo naturales, ex quib. partim vtilitas percipitur, partim nihil emergit emolumenti, sunt hæ, quas commemorauit, ijsq. similes, lacte nimirum premendo, quod est casei pars optima ab homine butyrum elici. quod vtilius iucundiusq. fit, quam caseus: qui item nimius fit in naribus emungendis, sanguinem emulgere ob laborem, quo functus est, seq. ipsum læ-

Nimius est hic auctor in huiusmodi rebus philosophicis.

lędere,qui deniq; plùs æquo ira se inflammari patitur, a qua abhorrere par esset,iras,contentionesq; excitare,quæ maximarum calamitatum sint fons,& origo.

# CAPVT TRIGES.PRIMVM.

## Vers. I.

1 a Verba Lamuelis regis: Visio, qua erudiuit eum mater sua.

## VAR. LEC.

*a Syr. Verba Muelis regis, prophetæ, quem erudiuit eius mater, & dixit ei. Chal. prophetia, & eruditio, qua erudiuit eum mater sua, & dicit ei.*

## SALOM. ISAC.

*Verba Lamuelis regis* Verba Salomonis regis, quibus illum Deus allocutus est, quod in Deum idem refractarius, iniquusq; fuisset. Lamuel autem idem est ac לאל .i. Deo. Verba nimirum, quæ ad diuinam gloria pertineant, a rege pronunciata. **Lamuel quid significet.**

*Visio* משא massa. Vaticinium per parabolas, & similitudines enunciatum, quo a genitrice sua est institutus.

## Castigatio.

Hebræis sua somnia permittamus. Sentiunt illi ad Solomonē hęc dicta fuisse, cum ille totam noctem in gratiam vxoris filiæ Pharaonis, cum eam duceret, & eadem die templum dedicaretur, insomnem audiendis organis musicis transigisset: ex quo postridie ad horam vsq; quartam diei somnum cæperit, quo factum fuerit, vt vsq; in horam diei quartam, pręter morem reiectum fuerit sacrificium iuge, quod mane offerri solebat, quod templi claues ceruicali suppositas haberet.

## A. ABEN EZRA.

In libri exordio se a patre suo ad sapientiam capescendam eruditum ostenderat; in præsentia autem testatur, se post parentis obitum a matre sua Betsabea instructum, vt sapientia imbueretur, caueretq; a mulieribus, & vino, quæ scelerum, impietatisq; sint fontes. Vt igitur matris suæ sapientiam laudibus prosequeretur, Alphabetico ordine sapientia præditam mulierem celebrauit, vt id æternæ memoriæ posteris esset monumentum.

3 *ne dederis mulieribus substantiam tuam* חילך chelecha .i. vim Robur tuum ne debilites.

## A. ABEN EZRA.

3 *diuitias tuas* דרכיך derachecha .i. vias tuas, quę vox bis vsu venit q. d. ne instituta tua eo tendant, vt regum instituta aboleantur.

*delendos reges* מלכין melachin. Nun huius vocis adscribitur pro Mem, vt in voce ימין pro iamim.

## LEVI GHERSOM.

2 *quid dilecte mi* Matrem suam videtur Salomon alloqui, vt aliquid postulet, morem eidem gesturus: quæ ita mox respondet. Quid poscam dilecte mi quem alui, dilecte vteri mei, qui visceribus meis gestatus es, quando tui ventrem gerebam, quod quidem ideo dictum est, quod aliquando ij filij appellentur, qui haud sint vterini, vt constat de filijs Michol filiæ Saul, quos illa educauerat, licet haud in lucem edidisset, qui quidem filij Michol vocantur, licet ex Merob eiusdem sorore progeniti essent. 2.reg.21.v.8

*Quid dilecte votorum meorum?* Quid tibi deprecer, fili mi, in quem omnia uota mea tendunt, præ singulari charitate, qua te amplector, quemadmodum solet amicus, qui præfatus uitam amici uoto se obstringit & iusiurando. Vel etiam dilectum uotorum hunc appellat, quod eius causa assidue Deum uotis exposceret.

3 *ne dederis mulieribus substantiam tuam* Ne uires tuas, quibus polles ad sapientiam inuestigandam, & assequendam cum mulieribus enerues; nimia .n. consuetudo cum mulierib. a sapientiæ studio arcet, mortalisq; animus ideo semper instabilis errat.

*& diuitias tuas ad delendos reges* Ne quæso eo tui conatus spectent, ut consilia, cogitationesq; aboleas innumeras, quæ necessariæ sint ei, qui rite sapientiæ uacare uelit. Hæc igitur eo pertinet, ut intelligamus, eum qui in mulierum amoribus detineatur, prohiberi, ne studium suum defigat in cogitationibus, adminiculisq; ad sapientiam conferentibus.

## Vers. IV. V.

4 Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum,
quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.
5 Et ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.

## VAR. LECT.

4 *Chal. obserua te a regibus Lamuel, a regibus, qui bibunt vi*

*num, & a potentibus, qui bibunt syceram. Syr. A regibus caue Muiel. b Chal. ne forte bibas, & peruertas rationem tuam, & mutes iudicia. Syr. ne bibas, & obliuiscaris inuestigationis, & obliuiscaris iudicij filiorum pauperum.*

## SALOM. ISAC.

4 *noli regibus* אל למלכים al lamelachim .i. non regum Haud decet reges vino indulgere, qui quidem ad Deum proxime pertineant.

*lamuel* למואל ad eandem rationem, qua למפי (itaut sit addilitium)

*noli regibus* אל למלכים al lammelachim Haud reges decet, ebrietate obrui.

*quia nullum secretum est* ולרוזנים אי שכר ulrozenim e secher .i. & principum non est sycera madescere; particula autem אי significat non.

5 *obliuiscatur iudiciorum* מחקק mechukkak, quod sacrę legis monumentis consignatum est.

## A. ABEN EZRA.

4 *nullum secretum* אי שכר e secher part. אי idem significat ac אין .i. non: quandoque etiam vocali Kirich insignitur, vt אי נקי non est mundus.

## LEVI GHERS.

4 *noli regibus.* Tu fili mi Lamuel, ne ea instituta amplectaris, quę chara sint, & accepta regibus voluptatum amicissimis, vinoque potando totos se dedentibus, quiq; rogant, vbinam sit sycera, qua diffluant; regem enim tuę conditionis, qui scilicet ad diuinum cultum sit ad regiam dignitatem euectus, maxime indignum est, vt ita se gerat.

*ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum* Is ergo rex cum ex sacrę legis præscripto iudicium feret, quando vino obrutus erit, peruertet iudicium oppressorum, & pauperum, quod grauissimum est crimen, cum contineat tum iudicij aboliti scelus, tum exitium pauperis animo ob calamitatem consternato, quæ quidem vtraq; piacula sunt non ferenda; ideo autem horum potius meminit, non quidem, quod eadem de causa etiam diuinum iudicium inique exerceri contingat, sed vt commemoret grauissimam perniciem, quæ ex huiusmodi vitiosa consuetudine ortum trahit, vt solent ij, qui alium obiurgant, quem etiam morem seruat Salomon in plerisq; reprehensionibus hoc libro comprehensis.

Vers.

## Verſ. VI. VII. VIII. IX.

6 a Date syceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.
7 Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & b doloris ſui non recordentur amplius.
8 c Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum, qui pertranſeunt.
9 Aperi os tuum: decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem, & d pauperem.

## VARIAE LECTIONES.

*a Syr. datur. b Chal. detritarum veſtium non recordentur. Syr. iniuſtitiæ, & calamitatis. c Syr. aperi os tuũ in verbo veritatis, & iudica omnes filios impios. Chal. his qui non peruertunt iudicium, & iudica omnes filios peruerſorum. d Chal. iniuriam ferentem. Syr. & mærẽtẽ.*

## SALOMON ISACIDES.

6 *mærentibus* לאבר leobed pereunti; Date syceram ijs, quos hic exitus manet, vt pereant, impijs nimirum.

*qui amaro ſunt animo* Qui ob ſuam pœnam, fletumq; anguntur.

8 *cauſis omnium filiorum, qui pertranſeunt.* Hi ſunt pupilli, quorum auxilium præterijt, & irritum euaſit.

## A. ABEN EZRA.

8 *qui pertranſeunt* חלוף chaluph .i. filios excidij, nam eãdem vim habet, quam illa והאלילים כליל יחלף chalil iachaloph .i. prorſus exſcindet, Eſai. 2. v. 18. Hos autem vniuerſos verſiculos ita expones.

*Verba Lamuelis regis.* Verba prophætiæ, & viſionis ſunt ea, quibus a matre ſua eſt eruditus.

*Quid fili mi* Quantæ es in honore fili mi.

*dilecte vteri mei* Qui e meis viſceribus prodijſti.

*dilecte votorum meorum* Pro quo voto me obligaui, cum in lucem edendi fœtus tempus adeſſet, ſi parientis dolores, ærumnaſq; effugerem: Quamobrẽ te inſtitutũ volo, ne vim, roburq. tuũ in mulieres profũdas, neq. ita te inſtituas, vt regum vias deleas, dedecet.n. te eã

viuen-

uiuendi consuetudinem inire, qua regum instituta aboleas, quib. maxime cauendum est, ne mulieribus, uinoq; uel syceræ se dedant; & cū ab hisce sint obruti statuta, legesq; suis monumentis librorum consignatas obliuioni tradant, peruertantq; iudicium eorum, qui aliorum ui premuntur.

*7 obliuiscantur egestatis suæ* Vinum enim lætitia animum perfundit, atq; ideo haud amplius in mentem uenient labores, quando uino quis indulgebit.

*8 aperi os tuum muto* לאלם leillem, lamed significat propter .i. propter eum, qui effari nequeat tu loquere.

*filiorum qui pertranseunt* בני חלוף bene chaluph .i. qui iam morti sūt adiudicati ob capitale iudicium; Horum igitur causam rite, solerterq; discutiendam curato.

## LEVI GHERS.

*6 date syceram mærentibus* Vinum, syceraq; eum tantum decet, qui animum calamitatibus obstrictum habeat, quiq; prope pereat, ut omnem animi angorem deponat.

*7 bibant, & obliuiscantur* Fas est id ei, qui laborem subijt, & calamitatem, ut eorum obliuiscatur, secus uero regibus; hos .n. decet in primis memoria conseruare iudicij normam, quam rite obseruent cum ijs a quibus adeuntur.

*8 aperi os tuum muto* Eius causa, quem iudicio tuo sistant, qui quidem refellendi obiecta ordinem ignoret, quo ius suum patefaciat, sermonem te serere decet, vt idē instituatur ad ea in medium proferenda, quibus causam suam tueatur. Mutus autem is est, qui causę suę nullam proferre rationem, nec de eadem sermonem habere sciat.

*Filiorum, qui pereunt* בני חלוף bene chaluph. Hi sunt uarij, & mutationi obnoxij, qui aliud corde foueant, aliud sermone proferant. Iudex ergo integer id curet oportet, ne desit huiusmodi uiris iudicij æquitas licet causam suam diserta oratione tueri nequeant, litisq; suę rationes in medium proferre nesciant.

*9 aperi os tuum* Ita ius rite dicas ad amussim iustitiæ, quando de pauperis, & egeni causa sententia ferēda erit, nè propter illorū imbecillitatem, aduersarijq; potentiam causa hos cadere patiaris.

## Vers. X. XI. XII.

10 Mulierem fortem quis inueniet? * procul, & de vltimis finibus precium eius.

11 Confidit in ea cor viri sui, † & spolijs non indigebit.

12 Red-

12 *c* Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Chal. preciosior est lapidibus optimis. Syr. preciosior enim est lapillis preciosissimis, quibus nullum par precium est. b Chal. & non spoliatur, neq; indiget. Syr. & dactilis non indigebit. c Syr. fecit ei bonum.*

## SALOMON ISACIDES.

11 *& spolijs non indigebit* Idem hæc significant, ac bonis non carebit.

## A. ABEN EZRA.

10 *mulierem fortem* אשת חיל eseth chail mulierem diuitias parantem; nam חיל chail diuitias significat q. d. Quis inuenire queat mulierem rem facientem, roburq; parantem præ sapientia, qua sit exculta.

*precium eius* מכרה michraha. Vox hęc significationem habet eandem, quam illa, precio emet ab eis.

11 *confidit in ea* Ideo mariti animus in ea confidit, quod rem familiarem administret.

*& spolijs non indigebit* Supellectilem, quæ ab eadem paratur, nunquam desiderabit.

12 *reddet ei bonum* Mulier autem marito bona rependit, propterea quod in eandem spem suam reijciat, nec unquam male de eadem mereatur.

## LEVI GHERSOM.

10 *mulierem fortem* Absoluit Salomon librum hunc descriptione materiæ, quæ menti seruitium defert consentaneum, & numeris suis absolutum, ita ut eadem perfectionis plane compos fiat. Hanc ergo mulieris specie adumbrat, ut solet, mulieremq; strenuam appellat, propter uim, & roboris firmitatem, qua intelligenti facultati necessaria suppeditat ex ijs, quæ sensibus percipiuntur, & per sensus formam sui exhibent: inquit autem difficillimum esse id reperire, eiusdemq; precium, & ęstimationem longe a margaritarum precio abesse, quod nihil cum eadem sit conferendum.

11 *confidit in ea* Viri igitur animus confidit in ea, futurum nimirum ut ea subministrentur, quæ in quæstionibus e sensibus ante petenda sint, nec item spolia defectura, quibus mentis familiæ alimenta præbeantur.

## LEVI GHERS.

13 *quæsiuit lanam*: Lanam, linumq; sedulo perquirit, vt nendo elaboret vestes, quæ domui suæ fint opportunæ, quod manibus labore libentissime fungentibus efficit, vt solent serui, qui dominorum suorum iussa libenter, amanterq; obeunt, non autem vt ij, qui inuiti id præstant. Hæc autem ideo Salomon inquit, quod quæ e sensibus petita ad animum deferuntur, prius varijs rationibus elaborata esse oporteat, atq; ita purgentur a varijs materiæ sordibus, propeq; ad spiritalem naturam accedant, vt patet in libris de sensu, & sensibili.

14 *facta est quasi nauis* Quemadmodum nauibus mercatores opulenti, e longinquis regionibus merces suas aduehunt, ita e longinquo hæc ministra facultas cibos animo adducit, quibus in quæstionibus opportune eidem satisfiat, quando difficulter sensuū opera veritas indagabitur, nisi terrarum variæ plagæ discurrantur, aut maiorum testimonia proferantur, quibus prorsus est fides adhibenda, veritati consentire.

15 *de nocte surrexit* Hæc inquam nocturno tempore surgit sedula operiq; accincta, vt familiæ suæ cibos, ancillisq; suis sta tuta cibaria distribuat, quibus corporis incolumitatem tueantur, a qua pendet animi recta constitutio.

### Verf. XVI. XVII.

16 a Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineam.

17 Accinxit fortitudine lumbos suos, & b roborauit brachium suum.

## VARIAE LECTIONES.

*a Chal. cogitauit in consilio, & accepit agrum. Syr. agriculturam meditatur. b Chal. accingit.*

## A. ABEN EZRA.

16 *considerauit agrum* De agro emendo cogitationem suscepit. *de fructu manuum suarum* Quæstus, quos illa manuum opificio facit innuūtur, quasi inquias, opibus labore suo partis vineam sibi ab agricola plantari curauit, nec .n. mulierum mos est, vt vineis struendis incumbant.

17 *accinxit fortitudine lumbos suos* Renes suos illa succinxit, quasi robore sese instruxerit.

## LEVI GHERSOM.

16 *consideravit agrum* Sæpissime in hoc libro inuenies huius generis solertiam similitudine adumbratam fuisse, partim quidem vt domino seruitium exhibeatur, partim vero ut corporis incolumitas conseruetur, quod etiam ad mentis obsequium pertinet. Hęc ergo agrum sibi comparat, vineamq; conserendam curat, ut ex ea fructus percipiat, quibus menti alimenta præbeantur.

17 *accinxit fortitudine lumbos* Vt expeditior sit ad celerem cursum ineundum ad ea, quæ expetierit: brachia item sua, hæc firmat, ut actiones suas solerter, expediteq; obeat.

## Vers. XVIII. XIX. XX.

18 Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius.

19 Manum suam misit ad ª fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.

20 Manum suam aperuit inopi, & ᵇ palmas suas extendit ad pauperem.

## VAR. LECT.

*a Chal. ad vertibulum. b Chal. brachia sua misit iniuriam patienti.*

## SAL. ISAC.

19 *manum suam misit ad fortia* בכישור Bachisor. Vox hæc vertibulum significat, instrumentum uidelicet muliebre, quo fusum nendo continent.

*apprehenderunt fusum* פלך phelech, Narbonensi sermone posel.

## A. ABEN EZRA.

1.reg.c.25. 33. 18 *gustauit* טעמה tahamah .i. deprehendit, & intellexit, non dissimili forma ab illis, & benedictum eloquium, consiliumue tuum. Q. d. solerti consilio, negotiationi uacare utilissimum esse deprehendit, ideoq; non extinguetur eius lucerna.

20 *manum suam aperuit pauperi* Vt indigenti panem porrigeret.

## LEVI GHERSOM.

18 *gustauit* Vtilem esse mercaturam cognouit, ob fructum, quem inde mens percipiat, ideoq; ei sedulo inseruire solet, itaut ne noctu no quidem tempore lucerna extinguatur, ne inertia corripiatur.

19 *manum suam* Manum suam hæc uertibulo, fusoq; admouet, ut lanam, linumq; neat.

20 *manum suam aperuit inopi* Pertinent hæc ad eius singularem solertiam, & virtutis absolutionem, ea .n. agit, quibus mens debito si-

bi

bi cibo non fraudetur, diuitias .n. congerit, quæ tum sibi, tum familiæ suæ, & deniq; ut indigentibus necessaria subministrentur, satis, superq; sufficiant.

Vers. XXI. XXII. XXIII.

21 Non timebit domui suæ a frigoribus niuis; omnes .n. domestici eius vestiti sunt b duplicibus.

22 c Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius.

23 Nobilis d in portis vir eius, quando sederit cum senioribus terræ.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. a niue b Chal: coccineis. Syr. purpura. c Chal. strata fecit sibi. Syr. lectulum fecit sibi. Syr. & vittas byssi, & purpuræ. d Chal. notus in prouincijs maritus eius. Syr. inter vrbes maritus eius celebris.*

## SAL. ISAC.

21 *domui* .i. familiæ, domesticisq;

*a frigoribus* משלג missalegh a niue .i. a frigore niuali.

*vestiti sunt duplicibus* Vestibus vario colore infectis.

22 *stragulatam vestem fecit sibi* Stragula scilicet, quæ sint pulchra ornamenta ad normam illorum, lectulum meum straui.

23 *nobilis in portis vir eius* Inter socios suos uir eius maxime conspicuus est, & illustris, ob uestium splendorem, quas ipsa pararit.

## A. ABEN EZRA.

21 *non timebit domui suæ* .i. Familiæ suæ. Cum .n. niuibus terra rigebit singuli eius domestici purpura, & cocco induti incedent.

*vestiti duplicibus* שנים sanim. Vniuersa eius familia induta erit optimo quodam lini genere.

22 *purpura indumentum eius* ארגמן arghaman: numerandum id inter res colore infectas, colore nimirum purpureo, siue rubro.

23 *quando sederit cum senioribus terræ* Eum iudices secum assidere iubebunt ob uxoris gratiam.

## LEVI GHERS.

21 *vestiti duplicibus* Hęc ideo dicuntur, partim quidem ut huiusce mulieris solertia celebretur, quod opes necessarias pararit, partim uero, quod ea, quæ méti ex rebus sensibus subiectis præbentur, ab errore sint aliena.

22 *stragulatam vestem fecit* Hęc item fecit stragula, & ornamenta quoad mores: uestimentum item eius ex serico & purpura est; quod

nimirum eius vestes precio, & dignitate sint insignes .i. mores eius præclari, & honesti labe careant, nec turpi sint aliqua consuetudine contaminati.

23 *nobilis in portis vir eius* Cum igitur vir eius inter sapientes assederit sapientia conspicuus erit, propterea quod ab vxore sua existimatur fit ad comparandam sapientiam excultus, & institutus.

## Vers. XXIV. XXV.

24 [a] Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit [b] Chananæo.

25 Fortitudo, & decor indumentum eius, & [c] ridebit in die nouissimo.

## VAR. LEC.

*a Syr. vestem xiliuam. b Chal. mercatori. c Syr. exultabit in die extremo.*

## SALOM. ISAC.

Chananæi mercatores passim in scrip. appellati vt Soph 1. 11. Zach. 14. 21. Hos. 12. 7 q maritima gens esset, & mercaturæ maxime dedita. Esai. 23. v. 8.

24 *Chananæo .i.* mercatori.

25 *in die nouissimo* Quando mortem obibit, gloriosi nominis coronam reportabit.

*ridebit* Vniuerso vitæ suæ spatio triumphabit læta ob extremum vitæ suæ diem, qui honorifici nominis gloria insignis erit.

## A. ABEN EZRA.

24 *Chananæo* Negotiatori, iuxta illud, Chananæi eius .i. institores eius incliti terræ.

25 *fortitudo & decor* Perinde ac si illa splendore, & robore indueretur.

*in nouissimo die* Cum ad senectutis ætatem deuenerit læta esse poterit, nihil omnino egestatem formidans. Vel certe hæc intelligenda de futuro post hanc vitam æuo.

## LEVI GHERS.

24 *cingulum fecit* Cingulum, quod elaborauerat, mercatori tradit emendum, vt ex eius precio, quæ optauerit sibi parare possit.

25 *fortitudo, & decor indumentum eius* Illa has induit fortitudinis, & decoris vestes, quod præclare mores instituat suos, & cupiditates corporis coercere valeat, quod quidem efficitur, cum illa sacræ legis semitas inierit.

*ridebit in die nouissimo* Quo die morté obibit læta ridebit, de more eorum, qui dignitate, animiq. præstantia excellunt, qui quidé nihil prorsus morté formidant, cũ vitæ vsuram nonnisi ad menté virtutibus cumulandam peroptent, quod cum præstiterint pęne mortem in votis habent, quam quidem vitam sibi ducant.

Vers.

Verſ. XXVI. XXVII.

26 Os ſuum aperuit a ſapientiæ, & lex b clementię in lingua eius.

27 c Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem d otioſa non comedit.

VAR. LECT.

*a Syr. in ſapientia. b Chal. lex gratiæ. c Syr. manifeſtæ ſunt ſemitæ domus eius. d Chal. panem pigredinis.*

SALOM. ISAC.

27 *conſiderauit* Hæc obſeruat diligenter, quæ familiæ ſuę opus ſint, & quomodo veritatem, ſuiq; abiectionem amplectantur.

A. ABEN EZRA.

26 *lex clementia in lingua eius* Semper .n. parata eſt ad beneficentiam in cæteros exercendam,

27 *panem otioſa non comedit* לחם עצלות lechem hatsluth .i. Panem mulieris deſidia torpentis non comedit.

LEVI GHERS.

26 *aperuit os ſuum ſapientia* Ex eadem .n. principia deſumuntur, & ſeries beneficentię, qua Deus in res creatas vſus eſt, declaratur; hęc .n. lingua ſua admirabilem Dei pietatem, prædicat quę etiam ſenſibus percipitur, quam erga res vniuerſas adhibuit.

27 *conſiderauit ſemitas domus ſuæ* Hęc aſſidue explorat, & contemplatur ſemitas, quibus in ſuam domum deducatur, & cum intelligēte facultate ſimul coniungatur; quo illi ſuppeditet ex ſenſibus contemplationi neceſſaria:

*& panē otioſa nō comedit* Nec inertis cibo veſcitur, reb. ſcilicet, quę apta cōformatione careāt, ſed .n. quęcūq; ex hiſce formis imaginãte vi cōprehēdit, mēti ſubijcit proſpectāda, vt reb. rite conformetur.

Verſ. XXVIII. XXIX.

28 Surrexerunt filij eius, & a beatiſſimam prædicauerunt: b vir eius & laudauit eam.

29 Multæ filiæ c congregauerunt diuitias: tu ſupergreſſa es vniuerſas.

VAR. LECT.

*a Syr. beatitudinem illi dederunt. b Syr. & vir eius eam laudauit. c Chal. poſſederunt.*

## SAL. ISAC.

28 *multæ filiæ* Hæc est laus, qua illam vir & filij; ter, quaterq; beatam prædicant.

## A. ABEN EZRA.

28 *surrexerunt* Summo mane surgent eius filij, cum nunquam no-ctu lucerna extincta fuerit, eamq; hisce laudibus lætabundi extol-lunt. Multæ quidem mulieres diuitias congesserunt, sed tu super gressa es vniuersas. עלית halith, non dissimilem vim habet ab illis, & ascendere fecit vnum de leunculis suis i. Tu eas omnes longe supe-rasti, magisq; excellis.

## LEVI GHERS.

28 *prædicauerunt* Hæc ergo mulier, quæ ut decet se gerit, lau-dibus extolletur, tum quoad animi facultates, tum quoad mentem ipsam, hancq. laudem prædicabunt, multas quidem fuisse, quæ opes congesserit, sed tu omnibus superior euasisti,

## Vers. XXX.XXXI.

30 a Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier ti-mens Dominum ipsa laudabitur.

31 b Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.

## VARIÆ LECTIONES.

*a Syr. mentitur decor. b Syr. infructuosa est pulchritudo.*

## SALOM. ISAC.

30 *fallax gratia* שקר החן sceker hachen mēdaciū gratiæ. Mulier haud laudibus extollenda, quod forma præcellat, cum omnia sint quid inane, & merum mendacium. Mulier vero, quæ Deum vereatur, hæc solummodum laudibus est celebranda.

31 *laudent eam in portis opera eius* Recte eius facta testantur hanc laude dignam esse, celebrandamq; in portis vrbis coram omni-bus, qui accedunt, quiq. recedunt. Atq. hæc satis sint quoad interpre tationem.

Liceat vero allegoricè hæc exponere de sacra Dei lege, deq. ijs qui eidem addiscendæ operam strenue nauant.

10 *mulierem fortem* Hæc est sacra lex.

*quis inueniet* Beatus ille qui eius compos fieri poterit.

*de vltimis finibus* מפנינים mippeninim Longe preciosior est marga-ritis.

11 *spolijs non indigebit* Fructus reportabit in hac vita, tum etiam fu-turo sæculo, præmiorum securus.

13 *quæsiuit lanam & linum* Cum legem mulieri comparauerit haud

disce-

discedens a similitudine sermonem facit de ijs, quæ ad mulierum opificium pertineant. Parabola vero ita exponenda. Desiderat lex sacra volumina, & huiusmodi, in quibus discipulorum turba desudet.
14 *facta est quasi nauis institoris* Hæc sui studiosos benedictione, dapibusq. cumulat.
15 *& de nocte surrexit* Ij nocturnas vigilias obeunt.
*deditq. prædam* Repetit præceptor discipulis scita sua, & decreta ijsdem constituta.
16 *considerauit* זממה zamemah Fræna hæc inijcit, capistrumq. Esau, qui fuit agricola.
*& emit eum* Eumq. e medio tollit, vt prorsus aboleatur.
18 *gustauit* טעמה tahamah .i. sermo eius.
*in nocte* בליל balaila Desideratur He. Qua nocte Aegyptij percussi sunt, lux Israelitis affulsit, eosdemq. tutata fuit.
19 *manum misit ad fortia* בכשור Bachisor .i. recte agendo vacauit.
*apprehenderunt fusum* פלך phalech .i. bacillum cui innititur quispiam, vt qui baculo innititur.
20 *manum suam aperuit* Hæc liberalē se præbet illi, qui se ipsum eidem credit, tanquam rebus omnibus indigeat, nec unquam suppetias negat.
21 *non timebit domui suæ a frigoribus* Quando scilicet impij ita puniūtur, vt ex niue in ignem proijciantur.
*vestiti sunt duplicibus* Cum scilicet depositum apud se quis restituit cum aperit manum pauperi cum etiam indigentem alit; hæc .n. omnia a gehennæ niuibus seruant, vt exponitur in Tanchumah.
22 *stragulatam vestem* Hæc est gloria, qua sapiens afficitur.
24 *cingulum tradidit Chananæo* Ei qui in mercatura sit exercitatus, cingulum præbet, ut sit expeditus ad negotia.

Interpres pro duplicibus intelligit in Sacr. Scrip. duplici voce repetita. deut. 24. v. 8.

25 *ridebit in die nouissimo* Haud ijs dies iudicij formidanda est, quē securi euadent, quin quocunq. tempore vitę vsuram habebunt, de iudicij die gaudebunt. In illum autem, quem haud dolere oporteat, ridendi vox apprime quadrat, vt deridebit vibrantem hastam .i. nihil formidabit hastam uibrantem. Iob. 41. v. 18.
27 *considerauit semitas* Rectum iter sacra lex illos docet, ut a criminibus sese abstineant.
28 *surrexerunt filij eius* Discipuli.
*vir eius* Hic est ipsemet legislator Deus.
30 *fallax gratia* Ea quibus reges gentium præditi sunt.
*& vana est pulchritudo* Eorūdem nimirū dignitas, & pulchritudo.
31 *date ei* Post hunc uitæ cursum præbete ei fructus manuum suarum .i. gloriam, magnificentiam, robur, honorem, & imperium.

## Castigatio ad vers. 16.

Miserime omnium. Experiuntur Iudæi, an qui ab Esau ortum ducunt

cunt

eunt, a lege profligata coërceantur, & aboleantur. Vos portatis iugum, quod nec patres vestri portare potuerunt.

## A. ABEN EZRA.

30 *fallax gratia* Hic etiam uersiculus laudem continet, qua a filijs suis afficitur, qui illud concinant, mulierem forma prçditam fallacem esse; formam uero, & pulchritudinem esse rem uanam.

31 *Date ei* Sunt hęc uerba mariti filios alloquentis: fructum laborum eius præbete illi, ut ob prçclare acta laudibus extollatur. Vel etiam. A suis met actionibus laudetur; dare autem loqui significat, ad normam illorum, date Domino Deo uestro gloriam.

Dare loqui. di vim habet Ierem. 13.v.16.

## LEVI GHERS.

30 *fallax gratia* Gratia qua prçstant, quæ menti intelligenda proponũtur, sæpissime in errorem adducit in grauissimis quæstionibus, si eadem cum timore diuino non sint coniuncta.

31 *Date ei* Huiusmodi ergo mulieri, laborum suorum fructus concedetur, cuius quidem causa animus bonis perfruetur ob prouidentiã peculiarem, qua Deo curæ est, licet non idem sequatur in rebus corporis contagione concretis, ut explicauimus lib. 4. bellorum Dei.

*Laudent eam in portis opera eius* In portis .n. prædicabitur probitas morum illius, optimaq; institutio, diuinusq; timor quibus in primis excellit. Vtilitas autem, quę ex hisce percipitur quoad rem similitudine adumbratam, iam satis exposita fuit. Illud vero prę-terea emolumenti ijsdem inest, per hasce parabolas institui mulierem, vt sedulo marito suo operam nauet, pariterq; domui suæ ritè administrandæ studeat.

LAVS DEO.

MEDIOLANI,

Apud Ioannem Iacobum Cumum. M. DC. XX.